

WIDENER LIBRARY
HX J8T2 M


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

ECCLESIÆ VENETÆ
ANTIQUIS MONUMENTIS
NUNC ETIAM PRIMUM EDITIS ILLUSTRATÆ
AC IN DECADES DISTRIBUTÆ.

AUTHORE

FLAMINIO CORNELIO
SENATORE VENETO.

DECAS QUARTA, ET QUINTA.



VENETIIS,
MDCCXXXXIX.

Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



PRÆFATIO.



UICUMQUE animum ad antiquam historiam vel minimum illustrandam admovet, ille continuo intelligit, quanti momenti sit in operis labore Numismata, Inscriptiones, atque diplomata tamquam uberrima Criticæ loca, & fontes veritatis sinceros constantes adire. Scilicet his potissimum præsidiis, quidquid temporum injuria obliteravit, vel Scriptorum incuria corrupit, vel Amanuensium inscitia vitiavit, a tenebris eductum profertur in medium, in integrum restituitur, & nova meliori luce donatur. Ut alios bene multos omittam, qui in hoc genere excelluerunt, Clarissimus Mabillonius in Gallia, quem Criticorum Patrem esse dixerim & Magistrum, & nuperrime apud nos Muratorius amplissimam exquisitæ eruditionis segetem litterariæ Reipublicæ suppeditarunt. Ut hujusmodi Auctorum, qui bene adeo de antiqua historia meruerunt, improbi labores, accurata Crisis, atque acre judicium dignoscatur; altius assurgendum est nobis ad funestam illorum temporum conditionem, quum barbaræ ab Arcto gentes Europam late inundarunt, & omnem cultus humanitatem expulerunt. Tanta hæc calamitas bonas artes prostravit, quas subsequutæ civiles passim discordiæ penitus profligarunt: apud nos præsertim, ubi exorta inter Cæsares, & Romanos Pontifices dissidia Italiam nostram solis armis ad-

dictam, cædibus & incendiis vastatam, antiquis monumentis potiori ex parte spoliarunt, nec scriptores nisi rudes, & partium studio insinceros dederunt. Qui primum litteras revocare, & historiam erigere conati sunt, vel nominum similitudine, vel rerum affinitate, & consensione sæpe decepti Authores authoribus, & res rebus identidem commutarunt, nec satis accurate tempora designarunt, nec veras eventuum causas attingere, aut circumstantias prosequi potuerunt. Eo etiam quidam devenerunt, ut ne lacunas propter monumentorum defectum interponerent, ex levissimis conjecturis, quas avide captabant, multa ex arbitrio & magnificas fabulas populares in supplementum addiderint. Deplorabili huic historiæ fato occurrentes Critici recentiores de antiquis monumentis diligenter colligendis fuerunt solliciti, & quamvis Numismata, & Inscriptiones ex aliqua parte sibi prodesse senserint, tamen in diplomatibus potissimum immorari satius duxerunt. Numismatum enim, & Inscriptionum obtruncata verba, & symbolica signa interdum nova movent dubia, potius quam solvant antiqua. At stilus in diplomatibus rem omnem exprimens eamque appositis circumstantiis illustrans, certam, & exploratam facit. Igitur ope in primis diplomatum Antiquitates præsertim medii ævi illustratæ fuerunt, & rerum veritas, cui præjudicatæ authorum opiniones, & populares fabellæ tenebras offuderant, in suo candore renituit.

Hæc eo consilio prosequor, ne forte cuipiam videatur meum hunc qualemcunque in Venetas Ecclesias conatum antiquis documentis onerari plus justo. Numquam

quam in hoc mihi temperandum putabo, cum omnes intelligant a veſtigiis Clariſſimorum Virorum, quos ſupra commemoravi, non eſſe recedendum, ſi nobis propoſitum ſit illud ipſum aſſequi, ad quod illi fauſto omine pervenerunt. Atque in hac quidem Decade IV. conſilii mei rationem a Lectoribus non improbatum iri confido. Nimirum ope diplomatum integram Gradenſium Patriarcharum qui apud Venetam Divi Silveſtri Eccleſiam ſedem habuerunt ſeriem exequor, & hac veluti face uſus tenebras quasdam diſcutio, quas Clar. V. Ferdinandus Ughellus ex documentorum inopia non diſpulerat. Nec tamen ex hoc tanti viri meritis per me vel minimum detrahitur; ſed ingentis operis, quod aſſumpſerat, amplitudine ad tot, & tam diſſita loca diſtractus non omnia colligere potuit, quæ eſſent in rem ſuam opportuna. Fortaſſe & illi contigit, quod mihi quotidie fruſtra conquerenti infeliciter accidit. Nimirum plurimi, quorum magni intereſt Eccleſias ſuas illuſtrari, vel aliis curis diſtenti, vel, quod ſuſpicari nolim, ſupina inertia immobiles ne digitum quidem juvando operi admovere volunt. Utcumque res ſe habeat, ut ad Ughellum revertar, quosdam ille Gradenſes Patriarchas omiſit, quosdam temporibus ſuis non affixit, & hinc, quod uni fuerat tribuendum, alteri perperam tribuit. Diplomata, quæ datum eſt mihi invenire, lacunas implent, Præſules recto ordine digerunt, & facta ſuis quæque temporibus certo adſcribunt. Hunc ipſum a diplomatibus fructum colligere ſpero, cum chronologiam adoriar Epiſcoporum, qui Caſtellanæ, & Torcellanæ Eccleſiæ præfuerunt, & Præſidum, qui ſub Primicerii

cerii titulo in Ducali Divi Marci Templo deinceps clarissimam dignitatem obtinuerunt. Sed de his alibi.

Interim fateor incredibili me voluptate in ipso labore perfundi, dum nova aliqua Veritas a ruderibus quodammodo excitata palam fit, & resultat. Quam tamen voluptatem multo magis ea augent, quæ Civium erga Cælites pietatem accendunt, & ferventiori cultui stimulos admovent. Occurrit in hac ipsa IV. Decade mentio de duplici Deiparæ Matris Imagine miraculis clara. Utraque eodem tempore nempe circa finem Sæculi XV. utraque in eadem ferme Urbis vicinia, utraque in domibus ad eandem piam, & illustrem familiam Amadam spectantibus singulari Virginis beneficio concessa fuit. Hinc Dei Genitricis amor in nostram hanc urbem, qui in ipsis exordiis adeo emicuit, & singulis deinde sæculis novo aliquo patrocinii argumento constanter effulsit, respectu alicujus speciatim familiæ mirifice commendatur. Hinc singulorum Civium præter publicam pietatem filialis amor, & fiducia erga tantam Adjutricem, atque Patronam. Huic fini obtinendo si vel levem impulsum afferant tenues mei labores, illud assequar libens, quod mihi in primis in hoc opere elucubrando proposui.

IN-

INDEX
QUARTÆ DECADIS.





INDEX
QUINTÆ DECADIS.



DE



DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI SILVESTRI PAPÆ.

AB ipsis fere Venetæ Urbis exordiis deducenda est Ecclesiæ Sancti Silvestri antiquissima origo, atque inter illas recensenda, de quibus ait Dandulus in Chronico lib. v. cap. x. " His sedatis invasionibus plurimi profugorum ad primiora domicilia redierunt, " cœteri vero de recidivatione dubitantes in insulis remanserunt & Ecclesias plurimas secundum eorum devotiones successive construi fecerunt: " Hoc potissimum ex eo arguitur quod anno 884. ab illius Cleri gremio ad Patriarchales Gradenses Infulas post obitum Petri Marturii assumptus fuit Victor hujus nominis secundus Venetus Ursonis Participatii filius, qui sedit annis XVI. mensibus XI. diebus XIII. sepultusque fuit in Gradensi Civitate ante Ecclesiam S. Eufemiæ.

Erectam fuisse hanc Ecclesiam ab Andreardis, seu Juliis, quorum Familia defecit circa annum 1226, asserit Sansovinus; verum Anonymus Rerum Venetarum Cronologus, qui sæculo XIII. floruit circa annum 1205. hæc de ejus fundatoribus ait: " Auspiaci, Batioculum, & Vitrinaci, & Flabianici, & Bennati, & " Colloprini toti isti fecerunt duas Ecclesias unam ad honorem

„ Sancti Silvestri Papæ, & aliam ad honorem S. Paterniani,
„ & dederunt in eis Ecclesiis multitudinem terreni sive aurum, sive argentum, & omnem Ecclesiasticum indumentum
„ pro salute animarum suarum.

Adjacebat huic Ecclesiæ Capella quædam, quæ ut ex antiquis documentis constat, Capella *Omnium Sanctorum* nuncupabatur, interdum etiam *S. Joannis sive Omnium Sanctorum*, & etiam *S. Mariæ Patriarcharum & Omnium Sanctorum* titulo insigniebatur. Hæc ut ipsi S. Silvestri Templo adhærebat, ita & Plebani regimini subjacebat, qui propterea Plebani, & Prioris gemino titulo decorabatur. Perduravit Sacellum Ecclesiæ adnexum usque ad sæculum xv. quo ad finem vergente Aloysius Bagattus Plebanus & Prior, ut ampliori spatio Templum dilataretur in ipsius Sacelli situ (ut mox dicendum erit, ubi de Plebanis verba facienda erunt) Sacellum majus extrui statuit, quod opus magnificum quidem & ornatissimum Andreas de Thebaldis ejus successor compleri curavit.

Ecclesiæ Parieti nunc etiam infixa visitur marmorea epigraphes, quæ consecrationem ad Alexandro III. Romano Pontifice dum Venetias degeret peractam fuisse testatur, quæ tamen ad antiquum *Omnium Sanctorum* Sacellum, non ad Divi Silvestri Ecclesiam pertinere, ex ipsius inscriptionis verbis colligitur.

„ Ad honorem Beatæ Mariæ Patriarcharum, & Omnium
„ Sanctorum, consecrata fuit Ecclesia ista per D. Alexandrum
„ Papam III. die primo Mensis Novembris in Festo Omnium
„ Sanctorum MCLXXVII.

Circa annum 1422. reædificatam, atque a Joanne Delphino Patriarcha Gradensi consecratam fuisse ex antiquis documentis mox afferendis edocemur, quibus Marcus Landus anno 1422. facultatem Joanni Patriarchæ concessit, ut Ecclesiæ S. Silvestri nuper reædificatæ consecrationis munus impenderet. Solemnem consecrationis diem marmori insculpi jussit Franciscus Sala Plebanus anno 1650.

„ Hujus Ecclesiæ Consecrationis dies solemniter singulis an-
„ nis celebratur XXIV. Augusti: Francisco Sala Plebano Anno
„ Domini MDCL.

Ab immemorabili tempore adjacentium Ecclesiarum Matricem fuisse constat, eamque dignitatem Gradensium Conciliorum authoritas

ritas illi confirmavit; in cujus rei testimonium adhuc in vetustissimo rituali pergameno ad cæremonias Sabathi Sancti deputato hæc leguntur:

„ In Christi nomine amen. Notandum quod subditi baptismalium ecclesiarum ire debent ad ipsas ecclesias sabbato sancto „ sub pena quinque librarum ut habetur in conciliis celebratis „ per dominos patriarchas gradenses & episcopos castellanos in „ hunc modum: Item cum baptismales ecclesie debeant per eo- „ rum subditos honorare & ipsi subditi ad ipsum baptismum „ cum ceteris in sabato sancto pro ipso baptismo & cereo ac „ novo igne benedicendis singulis annis ad ipsas ecclesias baptis- „ males insimul convenire. Et aliqui qui ad predicta tenentur ut „ fide digna relatione percepimus contumaciter licet requisiti di- „ cta die ut supra ad dictas baptismales ecclesias convenire con- „ tempnant predictis subditis & eorum cuilibet ad predicta soli- „ tis convenire sub quinque librarum denariorum Venetorum „ parvorum per quemcunque contra formam presentis concilii „ venientem plebano seu archipresbitero, aut prelato illius ba- „ ptismalis ecclesie ad quam convenire neglexerint converten- „ dam districte precipiendo mandamus auctoritate nostri concilii „ quatenus singulis annis cum eorum cotis ut moris est in di- „ ctis baptismalibus ecclesiis pro predictis adimplendis studeant „ dicta die Sabbati Sancti omni modo convenire nisi fuerint im- „ pedimento vel a plebano seu archipresbitero vel prelato ipsius „ baptismalis Ecclesie super hoc absoluti. Item notandum quod „ capitulo cui continget officium in illo anno mandamus por- „ tare omnia preparamenta Videlicet & quilibet presbiter debet „ habere unum panem octo denariorum absentes vero nichil re- „ cipiunt & cadunt de sacramento & in pena quinque libr. par- „ vorum pro quolibet. Item damus unum panem octo dena- „ riorum cantantibus tractus & prophetias pro quolibet.

„ *Infrascripte Ecclesie tenentur venire ad Sanctum Silvestrum.*

„ Sanctus Bartholomeus, Sanctus Salvator, Sanctus Lucas, „ Sanctus Paternianus, Sanctus Cassianus, Sanctus Cantianus, „ Sanctus Mattheus, Sanctus Jacobus, S. Agatha, Sanctus Augu- „ stinus, Sanctus Paulus, Sanctus Stephanus Confessor, Sanctus „ Thomas, Sanctus Panthaleon, S. Margarita.

De hoc Matricis Ecclesie titulo aliqua in Plebanorum serie, ubi de Andrea de Thebaldis Plebano sermo erit, afferentur.

Anno 1153. instituta fuit in ea Ecclesia Presbyterorum Congregatio ejusdem Sancti Pontificis Silvestri titulo insignita, quam supralaudatum Alexandrum Pontificem indulgentiis, aliisque Apostolicis gratiis cumulasse testatur prooemium, quod ejus Congregationis Constitutionibus praefigitur, quibuscum vulgatum fuit typis Petri Milochi Venetiis anno 1639. " Quare id
" secuti Majores nostri, & Divina vi impulsi sub D. Sylve-
" stri nomine anno Dominicae Incarnationis quinquagesimo
" tertio supra millesimum & centesimum mense Decembri,
" Pontificatus Eugenii III. anno primo Fraternam istam Con-
" gregationem erexere, quam postea Alexander III. ad Ponti-
" ficatus apicem evectus A. D. 1166. Apostolicam Sedem san-
" ctissime tenens annos unum & viginti rescriptis, & indul-
" gentiis Apostolicis confirmavit, & decoravit ipsam rationa-
" bili providentia ordinatam & canonice dispositam esse de-
" clarans, cum ob eam potissimum causam instituta fuerit, ut
" certis temporibus Sacerdotes ipsi convenirent ad Dei ipsius
" & Salvatoris Nostri Jesu Christi laudes celebrandas mone-
" remurque non ad questum, & lites, sed ad status solempnes-
" que ceremonias, ad veri Dei cultum congregatos esse.

Summa cum devotione asservantur ad ipsius Ecclesiae Altaria Spina ex Corona D. N. J. C., nonnulla Ossa Sanctorum decem millium Martyrum, Ossa aliqua Sanctorum Infantium Bethleemitarum, & pars Cranii S. Barnabae Apostoli.

Ecclesiam hanc cum aliis Venetae Dioecesis ab Innocentio III. Patriarchae Gradensis jurisdictioni attributam asserit Ughel. in Ital. Sac. Tom. v. col. 1134. ubi & ejusdem Pontificis Apostolicum affert Diploma, quo easdem Venetas Ecclesias atque aliam Constantinopolitanae ditionis ipsi Patriarchae *sicut eas juste possidebat* Apostolica authoritate confirmat, ex quibus profecto verbis, quae confirmationis potius quam donationis sensum important manifeste patet, eas a remotiori aevo in jus Patriarcharum Gradensium devenisse. Juris hujus antiquissimi veritas evidentissime ostenditur ex variis iisque autographis documentis, quos tum ex Patriarchali, tum ex altero Ecclesiae S. Silvestri Archivis datum est depromere, & in lucem efferre. Horum primum investitionis, & confirmationis instrumentum est, quo Dominicus Marengo Patriarcha Gradensis anno 1069. mense Januarii Vitalem Morarium Presbyterum investivit & con-

& confirmavit *Plebanum & Priorem in Basilica S. Silvestri, quæ erat de sinu Sanctæ Matris Gradensis Ecclesiæ per jus, & possessionem ab antiquis temporibus*, ut ibidem *Plebanus & Prior* existeret ad ordinandum & disponendum, atque meliorandum omnia; Eapropter non suppellectiles tantum & bona mobilia ipsius Ecclesiæ, sed & immobilia *terras, casas, vineas, salinas*, insuper & Ecclesiam *S. Joannis sive Omnium Sanctorum cum tota sua cella & domo* cumque *universis censis & quintellis sicut suis precessoribus tradita fuerant* in ipsius Vitalis Plebani electi potestatem tradidit. Confirmationis hujusce tabulas Patriarcha mandante rogavit Tinus Clericus & S. Michaelis Archangeli Ecclesiæ Plebanus. (A) Altero autem donationis, seu verius venditionis instrumento eodem anno in mense Februarii confecto idem Patriarcha *quandam petiam de terra de infra vinea de Ecclesia S. Sylvestri, quæ Ecclesia est de jure, & possessione Patriarchatus Gradensis* Dominico & Joanni Fratribus Barucciis dedit, & certo statuto censu transactavit ex eo, quod prius ipsi dederant *in Patriarchatu libras denariorum quadraginta*, quas ipse Patriarcha *in restauratione de Domo Majore* Cathedrali nempe Ecclesia Gradensi miserat. Patriarchalem concessionem in publica acta redegit Saturninus Presbyter Notarius, & Ecclesiæ S. Cassiani Plebanus superenuntiato anno 1069. Mense Februarii, quibus itidem anno & mense Andreas S. Canciani Presbyter & Notarius Dominici Baruccii promissionem rogavit, qua se libras quinque olei pro censu annuatim in festo S. Silvestri persolvendas teneri fatetur (B). Alias hujus vineæ portiones statuto ad Ecclesiam S. Silvestri annuo censu aliis concessisse Dominicum Patriarcham ex documentis autographis edocemur quorum unum tres, alterum vero duas libras olei Ecclesiæ S. Silvestri solvendas annuatim in ipsius Divi festivitate significat (C). Census hosce a Patriarchis Gradensibus in terrarum concessione institutos in jus Plebanorum transierunt, siquidem & supradicti Dominici Baruccii successores, & alii, qui ad ipsorum censuum solutionem tenebantur, ut ex nonnullis instrumentis in serie Plebanorum afferendis apparet, ad ejusdem Ecclesiæ Plebanos vel oleum, vel olei statutum pretium exsolverunt.

Cum vero Patriarchale palatium apud ejusdem Ecclesiæ aream situm incoluerint Gradenses Præsules, non abs re fore puto

ali-

aliqua de iisdem Patriarchis ibi degentibus addere, quæ in Ughello prætermissa ipsorum Præsulum seu seriem, seu gesta ex parte illustrabunt. Incompertum autem cum sit omnino quo tempore apud S. Silvestrum sedes fixerint, ad eam puto tempestatem incolatus hujusmodi initia referenda, quando ex Poponis Patriarchæ Aquilejensis nefando scelere Gradensis Civitas Ecclesiis, & Monasteriis dirutis ad desolationem redacta est, cujus quidem calamitates fuse enarrat Andreas Dandulus Dux in Chronico lib. IX. cap. 2. part. XII. & sequentibus.

„ Eodem anno (nempe Othonis Ducis anno IX. Christianæ „ vero salutis 1018.) cum inter Venetos gravis discordia orta „ usque adeo perducta esset, ut Dux & Frater ejus Patriar- „ cha Gradensis (*Otho nempe & Ursus Ursioli*) relictis pro- „ priis sedibus, apud Istriam exulare coacti forent; Popo Pa- „ triarcha Aquilejensis Gradum adiit, petens recipi adjutorem „ Fratris sui Patriarchæ, & amici sui Ducis, cui cum nollent „ acquiescere, per decem octo suorum Sacramenta firmavit, „ quod ad salvam faciendam illis Civitatem intraret. Ubi post- „ quam intratum est Ecclesias, & Monasteria diruit, Sancti- „ moniales violavit, thesauros abstulit, & Civitatem licet de- „ stitutam, munitam suis reliquit.

„ Addens quoque iniquitatem super iniquitatem, Popo Nun- „ tios suos mittit Ecclesiæ Gradensis tacita veritate privile- „ gium obtinuit, adjecta hac conditione, *sicut* juste & canoni- „ ce sibi pertinere dignoscitur.

„ Interea Veneti deceptionis perfidiam experti, Ducem, & „ Patriarcham repatriare statuunt, & eis sedes suas restituunt, „ & cum exercitu ad expugnandum Gradum ire decreverunt. „ Quo peracto Dux cum Patriarcha illuc properat, & Civita- „ tem impugnant. Custodes autem formidulosi effecti Civita- „ tem reddunt, quam Dux fortiliciis reparavit, & Ecclesias „ diruptas renovavit, ut in portis præsentialiter scriptum Epi- „ taphium ait:

„ *Has portas jussit Otto Dux nectere ferro.*
„ *Pondere pro ferri capiat sibi præmia Regni.*

Supralaudati vero Fratres *Otho* Dux, atque *Ursus* Patriarcha diu in pacifica dignitatum suarum possessione perstiterunt, donec ex mobilis vulgi levitate exortæ sunt turbæ, & ut refert

Dan-

Dandulus: *Finitis a Ducis exordio annis decem septem auctore Dominico Flabanico Dux tonsa barba in exilium Constantinopolym mittitur, & Ursus, ut suspectus de Sede repelitur.* Cum vero in locum ejecti Othonis suffectus fuisset Dux Petrus Barbolanus, Venetus populus quarto regiminis anno ipsum amovit, & Othonem Ursiolum in pristinam dignitatem restituit. In cujus absentia Ursum Patriarcham virtute, & magnanimitate perspicuum Urbis regimini præficiunt, donec redeuntibus Legatis, qui ad Othonem revocandum Constantinopolim destinati fuerant, cum mortuum enuntiassent, Patriarcha ejus Frater qui justissime Ducatum rexerat suæ Ecclesiæ regimini redditur. Hanc Venetiis administrasse ex eo instrumento colligitur, quod Tom. x. Ital. Sac. col. 76. affertur in Episcopis Equilinis, quodque *Rivoalti* datum dicitur *anno* 1044. *mense Februarii*, quæ chronica nota ad Venetum morem reduci debet ex Indictione XIII. adjecta unde annus erit 1045. De hujus Præsulatus tempore diversimode loquutum fuisse Dandulum patet ex ejus Chronico in Rerum Italicarum Tom. XII. allato, ubi enim translationem ejus ad Patriarchalem Sedem enarrat, in ea sedisse asserit annis XXVII. mense uno, diebus XV. ubi vero obitum signat, vixisse ait annis XXXVII. diebus XV. quod sane tempus de Patriarchatus duratione intelligere oportet; secus anno ætatis suæ X. dicendum esset Patriarchalem Sedem ascendisse, quod absurdum est, præsertim cum antea per aliquot annos Torcellanam Sedem administraverit. Inverisimile vero cum sit præclarum Virum in palmarem hunc errorem lapsum fuisse, proinde ex accuratiori ms. corrigendum erit ipsius Chronicon typis excusum. Ursus deinde, Ecclesia sua optime administrata, migravit a sæculo, Vir æque prudens ac probus, de quo in antiquissimo Chronico ms. quod Joanni Sagornino ab aliquibus tribuitur, hæc habentur. *Iste* (Ursus) *sic officium gerens Clericatus, quo haud immerito queat dici Clericorum decus.* Ipsi non multo post Dominicus Bulcano Sancti Marci Capellanus successit, qui septimo ab electione ejus die obiit.

Dominicus Marengo Venetus in ejus locum subrogatur. Pallium, & Privilegiorum confirmationem a Leone IX. accepit non Vercellis anno 1050. ut asserit Ughellus, sed Romæ anno 1057. in Concilio ibidem coacto, ut videre est in Epist. XL. supra-

supralaudati Pontificis Tom. xi. Conciliorum Venet. edit. col. 1340. ubi Dominicum Gradensem Romano Concilio interfuisse memoratur. Eo Ecclesiam Gradensem administrante Dominicus Sylvius Venetiarum Dux Patriarchalis Sedis inopiam miseratus, ipsi nonnulla bona & donavit, & confirmavit Ducali Diplomate dato mense Septembris anno 1074. Indict. vi. quod inter antiquit. Medii Ævi retulit Cl. Vir Ludovicus Muratorius Tom. i. pag. 243. Virum pium fuisse ex eo arguitur, quod ipsum jam defunctum Gregorius VII. Patriarcham beatæ memoriæ appellavit, cujus opera usus fuerat apud Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum ut tolleret Græcorum schisma, prout testatur in Epistola xviii. data Albani septimo Idus Junii Indict. xi. (anno Christi scilicet 1073.) *Confratrem nostrum Dominicum Patriarcham Venetiæ ad vos studuimus mittere*. Eum vero Venetiæ Patriarcham nominat vel ob Metropolitanam in Provincia Veneta jurisdictionem, vel ob domicilium jam in ipsa Venetiarum Urbe firmatum.

Dominicus Cerbonus Venetus Marengo successit, cujus electionem Dandulus post Concilii Romani celebrationem anno 1075. factam recenset. Pro eo refert Ughellus Gregorium VII. Pontificem Maximum commendatitias epistolas Dominico Sylvio Duci Venetiarum dedisse, ut ex publica liberalitate, angustiæ, quibus gravabatur Patriarchatus Gradensis, ex parte levarentur. Datæ fuerunt epistolæ Romæ pridie Kalendas Januarii (die 31. Decembris) Indictione xiii. quæ Indictio ad annum Christi 1075. referenda est, si a Januarii mense incepisse dicatur; cum vero, ut Cl. V. Benardus Maria de Rubeis optime adnotavit in sua eruditissima dissertatione de sententia Henrici Danduli Patriarchæ Gradensis, supralaudatus Gregorius Indictiones a mense Septembri inchoare consueverit, ejus Epistolam Duci Venetiarum datam ad annum Christi 1074. pertinere dicendum est.

Refert Dandulus lib. ix. cap. ix. part. v. anno circiter Vitalis Phaledri X. Dominicum Cerbonum Patriarcham e vivis excessisse, ipsique inde successorem fuisse Joannem Saponario, qui paulo post apud Constantinopolim vita cessit; inque ejus locum asserit subrogatum fuisse Petrum Badoario Nobilem Venetum anno 1094. Porro in Chronicis notis hujusce electionis præclarum hunc Virum, & ex eo deinceps errasse Ughellum ab authen-

tico

tico documento colligitur, *quo anno* 1092. *mense Januarii* ipse Petrus Badoarius Patriarcha Gradensis quamdam *petiam* terræ de jure Gradensis Ecclesiæ positam in loco, quod *Vinea Contra* dicebatur, Monasterio S. Cypriani de Methamauco perpetuo jure concessit; Donationis instrumentum *inter monumenta Ecclesiæ Murianensis S. Cypriani* referendum est, ab *Archidiacono Gradensi* pluribusque aliis subscriptum, & a Joanne Ecclesiæ S. Bassi Plebano & Notario confectum, atque firmatum. Fortasse ad annum 1094. ejus electio rejecta fuit, quia eo anno subscripsit Ducali Vitalis Phaledri privilegio, incolis Lauretanis concesso, quod in Rerum Italic. Tom. XII. affertur col. 251. Emortualis itaque Dominici Cerboni annus, quo etiam labente ejus successor Joannes Saponarius vita cessit, & annus suscepti a Petro Baduario Præsulatus deducendi erunt ab anno Christi 1084. quo ex authentico Archivi Patriarchalis documento manifeste apparet, *mense Julii* Gradensi Ecclesiæ præfuisse Joannem Saponario, cui Stephanus Delphinus, qui se exiguum Presbyterum juxta illius ævi consuetudinem ob humilitatem appellat, electus Episcopus Equilinus fidelitatis & obedientiæ solemne juramentum emisit. (D)

Aliud quoque documentum mentionem ingerit Petri Badovarii; juramentum scilicet solemne, quo Joannes Gradonicus, qui postea ei datus fuit successor anno 1097. ad Equilinam Ecclesiam promotus obedientiam & fidelitatem Gradensi Sedi spopondit. (E)

Ordelaphi Phaledro anno tertio, qui statuendus est 1105. ut refert Dandulus, defuncto Petro Badoario Patriarcha, *Joannes Joannis Gradonici* filius, qui ut superius dicebam anno 1097. electus fuerat Episcopus Equilinus, *a cœtu Cleri, & populi* ad Gradensem Sedem transfertur, cui de more *Dux investitionem contulit* anno 1105. Anno ejus Patriarchatus III. Stephanus Baduarius Electus Methamaucensis ei obedientiæ juramentum præstitit, (F) quo etiam anno Ordelaphus Phaledro Venetiæ Dux, & Imperialis Protosevastos partim compensationis, partim vero liberæ donationis causa Patriarchatui Gradensi in perpetuum possidendam obtulit *Ecclesiam Beati Archidani cum omni suo Territorio, & beneficio positam* in regali Urbe Constantinopoli, quæ Ecclesia jampridem erat de jure & possessione Veneti Ducalis Palatii; cui Ducali Diplomati dato *mense*

Septembris anno 1107. nomina sua apposuerunt omnes (exceptis Clodiensi, & Equilino) Venetæ Provinciæ Episcopi, plurimique alii tum Ecclesiastici, tum sæcularis status nobilissimi testes. Hujus Sancti Archidani Ecclesiæ mentionem ingerit Carolus Dufresn. in sua Constantinopoli Christiana pag. 81. Venetæ editionis, ubi ipsam variis Sancti Achindani, Acridani, Achydini nominibus appellatam fuisse asserit, germanoque nomine S. Acyndani nuncupari debere. (G)

Die deinde XXIII. mensis Septembris sequentis anni 1108. ipse Joannes Patriarcha de Ecclesiarum cultu sollicitus Monachis S. Cypriani de Methamauco, quorum Monasterium quotidiano terræ subsidentis defectu imminuebatur, facultatem concessit juxta consilium, & collaudationem suorum Episcoporum, *ut prædicti Monasterii transmutationem facerent* infra Venetæ Provinciæ terminos, ubicunque proprium Territorium datum fuisset. Huic concessionis Diplomati, quod inter documenta Monasterii S. Cypriani de Muriano Deo dante proferetur, subscripserunt Joannes Caprulensis, & Joannes Julianus Civitatis Novæ Episcopi. Anno 1117. etiam mense Septembri a Dominico Aurio Ecclesiæ Caprularum Præposito solemne obedientiæ juramentum accepit. (H)

Joanne defunto, Henricus Dandulus *ex Patre Dominico ætate juvenis, moribus, & scientia circumspectus Patriarcha efficitur. Hic ab Innocentio Papa vocatus Pisas ad Concilium celebrandum accessit, & ab illo Patriarchalis Sedis in Grado, & usus Pallii & delationis Crucis ante se confirmationem obtinuit.*

Hic Ecclesiam S. Georgii in littore Pinetæ Diœcesis Aquilejensis sibi subditam Fratribus Cisterciensis Ordinis concessit: quod Innocentius Papa Danieli constituto Abbati supplicanti benigne confirmavit.

Hactenus in suo Chronico Dandulus, qui electionem Henrici contigisse refert anno secundo Petri Polani scilicet 1131. quandoquidem Petrus in Ducem assumptus est anno Domini 1130. Hinc Ughellus ibi est corrigendus, ubi Venetus adnotator Henrici successionem in annum circiter 1134. transfert.

Vigesimo quarto sui Præsulatus anno, scilicet æræ vulgaris 1155. suscepit Henricus a Leonardo, seu verius a Bernardo Cornario oblationem fundi in Rivoalti Insula positi, in quo deinde ipse, aliique in vicinia Ecclesiam in honorem S. Matthæi

thæi Apostoli construxerunt, quæ a sui origine Parochialis effecta Patriarchatui Gradensi subjecta fuit, ipsius autem concessionis documentum adducetur, ubi de Ecclesia ipsa S. Matthæi. Præclaram inde hujusce Antistitis memoriam ingerit Vitalis Michaelis Ducis Veneti Privilegium anno 1166. datum die 28. Junii, quo prælaudatus Dux de Henrici Patriarchæ Gradensis consilio fatetur, se Arbensi populo privilegia concedere, quæ in ipso Privilegio Tom. XII. Rerum Italicarum col. 289. additionibus inserto late continentur.

Anno humanæ salutis 1161. die 15. Junii Alexander hujus nominis Papa III. præcessorum suorum Privilegia Ecclesiæ Gradensi concessa novo, eoque amplissimo Diplomate confirmavit (I).

Evolutis inde aliquot annis Aurio Mastropetro Venetiarum Duci ipse Pontifex anno 1178. commendatitias litteras dedit, quibus de transferenda ad Venetiarum Urbem Gradensis Patriarchatus Sede ipsum Ducem etiam, atque etiam hortabatur (K).

Simile admodum vero videtur ex hujus epistolæ verbis ab ipso anno 1179. repetenda esse certiora Patriarchalis incolatus apud S. Silvestrum initia, in qua tamen Ecclesia jus institutionis antiquitus habuisse Patriarchas Gradenses ex suprarelatis manifestissime apparet. Ex eo itaque tempore tum Romani Pontificis, tum Veneti Ducis accedente consensu, Patriarchale Divi Silvestri Palatium Gradenses Antistites habitare cœperunt ad obitum usque Dominici Michaelis novissimi Patriarchæ, in cujus locum, assumpto ex Nicolai V. concessione Patriarchæ Venetiarum titulo, ingressus est Divus Laurentius Justinianus Episcopus Castellanus. Ejus tamen Palatii portionem datis die XI. Aprilis anni 1182. publicis tabulis (L) ipse Henricus Plebano S. Silvestri ejusque successoribus pleno jure concessit, assignatisque terminis eam de jure esse ipsius Ecclesiæ declaravit; indeque tertia ab hujusmodi concessione transacta die electionem Dominici Minotto in Plebanum Ecclesiæ S. Silvestri factam confirmavit, ipsumque Dominicum in Plebanatus, & Plebanitiæ stationis possessione locari decrevit, (M) qui postea eodem anno mense Decembri solemne obedientiæ juramentum Antistiti suo præstitit; pollicitus se in posterum die S. Silvestro sacra Patriarcham honorifico prandio esse excepturum. (N)

Septembris anno 1107. nomina sua apposuerunt omnes (exceptis Clodiensi, & Equilino) Venetæ Provinciæ Episcopi, plurimique alii tum Ecclesiastici, tum sæcularis status nobilissimi testes. Hujus Sancti Archidani Ecclesiæ mentionem ingerit Carolus Dufresn. in sua Constantinopoli Christiana pag. 81. Venetæ editionis, ubi ipsam variis Sancti Achindani, Acridani, Achydini nominibus appellatam fuisse asserit, germanoque nomine S. Acyndani nuncupari debere. (G)

Die deinde XXIII. mensis Septembris sequentis anni 1108. ipse Joannes Patriarcha de Ecclesiarum cultu sollicitus Monachis S. Cypriani de Methamauco, quorum Monasterium quotidiano terræ subsidentis defectu imminuebatur, facultatem concessit juxta consilium, & collaudationem suorum Episcoporum, *ut prædicti Monasterii transmutationem facerent* infra Venetæ Provinciæ terminos, ubicunque proprium Territorium datum fuisset. Huic concessionis Diplomati, quod inter documenta Monasterii S. Cypriani de Muriano Deo dante proferetur, subscripserunt Joannes Caprulensis, & Joannes Julianus Civitatis Novæ Episcopi. Anno 1117. etiam mense Septembri a Dominico Aurio Ecclesiæ Caprularum Præposito solemne obedientiæ juramentum accepit. (H)

Joanne defuncto, Henricus Dandulus *ex Patre Dominico ætate juvenis, moribus, & scientia circumspectus Patriarcha efficitur. Hic ab Innocentio Papa vocatus Pisas ad Concilium celebrandum accessit, & ab illo Patriarchalis Sedis in Grado, & usus Pallii & delationis Crucis ante se confirmationem obtinuit.*

Hic Ecclesiam S. Georgii in littore Pinetæ Diœcesis Aquilejensis sibi subditam Fratribus Cisterciensis Ordinis concessit: quod Innocentius Papa Danieli constituto Abbati supplicanti benigne confirmavit.

Hactenus in suo Chronico Dandulus, qui electionem Henrici contigisse refert anno secundo Petri Polani scilicet 1131. quandoquidem Petrus in Ducem assumptus est anno Domini 1130. Hinc Ughellus ibi est corrigendus, ubi Venetus adnotator Henrici successionem in annum circiter 1134. transfert.

Vigesimo quarto sui Præsulatus anno, scilicet æræ vulgaris 1155. suscepit Henricus a Leonardo, seu verius a Bernardo Cornario oblationem fundi in Rivoalti Insula positi, in quo deinde ipse, aliique in vicinia Ecclesiam in honorem S. Matthæi

thæi Apostoli construxerunt, quæ a sui origine Parochialis effecta Patriarchatui Gradensi subjecta fuit, ipsius autem concessionis documentum adducetur, ubi de Ecclesia ipsa S. Matthæi. Præclaram inde hujusce Antistitis memoriam ingerit Vitalis Michaelis Ducis Veneti Privilegium anno 1166. datum die 28. Junii, quo prælaudatus Dux de Henrici Patriarchæ Gradensis consilio fatetur, se Arbensi populo privilegia concedere, quæ in ipso Privilegio Tom. XII. Rerum Italicarum col. 289. additionibus inserto late continentur.

Anno humanæ salutis 1161. die 15. Junii Alexander hujus nominis Papa III. præcessorum suorum Privilegia Ecclesiæ Gradensi concessa novo, eoque amplissimo Diplomate confirmavit (I).

Evolutis inde aliquot annis Aurio Mastropetro Venetiarum Duci ipse Pontifex anno 1178. commendatitias litteras dedit, quibus de transferenda ad Venetiarum Urbem Gradensis Patriarchatus Sede ipsum Ducem etiam, atque etiam hortabatur (K).

Simile admodum vero videtur ex hujus epistolæ verbis ab ipso anno 1179. repetenda esse certiora Patriarchalis incolatus apud S. Silvestrum initia, in qua tamen Ecclesia jus institutionis antiquitus habuisse Patriarchas Gradenses ex suprarelatis manifestissime apparet. Ex eo itaque tempore tum Romani Pontificis, tum Veneti Ducis accedente consensu, Patriarchale Divi Silvestri Palatium Gradenses Antistites habitare cœperunt ad obitum usque Dominici Michaelis novissimi Patriarchæ, in cujus locum, assumpto ex Nicolai V. concessione Patriarchæ Venetiarum titulo, ingressus est Divus Laurentius Justinianus Episcopus Castellanus. Ejus tamen Palatii portionem datis die XI. Aprilis anni 1182. publicis tabulis (L) ipse Henricus Plebano S. Silvestri ejusque successoribus pleno jure concessit, assignatisque terminis eam de jure esse ipsius Ecclesiæ declaravit; indeque tertia ab hujusmodi concessione transacta die electionem Dominici Minotto in Plebanum Ecclesiæ S. Silvestri factam confirmavit, ipsumque Dominicum in Plebanatus, & Plebanitiæ stationis possessione locari decrevit, (M) qui postea eodem anno mense Decembri solemne obedientiæ juramentum Antistiti suo præstitit; pollicitus se in posterum die S. Silvestro sacra Patriarcham honorifico prandio esse excepturum. (N)

Post hæc Marcus Nicola qui e Plebanatu S. Silvestri ad Castellanam Sedem evectus fuerat, cum justas Dominici petitiones benigne excepisset *quartam partem de proventibus decimationum qui de Parochia sua provenire solebant integram & illibatam* ei concessit, ut ipsi deinceps & successoribus suis liceret *servato jure Castellanæ Ecclesiæ* ipsam quartam partem percipere, *& inter clericos suos prout meritum* illorum agnosceret dispensare. Episcopalem Marci concessionem anno 1184. mense Novembrio in publicas tabulas per Petrum Aicardum S. Apollinaris Plebanum & Notarium redactam Henricus Dandulus Patriarcha authoritate sua confirmavit anno sequenti 1185. mense Julii, cui ne quid roboris deesset Dominicus Plebanus de perpetua ejusdem concessionis duratione sollicitus supremam Apostolicæ authoritatis confirmationem ab Urbano III. impetravit. (O)

Optimi Patriarchæ pietatem testatur religiosa sollicitudo, qua Beatum Bonfilium Justum in fundatione Canonicorum Ordinis apud S. Salvatoris Ecclesiam egregie adjuvit, quæque in ipsius Ecclesiæ enarratione fusius memoratur.

Alia quoque ex Archivo Patriarchali sumpta innotescunt documenta, quæ jurisdictionem Patriarchalis Gradensis Ecclesiæ in Civitatem, & territorium Constantinopolitanæ Urbis testantur. Primum Constantinopoli firmatum, atque completum anno 1183. mense Februarii per Andream Notarium Ecclesiæ S. Canciani Presbyterum promissionem exhibet cujusdam Dominici Jubano, qui pro ergasterio posito Constantinopoli de jure Gradensis Ecclesiæ se Henrico Dandulo Patriarchæ ejusque successoribus spondet quotannis pro censu seu fictu ut ajunt soluturum Hyperpera auri boni veteris ponderis duodecim. (P)

Hyperperum genus erat monetæ aureæ ab Imperatoribus Constantinopolitanis cusæ, quæ constabat scripulis tribus auri, & tertia scripuli parte, ita ut ex uncia auri fierent Hyperpera septem, & superessent partes duæ scripuli in tres divisi, nam uncia erat scripulorum 24. ut Gronovius in additionibus ad librum de Sestertiis apud V. Cl. Sebastianum Pauli Cl. Regul. Matris Dei in *Mantissa Numar. Byzant.* ubi de hocce nummo pro more eruditissime egit. De Hyperperis meminit Innocentius III. in epistola 78. ad annum sui Pontificatus undecimum, & fuse de eis Cangius in *Glossario Med. &*

Inf.

Inf. Lat. ad litteras H. & P. & in Historia Gallo-Byzantina p. 2. 10. 12. 13. duplici pp. designatur. Hyperperum vocatum legimus sequiori sæculo *Perpera:* quod autem additur *veteris ponderis* idem est, ac justi ponderis, prout in aliis documentis invenitur *veteris*, *recti*, *justi ponderis*, quomodo etiam legitur in Historia Belli sacri cap. 22. lib. 18. Wilelmi Tirii, *In centum millibus Hyperpyrorum justi ponderis;* & in alio documento, quo *Joannes Barastro Procurator in Constantinopoli super redditibus Communis Venetiarum* (erat enim tunc temporis tale officium pro Venetis in Urbe Byzantina) se recepisse fatetur a Johanne de Canale pro *terratico*, seu censu cujusdam petiæ de terra Hyperpera auri *recti* ponderis sex. (Q)

Secundum quod extat documentum anni 1184. similem exhibet promissionem de census, seu fictus solutione factam Henrico Patriarchæ Gradensi ab Urso & Leonardo Lisi Hyperperorum recti ponderis decem & novem pro quodam terræ spatio apud Constantinopolim existente: quod utique Instrumentum cum exceptis nominibus eadem quæ primum repetat hic offerre lectoribus superfluum puto.

In eosdem omnino sensus alia quatuor leguntur instrumenta ipso anno 1184. firmata, quæ censum Hyperpyrorum sexaginta quinque continent, ex quibus profecto deducitur non fuisse mediocres Ecclesiæ Gradensis redditus apud Urbem Byzantinam constitutos.

Nonnulla etiam ad hunc Præsulem spectantia videre est in Epistola Benintendi de Ravagnanis Cancellarii Venetiarum a Cl. V. Muratorio Tom. XII. Rerum Italicarum pag. 10. publici juris facta.

Cum vero Ecclesiam Gradensem annis L. rexisset, vita cessit anno 1182. ut habet Ughel. Tom. V. col. 1131.

Joannes e Patritia Familia Signola ipsi subrogatur, cui Clemens Papa III. pallium misit, & Ecclesiæ suæ Privilegia apud Lateranum innovavit.

Huic Cælestinus III. primum, ut refert Ughell. mox Innocentius pariter III. decimas concesserunt Ecclesiæ S. Archidani apud Constantinopolim, cujus concessionis Diploma datum die 3. Maii ipsius Pontificis anno primo profertur in editione Parisiensi Epistolarum Innocentii III. lib. 1. a quo etiam Pontifice mandatum accepit, Ecclesiam S. Bartholomæi Venetiarum

rum jam per Episcopum Castellanum Ecclesiæ S. Salvatoris unitam disjungere, atque authoritate Apostolica separare; ut jam dictum est ubi de ipsa Divi Bartholomæi Ecclesia. Ipsi Joannes de Tumba ad Caprulensem Sedem electus obedientiæ obtulit juramentum. (R)

E vivis excessit Joannes anno circiter 1200. accepta prius a Pontifice Innocentio III. confirmatione antiquæ consuetudinis pronuntiandi in Paschali Sabbathi Sancti præconio nomen Patriarchæ Gradensis ante Laicas potestates, quod ex antiqua disciplina in cæteris Gradensis Patriarchatus Ecclesiis hactenus observatum erat. Datæ fuerunt Pontificiæ Innocentii Epistolæ Plebanis & universo Clero Castellanensis Episcopatus anno 1200. die 20. Aprilis. (S)

Joanne viam universæ carnis ingresso ad Patriarchales infulas sublimatur Benedictus Phaledrus, qui primum fuerat S. Mariæ Jubanico Plebanus, mox Ducalis Basilicæ S. Marci Primicerius anno circiter 1201. ut in marginalibus notis ad Ughellum apparet. Ipsi ad annum 1206. quamplurimi Urbis Constantinopolitanæ Veneti habitatores, qui domos seu terræ spatia Patriarchatus Gradensis apud Constantinopolim posita incolebant, census seu fictus promissiones, vel de novo fecerunt, vel jam factas renovarunt, ex quibus unam tantummodo hic proferre satis erit, cum reliquæ exceptis nominibus & pretiis omnino in idem recidant. (T)

Anno humanæ reparationis 1206. mense Februarii Marinus Geno, seu Zenus pro Veneta Republica Constantinopoli Venetorum Potestas de mandato Petri Ziani *Venetiarum Dalmatiæ, atque Chroatiæ Ducis & Domini quartæ partis, & dimidiæ Imperii Romaniæ*, ut honor Patriarchatus Gradensis Ecclesiæ in melius augeretur, Benedicto Phaledro Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarchæ, Dalmatiæque Primati dedit & in perpetuum possidendas concessit universas scalas & terras vacuas extra mœnia Urbis Byzantinæ positas, & ad Venetiarum Commune pertinentes cum omnibus suis redditibus. In solemni Instrumento, cui ipse cum Venetis Judicibus, & Consiliariis Constantinopoli degentibus subscripsit; ipsarum confinia leguntur, & longitudines, intra quas sita dicitur Ecclesia S. Archidani de antiquo jure, ut superius dictum est, Patriarchatus Gradensis. Concessionis instrumentum Nicolaus Tinto Notarius

San-

Sancti Nicolai Plebanus, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Canonicus rite complevit, & roboravit. (V)

Rem gratam erudito Lectori fore sperans, nomina adjiciam eorum, qui pro bonis Ecclesiæ Gradensis apud Imperialem Civitatem positis certum censum Patriarchatui solvebant. Ex antiquissimo membranaceo documento, quod in Archivo Veneto adservatur, non mediocri labore deducta sunt. (X)

Benedictum Patriarcham e vita migrasse anno 1207. mense Martii ex publicis Instrumentorum tabulis aperte constat; siquidem mense Martio ejusdem anni Alexius, & Theodorus Duracini habitatores Constantinopoli censum seu fictum promiserunt trium hyperpyrorum pro *terratico* unius petiæ de terra de jure Gradensis Patriarchatus. (Y)

Eodem quoque anno mense Augusto Petrus Longus censum solemniter spopondit Angelo Baroccio Patriarchæ Gradensi pro quadam petia terræ sitæ juxta murum Constantinopolitanæ Urbis, quam ei concesserat Pancratius ipsius Patriarchæ Frater *per virtutem unius commissionis cartæ* quam ipsi fecerat *D. Angelus Barroci Dei Gratia Ven. Gradensis Ecclesiæ Patriarcha electus* ipso anno 1207. *mensis Martii sub Indict. X. Rivoalti*. Promissionis instrumentum supracitatus Nicolaus Tinto Plebanus firmavit & roboravit. (Z)

Eo præterea anno Widotus Venereo, & Joannes Barastro mense Septembri, atque mense Decembri Leonardus Vendelino certam census solutionem Angelo Baroccio Patriarchæ Gradensi, vel statuerunt, vel renovarunt. Ex quibus omnibus indubium est anno ipso 1207. qui fuit emortualis Benedicti Phaledri Patriarchalem Cathedram Angelum Baroccium ascendisse; ideoque spongia delendæ sunt marginales chronicæ notæ ad Ughellum col. 1135.

Post Benedictum itaque Patriarcham Angelus Baroccio ordinatus est. Hic erat (ut ait Dandulus) Plebanus S. Joannis de Rivoalto & Capellanus S. Marci. Circa ejus assumptionis tempora, cum ex dissidii occasione inter S. Justinæ Presbyteros exorti Archidiaconus Castellanus gravibus verborum injuriis Patriarcham Gradensem palam lacessisset, Innocentius Papa III. cui per Patriarchæ epistolas irreverentiæ excessus innotuerat, Abbati Sancti Hilarii, aliisque ad hoc specialiter delegatis per Apostolica scripta mandavit: *quatenus inquisita plenius veri-*

veri-

veritate Archidiaconum cogerent pro verborum injuriis, quas eidem Patriarchæ irrogare præsumpserat, satisfacere competenter. Hæc omnia latius ex ipsa Innocentii Epistola declarantur, quæ in lib. x. Edit. Parisiensis Epistolarum Innocentii III. ad annum x. ipsius Pontificatus refertur. Dissidii hujus causam (injurias tamen ab Archidiacono illatas prætermittens) fuse enarrat Glossa in Decretalibus Lib. I. tit. XXIX. cap. XXIX. his verbis: "Inter A. presbyterum & canonicos Sancte Justine controversia vertebatur super canonicatu Sancte Justine. Primo fuit causa commissa ad petitionem canonicorum Sancte Justine Primicerio Gradensi & plebano Sancte Sophie super eo quod idem presbyter se clericum ipsius Ecclesiæ asserebat. Secundo ad petitionem A. presbyteri impetrate fuerunt alie litere archipresbytero Paduano in quibus de prioribus, ut dicebatur, mentio non fieret; tandem archipresbyter Paduanus, quia clerici Sancte Justine non recipiebant illum presbyterum in socium & in fratrem, illos excommunicatos fecit publice denuntiari, postea primicerius & plebanus mandaverunt Patriarche Gradensi, ut dictos clericos denunciaret non esse excommunicatos, cum in secundis litteris de prioribus mentio non fiebat, sed cum Patriarcha exequi vellet mandatum sibi injunctum, archidiaconus Castellanus ipsum impedivit. unde patriarcha archidiaconum illum supposuit ecclesiastico interdicto, propter hoc fuit orta inter ipsos controversia & sic questio delata est ad papam; sed quia non potuit pape de facto ipso plene constare mandat quibusdam judicibus ut super litteris ipsis veritatem inquirant, & si constiterit evidenter quod secunde littere non revocent primas, sententiam latam in Archidiaconum castellanum, usque ad debitam satisfactionem faciant observari. si autem constiterit evidenter quod secunde littere expresse revocent primas, sententiam Patriarche denuncient irritam & inanem cum nullam receperit a primis judicibus qui jam revocati fuerant jurisdictionem.

Ecclesiasticæ jurisdictionis causa & intuitu in ipso ferme Patriarchatus exordio, inter ipsum Angelum Patriarcham, & Marcum Nicolam, qui ex D. Silvestri Plebano electus fuerat Castellanus Episcopus, acre dissidium exoritur. Quod ut rite tolleretur, Innocentius III. Romanus Pontifex Henricum Canonicum

Tar-

Tarvisinum delegatum Judicem designavit; Citatoriæ ab isto datæ Epistolæ per Thomam Diaconum, & Canonicum Castellanum lectæ fuerunt die 6. Decembris anni 1209. in Palatio Patriarchali, ipso Angelo Patriarcha tunc temporis minime comparente. (A 2)

Quæstio, quæ ad annum usque XVI. ejusdem Pontificis protracta fuerat per Apostolica scripta Episcopis Paduano, & Tarvisino, atque Archipresbytero S. Lucæ Venetiarum demandata est, ut intra tres menses, quicquid erat inter diffidentes Præsules controversiæ, dirimeretur. (B 2) Præcipuum tamen quæstionis argumentum de juramento erat, quod electionis suæ tempore Episcopi Castellani deferre tenebantur Patriarchæ Gradensi, ut pote Venetiæ Metropolitano. Cum vero Gradensis Patriarcha (ita Glossa in Decretal. lib. I. tit. XXXIII. cap. XIII.) *juramentum fidelitatis præter formam canonicam, quam alii suffraganei consueverunt præstare suis Metropolitanis* ab Episcopo Castellano exegisset, *Archidiaconus & Canonici Castellani videntes ex hoc Ecclesiæ suæ præjudicium generari, ad Sedem Apostolicam appellaverunt*. Re cognita Gregorius IX. datis ad Angelum Patriarcham epistolis quæ in Decretalibus loco citato relatæ sunt, ei mandavit, *quatenus contentus forma canonica, quam* ipse Pontifex a *coepiscopis sibi immediate subjectis* recipit, *nihil amplius a Castellano Episcopo obtentu alicujus consuetudinis* exigeret *prætextu præstiti juramenti*, atque sciret præterea Apostolicam Pontificis authoritatem *eundem Episcopum ab hujusmodi juramento absolvisse, vel denuntiasse potius non teneri*.

Longius tamen, quam Pontificia Decreta statuerant, res producta est; siquidem anno tantummodo 1230 (Ecclesiæ clavum regente Gregorio hujus nominis IX.) ut refert Ughell. Tom. V. Ital. Sac. col. 1136. per Judices delegatos finem accepit. Pactionis instrumentum in ipso Italiæ Sac. Tom. V. ad Marcum Michaelem Episcopum Castellanum exhibetur.

A supralaudato Gregorio Pontifice, cui ob egregias animi dotes erat in primis acceptus, impetravit Angelus, ut Apostolico Diplomate ipse dignitatis suæ jura tueretur, nempe *ut in reditu suo de Gradu campanæ pulsarentur, & idem in benedictione Pascalis cerei in Castellana Diœcesi deberet nominari*. Pontificium Decretum, ut refert Ughell. Tom. V. col. 1136. Episcopo Vi-

centino ejusque Collegis demandatum fuit III. Nonas Augusti anno 1234. hac conditione, ut in quæstionis negotio *infra quatuor mensium spatium omni occasione, & excusatione cessantibus ratione prævia* procederent, alioquin alii Delegati Apostolici, nimirum.... Decanus, & Henricus dictus Plebanus Tarvisinus, & Thomas Franciscus S. Marci de Venetiis Canonici, quibus per litteras apostolicas mandatum fuerat *in negotio sæpefato juxta traditam formam sublato cujuslibet appellationis, & contradictionis impedimento prævia ratione procedant*. Apostolicæ Gregorii litteræ Decano sociisque ejus datæ fuerunt eodem loco, & tempore *Reate* III. *Nonas Augusti Pontificatus* ejusdem Gregorii *anno* VIII. ut in ipsarum autographo adhuc in Patriarchali Venetiarum Archivo asservato. (C 2)

Interea dum inter hos Præsules jurisdictionis diffidium ardebat, Innocentius III. anno Pontificatus sui XV. utrique per Apostolica scripta mandavit, ut electionem Episcopi *Durachiensis* a Capitulo ipsius Ecclesiæ factam diligenti examine expenderent: eamque si invenirent canonice de persona idonea celebratam, Pontificia authoritate confirmarent, atque electo consecrationis munus impenderent. (Ex Edit. Paris. Epist. Innoc. III. Tom. 2. pag. 54. 9.)

Biennio post Romanus Pontifex Innocentius, cui utriusque Præsulis prudentia, & in rebus Ecclesiasticis scientia innotescebat, ipsis die 8. Aprilis anni 1213. attentam inquisitionem in causa Episcopi Tarvisini commisit, de qua etiam epistolas ad Tarvisinum Capitulum destinavit, quæ omnia fusius in jam enuntiata Epistolarum Innocentii editione recensentur. Eodem anno Innocentius, Signiæ degens, Marchionem Estensem Angelo Patriarchæ commendavit, ut pro eo cum Paduanis reconciliando utilem navaret operam: ipsosque Patavii Cives prius paterne admonitos a Marchionis impugnatione per censuras Ecclesiasticas deterreret. (Ex Edit. Paris. Epist. Innoc. III. ad ann. XVI.)

Innocentii successor Honorius III. anno MCCXIX. die XXV. Novembris Angelo Patriarchæ mandavit ut III. Lateranensis Concilii edictum *de Magistris Theologis per singulas Metropoles statuendis* statutum in Gradensi sibi subjecta Provincia inviolabiliter exequi, & observari curaret, alia insuper ad Ecclesiastica studia promovenda decernens, quæ in ipso Pontificio Diplomate Viterbii dato fuse continentur. (D 2)

Anno

Anno Patriarchalis ejus regiminis XIV. Christi videlicet 1220. cum Constantinopoli ad Fundaci erectionem Jacobus Theupolus Venetorum Potestas portionem aliquam territorii de jure Gradensis Ecclesiæ occupasset, ex quo viginti auri hyperpyra annuatim exigere solebant Gradenses Antistites, solemni instrumento provisum est, ut æqualis pecuniæ quantitas de bonis Communis Venetiarum Patriarchæ solveretur, usque dum de possessionibus, seu redditibus ejusdem Communis eidem Patriarchatui annuatim fructus viginti hyperpyrorum assignaretur. (E 2)

Plurima ab hoc anno ad obitum usque Angeli Patriarchæ supersunt instrumenta, quibus nonnulli Constantinopoleos habitatores census eidem Patriarchæ pro terris, seu domibus de jure Gradensis Ecclesiæ certis conditionibus spoponderunt. Verum his prætermissis non inane esse duco juramenta fidelitatis afferre, quæ suscepti Episcopatus initio ipsi obtulerunt duo Caprulenses, duoque Clugienses Antistites. Anno nimirum 1209. die XXI. Decembris Angelus Marinus Caprularum, anno 1226. die 8. Martii Natalis Caprularum pariter (F 2), atque anno 1235. die XXII. Septembris Dominicus Sylvius Clugiæ (G 2), indeque sequenti anno 1236. die XI. Septembris Wido item Clugiæ (H 2) Electi Episcopi. Ex horum fide documentorum, quæ autographa extant in Patriarchali Archivo, & Angelus Marinus inter Caprulanos, atque Dominicus Sylvius, & Wido inter Clugienses Episcopos in nova Italiæ Sacræ Editione erunt adnumerandi.

Novissimum, quod extat Angeli documentum, ex Archivo Patriarchali deductum, investitionem exhibet Fratris Bellini de Monasterio & Prioratu S. Georgii de Pineto, olim Ecclesiæ Gradensi subjectis, quam concessionem Petrus Dafrinus Presbyter & Notarius exegit. (I 2)

De eo præterea tradit Dandulus lib. X. cap. 4. part. 25. in Chronico una cum Volchero (Guillelmum ipse Dandulus vocat) Aquilejensi Patriarcha ad Concilium Lateranense perrexisse; *in quo arctiores processus contra euntes, vel præstantes subsidia Saracenis, editi sunt, & de mittenda militia Christiana contra illos firmatum est.* Obiit Angelus anno 1238. Jacobi Theupoli Ducis anno nono, in cujus locum successit

Leonardus Quirinus Divi Marci Primicerius, qui anno 1240.

plurimas investitiones agri apud Constantinopolim positi renovavit, quarum nonnulla adhuc remanent instrumenta.

Anno 1244. extremum diem sub Innocentio IV. clausisse asserit additio ad Ughell. Tom. v. col. 1137. Id omnino reprobatur ex autenticis documentis: anno enim 1250. die 28. Augusti Vendraminus Presbyter, & Plebanus S. Archidani Constantinopolitani, in præsentia Thomæ Arimundo tunc temporis Primicerii Gradensis, postea Episcopi Castellani, aliorumque testium, Leonardo Quirino Patriarchæ Gradensi, de cujus jure, ut supra dictum est, erat S. Archidani Ecclesia, solemne Rivoalti præstitit fidelitatis juramentum. (K 2)

Leonardo Quirino defuncto, vel anno 1250. exeunte, vel initio anni sequentis 1251. Laurentius subrogatus est, de quo *præter nudum nomen apud Dandulum* nullam aliam extare memoriam asserit Ughell. Tom. v. col. 1137. attamen anno 1251. ex quodam documento in quo nuncupatur Gradensis electus, apparet eum initio anni 1251. die nempe x. Martii Venetiis, & quidem infirmum degisse. Cum enim ipse Patriarcha Henrico Contareno Ecclesiæ S. Silvestri Plebano præcepisset, *ut quosdam palos in terra quadam ad Ecclesiam S. Silvestri pertinente per eum positos removeri faceret, & insuper poni in arcu positos super quadam terra ipsius Ecclesiæ quosdam trabes, quos inde pro utilitate ipsius fecerat amoveri*; metuens *Plebanus ne hac occasione ipsi Ecclesiæ præjudicium proveniret*, ad Gregorium de Monte Longo Tripolitanum Electum Apostolicæ Sedis eo tempore Venetiis Legatum appellavit. Ex Pontificii Legati decreto L. Abbati Sanctorum Illarii & Benedicti, ejusque in hac re collegis quæstio demandata est, ut *partibus convocatis* causam audirent, & fine debito terminarent. Delegatorum litteras Electum Gradensem ad respondendum & allegandum citantes *ipse dictus Plebanus* vir acris nimium ingenii propriis manibus detulit, & *posuit super lecto in quo jacebat dictus D. Electus coram eo* (L 2). Qualis autem inde prodierit sententia, nos latet.

Laurentio viam universæ carnis ingresso successisse nullo mediante, Angelum Maltraversum Venetum ex Prædicatorum Familia assumptum, docet ex Dandulo Ughellus loco superius citato; Attamen Laurentium inter, & Angelum alium collocandum esse, nempe Jacobum Bellignum, qui ex Archidiaco-

no

no Ecclesiæ Gradensis ejusdem Patriarcha adlectus fuit, vetera, & iterata documenta testantur; Anno enim 1255. die 7. Martii Paschalis Bollani, solemni instrumento per manum Michaelis Adami S. Cassiani Presbyteri, & Notarii roborato, spopondit Jacobo Belligno Archidiacono, qui electus fuerat Patriarcha Gradensis sex hyperpyra auri perfecti ponderis pro quadam *petia* de terra, quæ de jure erat Gradensis Patriarchatus. (M 2)

Pari quoque modo eodem anno die 13. Aprilis Nicolaus Baseglo, & die 7. Junii Paschalis, & Joannes Bernardo annui census solutionem pro terris apud Constantinopolim instrumentis solemnibus promiserunt. (N 2 O 2)

Sæpe sæpius circa hæc tempora Jacobi Belligno nomen invenitur in Ecclesiasticis documentis; anno etenim 1239. in sententia Judicum Provisorum super bona Communis Venetiarum recensetur *Jacobus Belligno Canonicus S. Marci*; anno 1245. in hujus operis Decade I. pag. 328. affertur *Jacobus Belligno Plebanus S. Bartholomæi*, & inde ad annum 1251. ab Ughello Italiæ Sac. Tom. v. col. 1330 exhibetur *Jacobus Belligno Primicerius Sancti Marci*. Utrum hi omnes vel plures fuerint, vel unus, idemque cum eo, qui ad annum 1255. in superius recensitis documentis nuncupatur Jacobus Belligno Archipresbyter, & Patriarcha Gradensis electus, pro certo affirmare non ausim, verosimile tamen est juxta illorum temporum consuetudinem Jacobum per varios Ecclesiasticæ Jerarchiæ gradus ad Patriarchale fastigium ascendisse.

Itaque post Laurentium intermediante Jacobo, qui paucis mensibus sedit, Angelus Maltraverso Venetus in Patriarcham adlectus fuit anno 1255. "Hic in pueritia Ordinem Prædicatorum intravit, & profectus scientia & virtutibus Episcopus Ferrariensis, & postea Archiepiscopus Cretensis ordinatur, nunc vero postulatus, per Alexandrum Papam ad hanc Sedem translatus est, cui Pallium tradidit utendum diebus in Privilegiis suæ Ecclesiæ concessis, additis Dominica in ramis Palmarum, & Festivitate Sanctorum Silvestri & Cantiani, & alia antiqua Privilegia Ecclesiæ innovavit, & Ecclesias, quas Veneti in toto habent Imperio Romaniæ, jam ab Ordinario exemptas, illi subjecit. Concedens insuper quod in qualibet Civitate, ubi Veneti habent plures Eccle-

„ sias, & quorum multitudo illuc conveniat, liceat ibi Episcopum ordinare, & illi munus Consecrationis impendere.

Plura de Angelo Maltraverso apud Ughell. Tom. v. 1137. Eo autem defuncto

Joannes Patria Anconitanus per Gregorium X. ad Patriarchalem Sedem evehitur anno 1272. cui cum præfuisset annis ferre octo e vivis excessit.

Guido ex Ordine Heremitarum anno 1279. assumitur Patriarcha, de quo ea tantummodo scire licuit, quæ Ughell. affert Tom. v. col. 1139.

Laurentius e Prædicatorum Familia post Guidonem Patriarcha renuntiatur a Nicolao IV. anno 1289. Ab Henrico Ordinis Minorum Episcopo Clugiensi juramentum fidelitatis accepit anno 1290. (P 2) Quasdam aquas ad jura Gradensis Ecclesiæ pertinentes in Diœcesi Æquilina positas locavit anno 1292. die III. Maii. (Q 2)

Anno vero 1294. die 20. Martii Fratrem Gulielmum Episcopum Equilinum a vinculo excommunicationis, quo ob inobedientiam tenebatur, absolvit. (R 2)

Obiit deinde anno 1295. De eo Bullarium Ordinis Prædicatorum in appendice ad Nicolaum IV. Pontificem Maximum.

Ægidius ex Prædicatorum Familia Gradensis Patriarcha eligitur 14. Kal. Junii anno 1295. A Bonifacio VIII. qui ejus virtutem probaverat, Privilegium obtinuit anno 1299. quo Patriarchale Palatium apud S. Silvestrum situm ab omni jurisdictione Episcopi Castellani exemptum Patriarchali Sedi Gradensi immediate subjecit. (S 2)

Anno deinde 1300. Marcus, Joannis Dandulo Venetiarum Ducis filius, Ægidio Patriarchæ *restituit & refutavit omnia, & singula littora quæ sunt tota inter Caprulium & Gradum* de jure Gradensis Ecclesiæ, quæ ipse, ejusque Pater Dux tenuerant *nomine affictationis* a quatuor Patriarchis, videlicet D. Joanne de Ancona, D. Fratre Guidone, D. Fratre Laurentio, ac D. Fratre Ægidio supradicto, certa statuta pensione; ut in instrumento per Nicolaum Plebanum Umagi, & Curiæ Gradensis Notarium confecto plenius continetur. (T 2)

Ipsi Fr. Robertus Ordinis Heremitarum S. Augustini electus Clugiensis Episcopus fidelitatem juravit anno 1303. die XV. Februarii. (V 2.)

Quod

Quod juramentum præstitit pariter Frater Zaninus Zane Caprulanus Episcopus, ut apparet ex juramenti instrumento nulla Chronica nota signato. (X 2)

Designatur deinde anno 1308. per Clementem V. ad Urosium Rasciæ Regem Apostolicæ Sedis Legatus. Hac de re Pontificis Epistolæ Tom. 2. Bullarii Ord. Prædic. pag. 107. continentur. Ad Patriarchalem inde Alexandriæ Sedem translato successor datus est anno 1310.

Angelus, antea *Motonensis* Episcopus: qui obiit anno 1313.

Frater Paulus de Pilastris ex Ord. Prædicator. de quo Ughell. Tom. v. col. 1146. Obiit quintodecimo die ab inita Patriarchatus possessione.

Marcus a Vinea Archipresbyter Castellanus & Notarius, ut ex Testamento Albertini Mauroceni Ducis Sclavoniæ apparet, quod ipse complevit & roboravit anno 1305.

„ In Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione Do-
„ mini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo quinto. Men-
„ sis Novembris die quintodecimo Intrante Indictione quarta.
„ Rivoalti. Cum vitæ suæ terminum unusquisque prorsus igno-
„ ret &c. Quapropter ego Albertinus Maurocenus Dux Sclavo-
„ niæ, & Comes Bosegæ de Confinio S. Juliani cogitans &c.

„ Ego Marcus de Vinea Archipresbyter Castellan. Auctor.
„ de Mandato &c. complevi, & roboravi.

Ad Gradenses infulas post obitum Pauli sublimatus fuit a Clemente Papa V. ipso anno millesimo tercentesimo decimo tertio, quo utique anno diversis temporibus Ecclesiam Gradenses tres Patriarchæ administrarunt.

Ob animi sui religionem bona ex patriis substantiis sibi pertinentia ad pios usus destinavit ex testamento, quod in publicas tabulas redegit Thomas Presbyter Ecclesiæ S. Thomæ Notarius Venetus anno 1314. die 29. Septemb. Ind. XIII. Libet ex eo pauca excerpta in lucem afferre pietatem hujus Antistitis connotantia.

„ Possessionem vero nostram positam in confinio S. Pater-
„ niani volumus, & ordinamus perpetuis temporibus affictari
„ per Nobiles Viros Procuratores Ecclesiæ S. Marci super com-
„ missariis constitutos, quos in hoc casu spetiali constituimus
„ nostros fideles commissarios; & volumus quod de appensio-

ne,

„ ne, sive fictu ipsius proprietatis fiant partes inferius anno-
„ tatæ, videlicet, quod una pars detur, & distribuatur per-
„ petuis temporibus pro dopleriis emendis ad illuminandum
„ Corpus Christi Monasterio S. Andreæ de littore ubi jacent
„ nostri defuncti. Secundam partem dicti affictus habeat soror
„ nostra in vita sua, & post ejus mortem medietas sit illius
„ loci, & Ecclesiæ ubi jacere debemus, alia medietas sit in-
„ ter dictam Ecclesiam Castellanam, & Ecclesiam S. Joannis
„ de Rivoalto, & Ecclesiam S. Paterniani & S. Lucæ æquali-
„ ter pro oleo apponendo in ciolis, quas in dictis primis
„ duabus Ecclesiis fieri fecimus, & pro dopleriis ad illuminan-
„ dum Corpus Christi.

Tertio post conditum testamentum anno videlicet æræ vulgaris 1317. migravit e vita.

Dominicus antea Episcopus Torcellanus, cui Frater Frigdianus electus Civitatis Novæ Episcopus subjectionis præstitit juramentum anno 1329. die 2. Julii. (Y 2)

Provinciale Concilium in Gradensi Urbe convocavit anno 1330. cui ipso præsidente septem interfuerunt Episcopi. " Hi
„ *ad supplicationem & instantiam Ven. in Christo Patris &*
„ *Domini A.* (Artici) Dei gratia Concordiensis Episcopi om-
„ nibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad construendam
„ Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ in Diœcesi Concordiensi
„ prope Valvesonum de suis bonis aliquid dederint, miserint
„ vel legaverint, seu alias quomodolibet manus porrexerint
„ adjutrices de Omnipotentis Dei misericordia, & Virginis
„ gloriosæ Mariæ Matris ejus, ac Beatorum Apostolorum Pe-
„ tri & Pauli, nec non Beatorum Hermacoræ, & Fortunati
„ Patriarcharum & Martyrum meritis & auctoritate confisi
„ singuli singulas dierum quadragenas de injunctis eisdem pœ-
„ nitentiis indulgentiam misericorditer in Domino " relaxarunt datis Gradi patentibus litteris die xv. mensis Julii sub anno Domini 1330. Indictione Decima tertia. (Z 2)

Obiit Dominicus Patriarcha anno Domini 1332.

Dinus Estruscus ex Comitibus Radicosani qui anno 1337. ad Januensem Archiepiscopatum transfertur.

Andreas Dottus, ortu Patavinus, a Clodiensi Episcopatu ad Gradensem Sedem deducitur anno 1337. quam postea moriens anno 1359. reliquit. Hic Alexandri IV. privilegium ad jura suæ

Eccle-

Ecclesiæ servanda per aliquos ex suffraganeis Episcopis transcribi, & exemplari curavit. (A 3)

Frater Fortenerius Vasellus Gallus, olim Ordinis Minorum Generalis Magister, postea Archiepiscopus Ravennas, de quo Baluzius in Vitis Papar. Avenion. Tom. I. pag. 952. & Ughell. in Archiepiscopis Ravennatibus, & Patriarchis Gradensibus. Ejus electionis Bullam affert Wadingus Tom. VIII. pag. 409. quæ data dicitur anno 1351. XIII. Kal. Junii, ideoque addendi decem dies ad chronicam Ughelli notam. Hic Clementis VI. jussu omni conatu laboravit ut pacem inter Respublicas Venetam, & Januensem inter se acriter dimicantes conciliaret, ut patet ex Wad. qui Apostolicas Clementis Epistolas ex integro protulit. Ecclesiam Gradensem rexit ad annum usque 1355. alio per Apostolica jussa vocatus.

Ursus Delphinus ex Archiepiscopo Cretensi Patriarcha Gradensis electus eodem anno 1355. De die & loco depositionis ejus antiquissimum Diarium Monasterii S. Mariæ Ordinis Servorum Venetiarum hæc habet eodem obitus ejus tempore exarata. *Orso Delfino Patriarcha de Grado fu sepolto ai Frari ai 5. Decembre* 1367. Plura de ejus emortuali die in ejus successore exhibentur, qui fuit

Franciscus Quirinus, (quem Clericali militiæ nomen dedisse satis fuse probavi in Epistola ad Eminentiss. & Rever. D. Angelum Mariam Quirinum S. R. E. Cardinalem Bibliothecarium & Episcopum Brixiensem inter opuscula Calogerianæ Collectionis relata Tom. XXXIX. pag. 473. contra Cimarellam, & Melissanum Minoritico S. Francisci instituto ipsum adscribentes) Parœciam primum S. Mariæ Formosæ administravit, indeque ad Episcopales Justinopolitanas infulas evectus fuit Clementis Papæ VI. authoritate anno MCCCIL. Quam solerti studio Ecclesiam hanc administraverit pro argumento est ea sollicitudo qua *exemplum de quibusdam rationibus Episcopatus* ex Archivo Communis Justinopolis extrahi curavit, quodque ex libro, cui titulus *Corografia Ecclesiastica di Capo d' Istria*, per Paulum Naldinum ejusdem Urbis Episcopum concinnato hic in lucem proferimus.

„ Hoc est Exemplum de quibusdam rationibus Episcopatus
„ a Communi Justinopolis extractum, ad instantiam, & re-
„ quisitionem factam per Reverendissimum in Christo Patrem

„ & Dominum D. Franciscum Querini, Dei, & Apostolicæ Se-
„ dis gratia dignum Episcopum Justinopolitanum coram egre-
„ gio & potente Viro, Joanne Quirino, pro Ducali Dominio
„ Venetiarum Honorando Potestate, & Capitaneo Civitatis &
„ Districtus Justinopolis. Anno millesimo, trecentesimo, sexa-
„ gesimo, Indictione tertia Die sexta Mensis Decembris. In
„ Palatio Justinopolitano, & in majori Consilio ejusdem Ci-
„ vitatis; Præsentibus nobilibus & sapientibus Viris Dominis
„ Nicolao Valaresso, Francisco Mauroceno Honorandis Civi-
„ bus Venetis, hic Justinopoli testibus, & aliis pluribus exi-
„ stentibus; cujus tenor per singula talis est.

„ In Nomine Domini Dei Eterni. Regnante Domino nostro
„ Federico Piissimo Imperatore Anno Domini millesimo cen-
„ tesimo octuagesimo sexto, Indictione quarta Mensis Julii
„ quinto die intrante. Actum in Civitate Justinopolitana in
„ majori Ecclesia in præsentia Nuntiorum Domini Papæ; scl-
„ licet Magistri Gualandi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaco-
„ ni, & Magistri Tinosi, Domini Papæ Capellani; & coram
„ Nuntiis Dom. Gottofredi Sanctæ Aquilejensis Ecclesiæ Patriar-
„ chæ Magistro Ranulo, & Magistro Ubaldo, & Dom. Her-
„ mano Thesaurario.

„ Constat Nos quidem Almericum Justinopolitanæ Civita-
„ tis Potestatem, & Consules, scilicet Litifredum, Joannem,
„ Saracenum, & Leonem, de voluntate & consensu Com-
„ munis nostræ Civitatis, Donationem, & omnis nostræ Actio-
„ nis, quam habemus finem, & refutationem super Altare
„ Sanctæ Mariæ prædictæ Civitatis fecisse de possessionibus no-
„ stro Episcopatui assignatis, quas habere & tenere visi su-
„ mus; videlicet de Luparo, de Padena, & Pilo Roveredi,
„ ac de Insula Risani cum omnibus suis pertinentiis in inte-
„ grum, & mille campis Vinearum in finibus nostris. Eo si-
„ quidem tenore, quod Noster proprius Episcopus, & sui suc-
„ cessores ad utilitatem suæ Mensæ habere, & tenere debeant,
„ in perpetuum. Tali modo, quod non debeant habere potestatem
„ vendendi, donandi, infeudandi, vel quolibet titulo eas pos-
„ sessiones alienandi. Et si in quocunque tempore aliqua per-
„ sona, contra hanc nostræ Donationis, & refutationis cartu-
„ lam ire tentaverit, aut aliquo modo, vel ingenio corrum-
„ pere voluerit, aut molestare, vel infringere præsumpserit,

„ tunc

„ tunc quidem per Nos, & Nostros Hæredes ab omni homi-
„ ne guarentare, & defendere promittimus; quod si guaren-
„ tare, & defendere vere, & rationabiliter non potuerimus,
„ sive voluerimus, tunc quod amissum fuerit sub existimatio-
„ ne bonorum Hominum in consimili loco restituere spondemus.
„ Si vero restaurare noluerimus, tunc quod amissum fuerit
„ sub existimatione bonorum per Nos & Nostros hæredes no-
„ stro Episcopo, qui tunc erit, Auri optimi libras centum
„ componere nos obligamus.

„ Insuper addimus & dare promisimus super idem Altare,
„ decimationes nostri Olei quod annuatim nobis Deus concef-
„ serit pro remedio Animarum nostrarum, nostrorumque Pa-
„ rentum; Ut noster proprius Episcopus & sui successores de ce-
„ tero in proprios usus habeant, & possideant, ita quod non
„ liceat eis has decimationes infeudare, neque alio titulo a sua
„ propria mensa alienare. Unde duæ Cartulæ uno tenore sunt
„ compositæ, quarum unam Cartulam habere debeat Epis-
„ copus Noster, & aliam cartulam habere debeat Commune
„ nostræ Civitatis.

„ Ad hæc interfuerunt Dominicus Diaconus, & Decanus
„ præfatæ Civitatis Justinopolitanæ; Bernardus Archidiaconus,
„ Bonifacius Magister scolarum, Venerius Diaconus, & The-
„ saurarius, Germanus Sacerdos, Salvator Sacerdos, Justus Dia-
„ conus, Martinus Subdiaconus, Joannes & Joannes Subdia-
„ coni, Petrus Petolus Capellanus, Rantulphus Judex dictæ Ci-
„ vitatis Justinopolitanæ ac Mengotius Judex, Joannes Judex,
„ Adalperius Notarius, Ermanus Major & alii quamplures.

„ Ego Almericus Justinopolitanæ Civitatis Notarius inter-
„ fui, & de præcepto prædicti Potestatis, & Consulum, &
„ Communis hanc Cartulam manu mea propria scripsi. Item
„ ad confirmationem istius Exempli infrascripti Notarii sub-
„ scripserunt propria Nomina, quorum sunt hæc videlicet Lu-
„ chinus de Virgiliis Cremonensis Notarius, & Cancellarius
„ suprascripti Domini Potestatis, Franciscus de Berto Notarius,
„ Benedictus Bembo Notarius, Gregorius Lugnano Notarius, Al-
„ maricus de Adalperio Notarius, Ambrosius Lugnano Notarius.
„ Item aliud exemplum cujusdam publici Instrumenti Ex-
„ tractum, supradicto millesimo, Indictione, & die Præsenti-

„ bus supradictis Dominis Viris & Notariis infrascriptis, cujus „ tenor per singula talis est:

„ In Nomine Domini Dei Eterni. Imperante Domino No„ stro Henrico Romanorum Imperatore Augusto Anno Domi„ ni Millesimo centesimo nonagesimo quarto, mensis Decem„ bris XIIII. die exeunte. Indictione XII. Justinopolitanæ Ci„ vitatis in publica Concione actum.

„ Almericus Justinopolis Rector, & de Communi Consilio „ Consulum, Judicum, & totius Civitatis Consilio pariter, „ & assensu, Cartulam notitiæ, & securitatis pro futuris tem„ poribus ad memoriam retinendam me Ambrosium Notarium „ scribere rogavit. Super hoc equidem, quod in publica Con„ cione, Communi deliberatione, ut prædictum est, statuit „ & promulgavit perpetuis temporibus ad honorem Dei & sui „ Episcopatus augumentum inviolabiliter observandum. Ut si „ qua Persona tam dictæ Civitatis, quæ nunc habet, vel ha„ bitura est Vineam ad Episcopatum pertinentem, tam de re„ ditibus S. Michaelis, quam de Communi dicto Episcopatui „ & annuatim tempore Vindemiæ non solverit Episcopatui ex „ ipsa Vinea quam habet ab ipso Episcopatu, rectum, & in„ tegrum redditum; vel depræhendi poterit, vel convinci ra„ tionabiliter, in qualitate, vel in quantitate redditum de„ fraudasse, deinde Vineam, quam ab Episcopatu habuerat si„ ne aliqua exceptione restituat. Episcopus vero qui pro tem„ pore fuerit, vel ejus Nuntius Vineam ipsam intromittendi, „ & quidquid voluerit faciendi liberam habeat potestatem.

„ Item si qua persona deinceps usque ad Festum Purificatio„ nis S. Mariæ annuatim non solverit, nec solutam habuerit „ decimationem totius sui Olei, quod sibi Deus dederit ipsi „ Episcopatui, vel Episcopo, qui tunc erit, vel ejus certo Nun„ tio, ex tunc ipsam Decimationem in duplum restituat, nisi „ fuerit de Misericordia Episcopi qui tunc erit. Signum su„ pradicti Almerici qui omnia suprascripta de Communi Con„ silio, ut supra dictum est rogavit fieri.

„ Ego Ambrosius supradictæ Civitatis Justinopolis Notarius manu propria scripsi.

Ad Cretensem inde Sedem translatus est anno Domini MCCCLXIV. circa finem; die enim decima Julii ejusdem anni

Divus

Divus Petrus Thomas Carmelita ejus præceſſor e Cretenſi Archiepiſcopatu ad Patriarchalem Conſtantinopolitanam Ecceſiam Urbani V. Diplomate deductus fuerat. Virtutum & prudentiæ laude inſignis ad Patriarchatum Gradenſem aſſumitur die VII. Decembris Anno MCCCLXVII. cujus electionis epocha ex S.C. decreto probatur quo plenis ſuffragiis P.C. Franciſcum Quirinum ad Patriarchalem Sedem delegerunt, anni veritatem approbante Indictionis v. appoſitione.

„ 1367. Indict. v. 7. Decemb. In Rogatis. Quod infraſcripti
„ ſcripti ad Patriarchatum Gradenſem probentur ad unum ſe-
„ cundum uſum, & pro illo, qui habuerit plures Ballotas,
„ poſſit ſcribi Domino Papæ, & Cardinalibus in illa forma
„ quæ videbitur Dominio.
„ 93. 17. *Reverendus P. Dominus Franciſcus Quirino Magi-*
„ *ſter in Sacra pagina Archiepiſcopus Cretenſis.*
„ 33. 65. *Ven. D. Joannes Lauredano Primicerius Eccleſiæ*
„ *S. Marci.*

Huic documento fidem aſtruit aliud S. C. decretum ſub Indictione VI. ad annum 1367. more Veneto; ideſt Annum Romanum 1368. die 15. Februarii quo exhibetur electio per Senatorum ſuffragia ad Archiepiſcopalem Cretenſem ſedem tunc temporis per Franciſci translationem vacantem; in eo autem decreto, & Candidatorum nomina & ipſa Patrum ſuffragia recenſentur.

Porro in aſſignandis hujuſce electionis chronicis notis Marinum Sanutum erraſſe dicendum eſt, dum hæc de Franciſco Patriarcha Gradenſi refert: Nel 1366. *a' 22. di Marzo fu preſo d' eleggere due Oratori che vadano a Grado dal Patriarcha Franceſco Querini, il quale vuol dir la ſua Meſſa, e furono eletti ſ. Anzolo Bragadin, e ſ. Giovanni Contarini, e a' 22. di Settembre fu ſcritto a Roma per farlo Canonizare, il quale era morto.*

Quidquid autem de anno electionis hujus aſſerat Sanutus certe ex S.C. dicendum eſt peractam fuiſſe anno 1368. ſic enim omnia optime cohærent, ut Franciſcus die VII. Decembris electus, atque die XXII. ejuſdem menſis confirmatus in ſubſequentis Martii die XXII. Miſſam ſolemnem in Patriarchatus poſſeſſione ineunda decantet.

De Franciſco Quirino Archiepiſcopo Cretenſi in prima hujus Operis Decade pag. 211. ingeſta mentio eſt, ubi Indulgentia-

tiarum concessio Ecclesiæ S. Andreæ facta exhibetur, religiosi ejus animi testimonium. De ipso quoque ad Patriarchatum Gradensem jam evecto verba feci Decade hujus operis prima ad Monasterium Corporis Domini, in cujus Historia eum Virum Sanctissimum appellatum audivimus. A Paulo Foscaro Episcopo Castellano Judice Apostolico in controversiis inter Sanctimoniales S. Jacobi Murianensis & Presbyterum Johannem Zanotum electus anno 1368. Judex Subdelegatus sententiam ad favorem Joannis protulit, quæ Sedis Apostolicæ judicio Monialibus ad eam appellantibus meruit approbari.

Francisci Patriarchæ Gradensis nomen cum magnifica sanctimoniæ laude celebrant tum Veneti, cum exteri Scriptores; Ex nostris etenim Marinus Sanutus, dum Chronicæ suæ initio Cathalogum præfigit Sanctorum Beatorumque, quorum exuviæ in Ecclesiis Venetis asservantur ad Templum Fratrum Minorum Conventualium inter ipsius Reliquias Corpus B. Francisci adnumerat his verbis: *Beato Francisco Quirino Patriarcha de Grado.*

Ad annum deinde 1372. Senatus Consultum refert splendidissimum sanctitatis ejus testimonium, quodque unicum sufficere posset, ut comprobetur quanto religionis, & virtutum fulgore claruerit, quarum fama permotus Senatus publicis plenisque suffragiis ejus solemnem apotheosim apud Pontificem postulandam esse decrevit. Decretum vero est hujusmodi:

1352. *Die 29. Augusti. Quum Deus Omnipotens in diebus nostris ostenderit huic benedictæ Civitati lucem maximæ consolationis, & devotionis, reverendæ scilicet memoriæ Dominum Franciscum Quirino Patriarcham Gradensem, cujus meritis in vita, & obitu ipsius Domini Patriarchæ Dominus ostendit multa notabilia, & manifesta miracula; Vadit pars; ne tanta lux remaneat in obscuro, sed clarius appareat ad consolationem perpetuam patriæ nostræ, & totius fidei Catholicæ, quod ob Dei reverentiam, & honorem nostrum committatur Ambasciatori nostro ituro ad Romanam Curiam; quod expeditis factis principalibus super commissis, faciat, & procuret quidquid bene poterit, tam apud Dominum Papam, quam alios quod prefatus Dominus Patriarcha canonizetur, & ponatur in Catalogo Sanctorum, ut suis intercessionibus ista civitas semper conservetur in bono statu.*

Am-

Ampliſſimo encomio Beatum Virum proſequutus eſt Jacobus Maggius Brixienſis; dum enim in doctorali Thaddæi Quirini laurea publicam in Patavino Lyceo concionem haberet, hæc de Franciſco Patriarcha Quirino verba protulit:

„ Ex ea (familia Quirina) complures ſenatorii, & trium-
„ phalis ordinis viri magna virtute, prudentia, preclariſſimiſ-
„ que rebus geſtis floruerunt: tum in primis Bertuccius S.
„ Marci Procurator, ejuſque germanus Divini vir ſpiritus Fran-
„ ciſcus Patriarcha Gradenſis: cui ob ſingularem morum ſan-
„ ctimoniam præcipuam religionem, fidem, & calcatas hujus
„ mundi illecebras Beati nomen inditum eſt, virum meher-
„ cules tam auguſta civitate, & glorioſa familia dignum: qui
„ humana, ideſt fragili hac haudquaquam contentus gloria
„ ſolidam perpetuamque Cælitum beatitudinem æmulatus ado-
„ ptavit; & ita adoptavit, ut non ſolum proſapiam ſuam hac
„ cæli cognatione celebrem illuſtret, verum univerſo terrarum
„ orbi orationibus miraculiſque non mediocriter opituletur.

Pari etiam laudum præconio mentionem Franciſci expreſſit ex externis Scriptoribus Antonius Meliſſanus Minorita in ſupplementis ad Annales Wadingi, ubi eum refert *ſummo exemplo, & vitæ innocentia conſpicuum non tantum omnium amorem ſed ob patrata miracula in vita & morte ſolemni cum laude venerationem aſſequutum* fuiſſe; ubi & de ejus ſepultura hæc addit: *Ejus ſacra lipſana in Eccleſia ipſorum Fratrum Minorum a pluribus ſæculis ſuper Altare Divi Hieronymi devote coluntur, & viſitantur, a piis ejus interceſſio apud Deum invocatur, & gratiam experti in ſervo ſuo benedicunt Domino. Obiit anno* 1360. *ut notavit Cimarella.*

Ipſe autem Cimarella, quem citat Meliſſanus in recentiori parte Chronicorum Ordinis Seraphici Tom. III. part. IV. lib. V. cap. 7. Poſt laudatum ex ſanctimonia virum de loco ſepulturæ ejus hæc addit: *Negl' Archivii della Sereniſſima Republica di Venezia ſi ritrovano memorie di queſto, come anco della venerazione delle ſue oſſa nella Chieſa degl' iſteſſi Frati Minori, dove già molti ſecoli ſopra l' altare di S. Girolamo è venerato il ſuo corpo, che ſta vicino à quello del B. Fr. Gentile da Matelica.*

Ex concordi talium Scriptorum teſtimonio addiſcimus Corpus B. Franciſci in Eccleſia Minorum Conventualium quieſcere in eo Sacello, quod illuſtris Familiæ Quirinæ impenſis ædifica-

ficatum, atque Divo Hieronymo Doctori dicatum olim *S. Girolamo d'oro* a ligneo deaurato Altari dicebatur, modo vero Divi Francisci de Paula nomen habet. Cum vero ex ejus Altaris loculis Beati Gentilis Martyris lipsana in Sacrarium deducta fuerint, sola Beati Francisci Ossa in prædictis deauratis loculis, ubi prius quiescebant relicta fuerunt, inordinata quidem nulloque apposito nomine connotata, ex quo factum est ut tractu temporis Venerabilis Viri memoria & cultus etiam apud ipsos Cœnobitas tabesceret primum, ac deinde penitus evanesceret.

Diversimode de loco sepulturæ ejus sentire videtur Marcus Marci Barbari filius in suo Codice ms. in quo antiqua documenta ad Patritias Venetorum Familias pertinentia laudabili labore collegit: *E' sepolto alli Frati Minori ad alto in quella sepoltura dorada di S. Scipion Bon, il qual l'aveva fatta per lui, e la donò a quel corpo*. Attamen hanc præstantissimi Viri (Marci Barbari) assertionem falsitatis evicit interna ipsius sepulcri inspectio; siquidem ad annum 1680. (ut a viris religiosis omni fide dignissimis accepi) aperta in noctis silentio sepultura unius Viri cadaver Minoritica veste indutum apparuit utraque manu carens, quæ omnia optime Beato Pacifico ibidem sepulto convenire noscuntur, cujus manus argenteo inclusa tabernaculo inter sacrarii Reliquias decenter asservatur; Anno millesimo tercentesimo septuagesimo secundo die prima Julii, vel potius ultima Junii extremum diem obiisse certiores reddimur ex iis quæ in Diariis æconomicis Monasterii S. Mariæ Servorum de Venetiis notata inveniuntur, & hæc sunt. 1372. *Julii die I. recepi pro sepultura Domini Patriarchæ facta in Conventu Fratrum Minorum*: & iterum *Luglio* da F. Piero che lo ave per la sepoltura de Missier lo Patriarcha *l.* III.

Hæc magno sane labore de Beato Francisco hac illac dispersa colligere licuit, cujus gesta nobis temporum injuria, atque hominum incuria dolemus erepta fuisse.

Frater Thomas de Frignano Ordinis Minorum Generalis anno 1372. Patriarcha renuntiatur, de quo Ughell. Tom. v. col. 1151. & alii ab eo citati. Assumpto Patriarchatus onere, omne Pastoralis sollicitudinis studium in eo potissimum posuit, *ut personas Ecclesiasticas utriusque sexus suæ Provinciæ multiplicis dissolutionis vitiis laborantes* per visitationis officium ad

vete-

veterem disciplinam, morumque sanctimoniam revocaret. Hæc cum ad Gregorii XI. tunc Avenione sedentis aures pervenissent, Thomam singulari elogio laudatum Apostolicis verbis hortatus est, quatenus *inchoata bujusmodi perseveranti* studio prosequeretur. Ut autem ea efficacius exequi valeret *ad visitationis nec non reformationis, correctionis, & punitionis officium* ipsum, apostolica authoritate dato Diplomate die 29. Januarii anno millesimo trecentesimo septuagesimo quarto roboravit. (B 3) Cardinalis ab Urbano VI. renuntiatus 1378. extremum diem Romæ clausit anno 1381. quo anno viduata Gradensis Ecclesia Pastorem excepit. Hoc testantur toties memoratæ ephemeri des Ordinis Servorum in quibus hæc habentur: 1381. *Decemb.* 1. *In barcis quum ivimus obviam Domino Patriarchæ sol.* XVIII. Porro hæc non ad Thomam Cardinalem, neque ad ejus corpus Venetiis deductum referenda sunt; ipse enim Romæ defunctus sepultus est in Templo Aræ Cœli. Ad successorem itaque deducenda.

Urbanus cujus tantum mentio habetur anno 1383. (Ughell. Tom. v. col. 1151. de eo hæc invenire datum est:

„ Frater Urbanus permissione Divina Patriarcha Gradensis „ compromissarius, & arbiter juris assumptus per Joannem de „ Marliano Abbatem Monasterii S. Cypriani de Muriano pro „ se, & suo Capitulo ex parte una, & Jacobum Gradonico „ ex parte altera ad cognoscendum & sententiandum inter ipsas „ partes de jure patronatus, quod dictus Jacobus se habere „ dicebat in dicto Monasterio; " Lata sententia die 2. Decemb. anni 1383. jura Patronatus Gradonicæ Familiæ recognovit, & confirmavit: quæ tamen temporum fluxu per alias Apostolicæ Sedis sententias deleta, & revocata fuerunt, ut fusius ubi de Divi Cypriani Ecclesia dicendum erit.

Ipsi insuper eodem anno Urbanus hujus nominis Papa VI. per Apostolica scripta commisit, ut Monialium cœtus intra Castellanæ, Torcellanæ, & Clugiensis Diœceseos fines sita, quæ correctionis lege novisset indigere, Apostolica auctoritate reformaret. (C 3)

Urbanus Patriarcha usque ad annum MCCCLXXXVII. Ecclesiam Gradensem administravit. Eo defuncto Venetus Senatus ipso anno per Legatos suos Romanum Pontificem vehementius exoravit, ut Fratrem Bartholomæum de Venetiis Ord. S. August. virum omni

ni virtutum genere clarissimum ad Patriarchalem Gradensem Sedem promovere dignaretur. Fuerat ille jampridem ad supremum Religionis Magistratum evectus anno 1384. in Comitiis Generalibus Ordinis Strigoniæ habitis, mox ob eximiam prudentiam, qua in ea dignitate positus excelluerat, Comitia generalia Forocornelii congregata ipsum in onere confirmare, seu potius noviter eligere decreverunt die XVII. Maii anno 1387. Eapropter Pontifex veritus ne ob ejus assumptionem damna Ordo Augustinianus pateretur, utpote qui per longum tempus absque Generali vacaverat, alium ex eodem Heremitarum Ordine Virum sibi acceptissimum ex Tarentino Archiepiscopatu ad Gradensem Ecclesiam promovit. Hæc quæ sequuntur inter schedas Patriarchalis Archivii asservantur.

„ Dicta Ser Gullielmo de Clarutis, & Desiderato Lucio per „ Apostolicum Millesimo trecentesimo octuagesimo septimo In- „ dictione decima.

„ Summus Pontifex super facto promovendi Reverendum fra- „ trem dominum Bartholomeum Generalem Ordinis Heremi- „ tarum S. Augustini ad Patriarchatum Gradensem, vel de pro- „ videndo de dicto Patriarchatu uni civi Veneto, in casu, „ quo non dignaretur Sanctitas sua promovere dictum Gene- „ ralem. Respondit ser Guilielmo, & mihi Desiderato, quod „ causa, propter quam non promoverat Generalem erat pro- „ pter novitatem promotionis suæ ad dignitatem Magistratus „ totius Ordinis, propter quam dicebat, quod si ita noviter „ promovisset illum, turbasset, & comovisset facta totius Or- „ dinis, qui vacaverat per longum tempus absque Generali. „ Ad clausulam autem, quæ est, quod in casu, quo non pro- „ moveret ipsum Generalem, dignaretur providere uni civi „ Veneto, dicebat, quod diceretur Dominio, quod non pro- „ videret de dicta dignitate, nisi personæ, quæ esset grata, „ & accepta Dominationi. Dixit etiam in generali, ut retulit „ etiam Dominus Franciscus de Lancenigo, quod filii sui be- „ nedicti, scilicet, quod Inclitus Dominus noster, & Domi- „ natio sua faciebant exigi fructus, & redditus Ecclesiæ S. Bar- „ tholomei. Et quod mandaverant ipsa emolumenta dispensa- „ ri, & distribui in rædificatione Ecclesiæ prælibatæ. Et quod „ hujusmodi pium opus erat sibi acceptum, & plurimum lau- „ dabat illud:

Petrus

Petrus Amelii Gallus ex Augustiniana Heremitarum familia assumitur, ut in additionibus ad Ughell. Tom. v. col. 1151. Cum autem Regesta Ordinis Augustiniani eum Patriarcham Gradensem asserant ad annos 1389. & 1392. atque ipse se (ut notavit Cl. V. Jo: Mabillonius) Gradensem Patriarcham appellet ad annum 1393. ex verisimili conjectura ad ipsum referenda sunt, quæ vetustum documentum in Archivo Patriarchii Venetiarum asservatum de Petro Patriarcha Gradensi refert.

„ Millo trecenteno nonagesimo nono Indictione septima die „ XI. Mensis Maii Reverendiss. Pater, & D. D. Petrus Patriar- „ cha Gradensis venit personaliter ad Ecclesiam S. Marci, & „ fuit in Missis cum Serenissimo D. D. Antonio Venerio Dei „ gratia Illustriss. Duce Venetiarum..... Et completo Credo „ in Deum fecit quemdam brevem Sermonem in exaltatione „ Ducatus Venetiarum concludens quod a Deo, & non ab „ Imperatore, vel Rege, vel alio precesserat, & erat ipse D. „ Patriarcha cum Ven. Viro D. Francisco Bembo Primicerio, „ & aliquibus ex Capellanis dictæ Ecclesiæ S. Marci, & ibi „ stante genuflexo dicto D. Patriarcha, idem D. Primicerius „ dixit aliqua verba, quæ in effectu fuerunt, quod ipse Primi- „ cerius nomine & pro parte prefati D. Ducis acceptabat ipsum „ D. Patriarcham ad Patriarchatum Gradensem, & deinde can- „ tato Te Deum per ipsos D. D. Patriarcham, & Primicerium, „ & Capellanos, & dicta Oratione Spiritus Sancti per Primi- „ cerium suprascriptum, Idem D. Patriarcha cum prædictis „ Primicerio, & Capellanis accessit ad presentiam prefacti Do- „ mini Ducis, qui cum uno annulo ligato cum una cor- „ da rubea serica præsentibus Ambasciatoribus D. Ducis „ Mediolani, Florentinorum, Bononiensium, & aliorum, „ & multis Nobilibus Venetorum, qui tunc ibi se rece- „ perunt, investivit ipsum Dominum Patriarcham de bonis „ temporalibus existentibus in Ducatu Venetiarum præfato D. „ Patriarchæ, ac Patriarchatui, & Ecclesiæ Gradensi spectan- „ tibus. Ipse vero D. Patriarcha volebat solatiose ipsum an- „ nulum disligare a corda, & tenere pro se, & non potuit, „ & his pactis processum fuit ad finem Missæ.

Petro Ecclesiam Gradensem regente Ecclesia S. Silvestri Apostolico Bonifacii IX. Diplomate decorata fuit; ut enim congruis frequentaretur honoribus, & etiam conservaretur ipse

E 2 Pon-

Pontifex, omnibus Christifidelibus ipsam visitantibus, & adjutrices manus ad ejus conservationem porrigentibus criminum remissiones indulsit die XVIII. Septemb. anno 1391. (D 3)

Quæstionem pro solutione census sibi a Plebano S. Martini Venetiarum præstandi habuit, quam lata sententia diremit Joannes Prior S. Salvatoris die IX. Martii anni 1398. ad ipsam S. Martini Ecclesiam exhibenda.

Post Petrum Bonifatius Papa IX. Joannem de Benedictis Patritium *Venetum Ordinis Prædicat.* virum scientia, & probitate spectatissimum Patriarcham Gradensem renuntiavit. Electionis Diploma datum die II. Augusti anno 1400 extat in nobilissimo Ordinis Prædicatorum Bullario Tom. 2. pag. 399. De eo jam aliqua prolata sunt in Monasterio Corporis Domini Decade hujus operis I. & plura dicenda erunt in Monasterio S. Dominici Venetiarum. De quo etiam Ughell. in Episcopis Tarvisinis.

Joanne de Benedictis Patriarchale onus ob humilitatem recusante, eodem anno in ejus locum subrogatus est Petrus Canche die 25. Septembris, qui Venetias se contulit subsequente mense Octobris, atque ad S. Clementis Insulam suæ jurisdictioni subjectam constitit, uti innuere videntur Ephemerides Monasterii Servorum de Venetiis in quibus hæc habentur: 1400. *Octob. die* XI. *Dedi uni Platario quum Conventus ivit obviam Patriarche Gradensi causa honorandi eum l.* II. *sol.* V. *Item dedi quatuor hominibus cum una barcha a remorchio de la dicta piata usque ad S. Clementem. l.* III. *sol.* IIII.

Joannes de Zambottis de Muriano Torcellanæ Diœcesis, de quo Bartholomæus Zamberti in rerum Venetarum Indice ms. omni prorsus fide dignissimo ad annum 1406. hæc ait: *Patriarcha Gradensis Dominus Joannes olim Prior Cruciferorum promotus per Dominium Venetum* 1406. Tempore electionis suæ a Venetiis absens nonnisi post diem 11. Junii reversus est, ut patet ex Diariis Monasterii Veneti S. Mariæ Servorum ubi hæc habentur: 1406. *Junii* 11. *Quum ivimus obviam Patriarchæ Gradensi in una barcha, & in vanum ivimus. sol.* VIII. Hic electionem a Plebano & Capitulo Ecclesiæ S. Cantiani peractam, qua Presbyterum Pasqualinum ad titulum ejusdem Ecclesiæ assumpserat, authoritate ordinaria confirmavit, ipsumque electum in Clericalem titulum instituit solemni instrumento dato die X.

Decem-

Decembris anno 1407. Ind. xv. Ecclesia per biennium administrata migravit e vita anno 1408.

Franciscus Lando nobilitate, & prudentia clarissimus, de quo Ughell. Tom. v. col. 1151. Lequienius in Patriarchis Constantinopolitanis, & alii. Ecclesiæ Gradensi per annum præfuit ab Alexandro V. ad Sedem Constantinopolitanam translatus anno 1409. mox a Joanne XXIII. inter S. R. E. Presbyteros Cardinales cooptatus.

Francisco successorem datum fuisse Leonardum Delphinum anno 1409. eamque Ecclesiam rexisse usque ad annum 1427. asserit Ughell. Tom. v. Ital. Sac. col. 1152. Virum tamen meritissimum errasse, ex multis, iisque authenticis documentis comprobatur, quæ pro Leonardo Joannem reponendum esse evidentissime manifestant.

Joannes Delphinus de Mantua, qui (ut dictum est in prima hujus operis Decade pag. 153.) sententiam ab Henrico Dandulo Patriarcha Gradensi latam in Synodo Gradensi pro Plebano & Ecclesia S. Mariæ Murianensis transcribi, & authenticari jussit anno a Nativitate Domini 1419. quo tamen anno ex Ughelli assertione Gradensi Ecclesiæ præerat Leonardus.

De hujus transcriptione sententiæ eruditissime disseruit Cl. V. Bernardus Maria de Rubeis Ord. Prædicatorum in libro cui titulus, *Discorso Istorico, Cronologico, Diplomatico sopra una Pergamena antica Veneziana*, Venetiis edito anno 1749.

Quis fuerit hic Joannes ab Ughello prætermissus, docet Ermannus Vonderhardt in monumentis Concilii Constantiensis, in quorum Tom. v. part. XI. refertur *Historia Magnatum in Constantiensi Concilio primis Concilii annis* 1414. 1415. a Gebardo Dacherio exarata, in qua col. XI. inter Patriarchas *Dominus Johannes Gradensis Patriarcha Venetiarum, Damasci, & Hierusalem:* Ejusque gentilitium stemma inter insignia quatuor Patriarcharum in eo Concilio sedentium secundo loco affertur his verbis appositis *Joannes Patriarcha Gradensis;* stemma vero tres Delphinos fascia, ut ajunt Itali, *dentata* circumdatos repræsentat.

Ex Mantuana Civitate originem habuisse a Wadingo accipimus, qui ad annum 1404. num. 4. hæc habet: " Hoc tem-
" pore in Urbe Mantuana sua patria commoratum Fratrem
" Joan-

„ Joannem Theologum Minoritam, Patriarcham (intellige
„ postea) Gradensem Dalmatiæ Primatem, scribit Hippolytus
„ Donesmundus, eumque præclaris muneribus in Sedis Apo-
„ stolicæ obsequium præfuisse.

Porro Donesmundus, quem a Wadingo citatum legimus in sua Ecclesiastica Mantuæ Historia p. 1. l. 5. pag. 347. sic de Joanne loquitur: " Viveva in questi stessi tempi in Mantoa sua
„ patria con riputatione convenevole allo stato suo Frate Gio-
„ vanni Theologo dell'Ordine di S. Francesco Patriarca Gra-
„ dense di Venetia, e Primate della Dalmatia.

Ex horum authoritate Scriptorum præter Joannis patriam, ejus quoque Religiosum institutum addiscimus: de quo tamen aliquo modo dubitandum est, siquidem nullibi ejus nomini præposita invenitur vox *Frater*, qua plerumque ne dicam semper, juxta illorum sæculorum mores, uti solebant Præsules, qui ex Regularibus familiis ad Episcopales Sedes evehebantur. Ex monumentis, quæ in Archivo Monasterii S. Marci de Mantua Ordinis Camaldulensis reperiuntur, apparet, anno etiam 1602. Mantuæ floruisse Familiam Delphinam, ex qua præcipue memoratur Franciscus Delphinus Mantuanus. Delphinam etiam Gentem inter Nobiles Mantuanæ Urbis familias enumerat Franciscus Campanus *De Familiis illustribus Italiæ* cap. 24. qui ex Urbano *De Notabilibus Italiæ* deduxit, quosque ambos affert Scipio Agnellus Maphejus Episcopus Casalensis in sua Historia, cui titulus *Annali di Mantova* l. IX. cap. III. pag. 568. Tortonæ anno 1675. in lucem edita.

Ad annum 1420. supralaudatus Wadingus Tom. X. pag. 125. profert Martini V. diploma Florentiæ datum VII. Idus Julii Pontificatus sui anno III. quo Patriarchæ Gradensi, aliisque Pontificiis Delegatis per Apostolica scripta committit, ut veneranda Terræ Sanctæ loca Fratribus Minoribus pro suis usu, & habitatione in perpetuum assignent; in cujus exequutionem Decreti ipse Patriarcha Gradensis re diligenter inspecta Mantuæ in majori Ecclesia Cathedrali pro tribunali sedens, sententiam (in qua se *Joannem Patriarcham Gradensem* nominat) protulit: cujus vigore sacrosancta Palestinæ loca Ordini Minorum in perpetuam possessionem adjudicata fuerunt.

Dubium omne si quod adhuc esset, amolitur authenticum docu-

documentum ex Patriarchali Venetiarum Archivo deductum, quo & nomenip fius *Joannis Patriarchæ Gradensis* iterato producitur, & anno 1422. Venetiis sedisse dicitur.

Ipso enim anno cum Joannes Ecclesiam S. Silvestri nova reædificatione restitutam, veluti suæ jurisdictioni subjectam, consecrare disponeret, Marcus Lando, qui tunc Castellanæ Ecclesiæ præerat, Patriarcham misso nuntio certiorem reddidit, ipsi ex vi pactionum, quæ inter utramque Sedem intercesserant, nullo modo licere consecrationes in Ecclesiis Castellanæ Dioecesis peragere. His auditis, Patriarcha jura Castellani Episcopatus agnovit: sibique facultate ex ipsius Episcopi humanitate concessa Joannes renovati Templi ædificium consecratione insignivit. (E 3)

Martini V. Pontificis Maximi Decreto ad Hierosolymitanam Ecclesiam postea translatum fuisse Joannem asserit Donesmundus in Chronologia rerum notabilium titulo Patriarcharum: *Giovanni di Mantoa Francescano Patriarca Gradense, e di Venetia del* 1410. *l'istesso poi sotto Martino V. Patriarca di Gierusaleme:* quod attamen translationis tempus dubium mihi est.

Blasius Molino Nobilis Venetus, Episcopus antea Polensis, mox Jadrensis Archiepiscopus, ad Patriarchatum Gradensem electus est XVI. Calendas Novembris anno 1427. Hic ab Eugenio IV. regimini Apostolicæ Cancellariæ Præfectus litteras Joannis XXII. de quibus Ughell. Tom. V. pag. 1152. vetustate pene exæsas a supralaudato Eugenio obtinuit renovari; & alia Summorum Pontificum privilegia Ecclesiæ Gradensi concessa, novo Apostolico Diplomate confirmari. (F 3)

Adriani quoque IV. Epistolas in favorem Gradensis Patriarchatus (G 3); & amplum Alexandri IV. Diploma per iteratum ejusdem Eugenii decretum novo munimine roboravit. (H 3)

Ecclesia Gradensi optime annis fere duodecim administrata, obiit Blasius anno Domini 1439, quo anno Marcus Condulmerius assumitur ad Gradensem Ecclesiam. Hanc ille anno 1455. cum Alexandrina commutavit.

Dominicus Michael ab Eugenio IV. *6.* Idus Januarii anno 1445. destinatur Patriarcha Gradensis, cui cum per sex annos præfuisset obiit anno 1451. Quo mortuo Patriarchatus Gradensis sub Patriarchæ Venetiarum titulo Episcopatui Castellano ex Nicolai V. Summi Pontificis Decreto perpetuo unitur. In

ejus

ejus jura cum cæteris Ecclesiæ Gradensis redditibus Patriarchium quoque devenit: quod locationis nomine, certo censu assignato privatis viris locatum est, usque ad annum 1486. cum Maphæus Girardo Patriarcha Venetiarum emphiteosis titulo palatium ipsum Andreæ de Bulzano Guardiano Magno (ut ajunt) Clarissimi Sodalitii ad Divi Rochi Confessoris honorem instituti pleno jure concessit; *hoc tamen declarato ex tunc, ut livellatio sortiri debeat effectum suum*, quando per Romanum Pontificem, *vel alium habentem ad hoc potestatem, concessa, & impertita fuerit licentia de taliter livellando; & similiter quando per excelsum Ducale Dominium Venetiarum fuerit concessa talis licentia de taliter livellando.* (I3)

His ex ordinaria Patriarchæ authoritate peractis, Nicolaus Franco Episcopus Tarvisinus, qui apud Venetorum Rempublicam tunc temporis Apostolici Nuntii munus agebat, Ludovicum Spironum Sanctæ Crucis, & Nicolaum Riga Sancti Hieremiæ Plebanos Judices Commissarios instituit, ut re diligenter perspecta, si cuncta Pontificis Pauli II. constitutionibus invenerint convenire, ipsam emphiteosim Apostolica authoritate confirment. (K3)

Ecclesiastici Superioris jussa exequentes Commissarii executores viso emphiteosis instrumento, diligentique testium examine præhabito, cum ad Apostolicæ constitutionis mentem omnia in evidentem mensæ Patriarchalis utilitatem devenire cognovissent, lata sententia emphiteosis instrumentum tamquam rite, & optime factum collaudaverunt, & confirmarunt. (L3)

Post hæc Decreta Maphæus Patriarcha ipso anno 1486. die 18. Junii, statutam emphiteosim novi instrumenti vinculo roboravit. (M3) Inque ipsius Palatii possessione tandiu Divi Rochi Collegium permansit, donec Confratres latioris situs opportunitate allecti ad Divi Pantaleonis confinium, ubi modo degunt, se se receperunt, cum prius in ipso Divi Silvestri Templo magnifica suæ pietatis, ut ait Sansovinus, testimonia reliquissent.

Egimus hactenus de iis, quæ ad S. Silvestri Ecclesiam, utpote Gradensium Patriarcharum sedem, aliquo modo pertinent, modo Plebanorum seriem adnectere necesse est ea addentes, quæ vel ipsos Plebanos, vel jura Parochialis Ecclesiæ proxime attingunt.

Series

Series Plebanorum Ecclesiæ S. Silvestri.

1068. Vitalis Morarius, de cujus electione superius dictum est.
1097. Eustadius Coronarius Clericus, & Plebanus Ecclesiæ S. Silvestri. Ita in duobus instrumentis nuncupatum invenio 1097. mense Januarii confectis, quibus *Vitalis Vitturi*, *& Arnulphus Berardus Franciena* libram unam olei Ecclesiæ S. Silvestri in ipsius Sancti solemnitate se pro terræ censu soluturos fore promittunt.

„ In nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi. „ Anno ab Incarnatione ejusdem redemptoris nostri „ millesimo nonagesimo septimo mense Januarii Indictio- „ ne sexta Rivoalti. Post caucionis & securitatis cartu- „ las quas Dominicus curtulus filius quondam Johannis „ curtuli mihi fecit de una pecia de terra de infra sua „ vinea, & ortu lata pedes triginta sicut in eis legitur. „ Promittens promitto ego quidem Vitalis Vitturi de „ confinio S. Marie Formose cum meis heredibus tibi „ eustadio coronario clerico Plebano Ecclesie S. Silve- „ stri, & tuis successoribus, ut amodo in antea perpe- „ tuis temporibus, omnique anno in festivitate S. Sil- „ vestri vobis & vestris successoribus pro jam dicta pe- „ cia de terra, quam suprascriptus Dominicus curtulus „ mihi datam habet de infra sua vinea & ortu censum „ dare promitto libram olei unam, & quando ipsa pe- „ cia de terra venundata fuerit quintellum in suprascri- „ pta vestra Ecclesia persolvere promitto perpetuis tem- „ poris & vobis, & successoribus vestris, tamen vero „ salvo censo suprascripto & quintello predicto in su- „ prascripta Ecclesia & vobis, & successoribus vestris „ omnibus profuturis temporibus, & si omni quoque an- „ no in festivitate Sancti Silvestri vobis & ceteris vica- „ riis predicte ecclesie unam libram olei non persolve- „ rimus, tunc in duplo illam per unum quemque an- „ num quo prevaricatus fuero dare promitto. Quod si „ non observavero omnia sicut superius legitur, & pre- „ varicatus inde inventus fuero & fuerit clare factum „ componere promitto cum meis heredibus tibi, & tuis

„ succeſſoribus auri libras quinque, & hec promiſſionis
„ carta maneat in ſua firmitate. Signum manus ſupra-
„ ſcripti vitalis qui hec rogavit fieri.

„ ✠ Ego Petrus Contarenus tt. ſs.
„ ✠ Ego Joannes boreſſi tt. ſs.
„ ✠ Ego Henricus nonno tt. ſs.
„ Ego Dominicus clericus, & not. complevi & roboravi.
„ ✠ Ego Venerandus Marinus Presb. & Not. in matre
„ vidi teſtis ſum in filia.
„ ✠ Ego Andreas Delfinus Judex vidi in matre teſtis ſum
„ in filia.
„ Ego Andreas Venerius Presb. & Not. ſcripſi hoc exem-
„ plum anno Domini milleſimo centeſimo octuage-
„ ſimo tercio menſis Junii Indictione prima in quo
„ nec minui, nec ampliavi complevi, & roboravi.

„ In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jesu Chriſti.
„ Anno ab Incarnatione ejusdem Redemptoris noſtri,
„ milleſimo nonageſimo ſeptimo menſe Januarii. Indi-
„ ctione ſexta rivoalti. poſt caucionis, & ſecuritatis car-
„ tulas quas Dominicus cartulus filius quondam Joannis
„ cartuli mihi fecit de una pecia de terra de infra ſua
„ vinea & ortu lata pedes triginta, ſicut in eis legitur.
„ Promittens promitto ego quidem Arnulfus berardus
„ franciena habitator in veneciis cum meis heredibus.
„ Tibi Euſtadio coronario clerico plebano eccleſie S.
„ Silveſtri & tuis ſucceſſoribus Ut amodo in antea per-
„ petuis temporibus, omnique anno in feſtivitate S. Sil-
„ veſtri vobis & veſtris ſucceſſoribus pro jam dicta pe-
„ cia de terra, quam ſupraſcriptus Dominicus curtulus
„ mihi datam habet de infra ſua vinea & ortu cen-
„ ſum dare promitto libram olei unam, & quando ipſa
„ pecia de terra venundata fuerit quintellum in ſupra-
„ ſcripta veſtra Eccleſia perſolvere promitto perpetuis
„ temporibus & vobis, & ſucceſſoribus tuis. Tamen
„ vero cenſo ſupraſcripto & quintello predicto in ſu-
„ praſcripta Eccleſia & vobis, & ſucceſſoribus veſtris om-
„ nibus profuturis temporibus, & ſi omni quoque anno
„ in

" in festivitate S. Silvestri & ceteris vicariis predicte ec-
" clesie unam libram olei non persolverimus, tunc in
" duplo illam per unumquemque annum privatus fuero
" emendare promitto. Quod si non observavero omnia
" sicut superius legitur & prevaricatus inde inventus
" fuero & fuerit clare factum componere promitto cum
" meis successoribus tibi & tuis successoribus auri li-
" bras quinque & hec promissionis carta maneat in sua
" firmitate. Signum manus suprascripti Arnulfi qui hec
" rogavit fieri.

" ✠ Ego Petrus contarenus tt. ss.
" ✠ Ego Johanes Toreffi tt. ss.
" ✠ Ego Henricus Nonno tt. ss.
" Ego Dominicus Clericus & Notarius complevi, &
" roboravi.
" ✠ Ego Venerandus Marinus Presb. & Not. in matre
" vidi testis sum in filia.
" ✠ Ego Andreas Delfinus Judex vidi in matre testis
" sum in filia.
" Ego Andreas Venerius Presb. & Not. scripsi hoc
" exemplum anno Domini millesimo centesimo octua-
" gesimo tercio mense Junii Indictione prima in quo
" nec minui, nec ampliavi complevi, & roboravi.

1173. Marcus Nicola Diaconus & Pleb. S. Silvestri; quo nomine & titulis appellatur in testificatione proclamationis ab ipso facta *super investitura proprietatis* terræ, *& casæ quæ fuerat Symeonis Cornario de confinio* Sancti Apostoli.

" In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi
" anno Domini millesimo centesimo septuagesimo ter-
" cio mense decembris Indictione septima rivoalto. Te-
" stificor Ego quidem Rovardus ministerialis curtis pa-
" lacii quod tercia die intrante suprascripto mense, ego
" eram in curte ante presentiam Domini nostri Seba-
" stiani Ziani incliti ducis quando Marcus Nycola Dia-
" conus & Plebanus S. Silvestri, per ipsam suam Eccle-
" siam proclamavit super investitura quam petrus bar-
" ba major de confinio S. Gervasii posuerat super pro-

„ prietate terre, & case que fuit Symeonis cornarii de
„ confinio S. Apostoli & propter preceptum ejusdem Do-
„ mini Nostri Ducis feci cognitam suprascriptam pro-
„ clamacionem eidem petro barba majore eodem supra-
„ scripto die hoc per verum testimonium dico.
„ Signum suprascripti Rovardi qui hec rogavit fieri.

„ Ego Johannes tt. ss.
„ Ego Jacobus vilio tt. ss.
„ Ego Johanes Subdiac. & Not. complevi, & ro-
„ boravi.

Electus postea fuit Episcopus Castellanus, ut ex Dandulo refert Ughellus. Eo Ecclesiam Castellanam administrante Petrus Presbyter S. Silvestri Constantinopoli degens inter XII. electores adnumeratus fuit, qui Thomam Maurocenum ad Byzantinæ Ecclesiæ Patriarchalem Sedem evexerunt. And. Morosini Aquisto di Constant. l. III. pag. 217.

1182. Dominicus Minoto cujus electionem Henricus Gradensis Patriarcha confirmavit die XIV. Aprilis ejusdem anni; quo itidem anno mense Januarii ad morem Venetum computato *Dialetica* Dominici Baruccii filia Plebano huic *tantos denarios* solvit *quantum erant valentes duas libras & mediam de oleo pro censu terræ*, quam pater suus a Dominico Marengo Patriarcha Gradensi, ut supra dictum est, possidendam acceperat.

„ In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi
„ Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo secun-
„ do mense Januarii Indictione prima Rivoalto. Testi-
„ ficamur Nos quidem Jordanus Padavinus, & Johan-
„ nes bonus ambo habitatores in confinio S. Silvestri,
„ & marcus custos ejusdem Ecclesiæ. Quod nos in su-
„ prascripto mense eramus in suprascripta dei ecclesia
„ S. Silvestri quando dialetica filia quondam dominici
„ barucio de suprascripto confinio uxor vero homodei
„ pagano dedit, & appagavit ad dominicum minotum
„ presbiterum & plebanum ejusdem ecclesie tantos de-
„ narios quantum erant valentes duas libras & mediam

„ de

„ de oleo videlicet pro censo quod omni anno dare de-
„ bet in festivitate S. Silvestri propter illam proprieta-
„ tem terre & case in qua ipsa modo residet que fuit
„ suprascripti patris sui & etiam dixit, quia auditum
„ habebat & bene sciebat jamdictam suam proprietatem
„ terre & case esse detenta de quintello in suprascri-
„ pta Ecclesia & omni anno in festivitate S. Silvestri
„ dare suprascripto censu. Hec per verum dicimus te-
„ stimonium. Signum suprascriptorum Jordani & Joha-
„ nis qui hec rogaverunt fieri.

„ Ego Marcus custos S. Silvestri mm. ss.
„ Ego Marcus bonus homo tt. ss.
„ Ego Jacobus Venero tt. ss.
„ Ego Jacobus Lambardus Presb. & Not. complevi,
„ & roboravi.

A Marco Nicola Episcopo Castellano suo olim in plebanatu præcessore donationem *integræ quartæ partis decimacionum* accepit; cujus concessionis confirmationem primum ab Henrico Patriarcha Gradensi, mox ab Urbano III. Pontifice Maximo impetravit.

1207. Joannes Contarenus Notarius. De injuria a Plebano S. Apollinaris aliisque Clericis, & Laicis super quibusdam decimis sibi illata apud Onorium Papam III. conquestus est, qui Jacobo Archipresbytero Paduano per apostolica scripta mandavit quatenus *partibus convocatis* causam audiret, & *debito fine* decideret: Patent hæc ex ipsius Jacobi Judicis Delegati epistolis datis anno 1223. die XIV. Maii quibus Petrum Sterminium Ecclesiæ S. Apollinaris Plebanum coram se statuta die venire jussit Plebano S. Silvestri *plenarie* responsurum.

„ In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi
„ anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo tercio
„ die XIIII. intrante Madio Indictione XI. rivoalti. In
„ eorum presentia quorum subscripta sunt nomina. Pe-
„ trus Clericus S. Silvestri presentavit & dedit P. Ple-
„ bano S. Apollinaris ex parte Dom. J. Archipresbiteri
„ Paduani litteras ejusdem archipresbiteri sigillo sigilla-
„ tas

„ tas hunc modum habentes: Jacobus de commodo paduanus archipresbiter viro provido & discreto P. Plebano S. Apollinaris de venetiis salutem in domino Noveritis nos a Dom. Papa in hunc modum litteras recepisse. Honorius Fpiscopus Servus Servorum Dei Dilecto filio.. Archipresbitero Paduan. Salutem & apostolicam benedictionem. Dilectus filius J. Plebanus S. Silvestri nobis conquerendo monstravit quod plebanus & Clerici S. Apollinaris de veneciis, & quidam alii clerici & laici Castellane Diocesis super quibusdam decimis possessionibus & rebus aliis injuriantur eidem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audias causam & apellatione remota debito fine decidas faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint per censuram eamdem apellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere: Datum Laterani Nonis Aprilis Pontificatus nostri anno septimo. Volentes igitur mandatum apostolicum exequi ut tenemur vobis auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte precipiendo mandamus quatenus die x. post harum presentationem die presentacionis etiam computato Padue apud majorem Ecclesiam coram nobis venire curetis eidem plebano S. Silvestri plenarie responsuri actum est sub porticu domus sive celle dicte Ecclesie S. Apollinaris presentibus Matheo, & Matheo bereta clericis & aliis quampluribus.

„ Ego Johanes Ecclesie S. Silvestri Presb. & Not. interfui & rogatus scripsi complevi, & roboravi.

Qualis inde sententia sequuta fuerit incompertum. Eodem ipso anno 1253. die XII. Octobris Joannes Plebanus cum Sacerdotibus, & Clericis Ecclesiæ S. Silvestri consentiente Angelo Barocio Patriarcha Gradensi vendidit & transfactavit *Petro Sterminio Presb. & Plebano Ecclesiæ S. Apollinaris nomine ipsius Ecclesiæ suisque successoribus in perpetuum totam unam peciam de*

terra

terra vacua in confinio S. Silvestri positam de jure & pertinentiis suprascriptæ Ecclesiæ S. Silvestri. Venditionis instrumentum ad Ecclesiam S. Apollinaris exhibendum erit.

1251. Henricus Contarenus cujus mentionem superius ingessimus, ubi de Laurentio post Leonardum Quirinum Patriarcha Gradensi egimus.

1307. Matthæus Primicerius Ecclesiæ S. Marci de Venetiis, nec non Plebanus S. Silvestri de Nobili Gente Veneria ab Ughello ad annum 1326. inter Pimicerios S. Marci recensitus. Hic Ecclesiæ suæ domos inter Presbyteros & Clericos servata graduum dispositione dividi assensit anno MCCCVII. die x. Martii cujus divisionis instrumento suam interposuit authoritatem Ægidius Patriarcha Gradensis.

„ In Christi nomine Amen Anno ejusdem Nativitatis millesimo trecentesimo septimo Indictione quarta die veneris decimo intrante marcio Venetiis in sacristia ecclesie S. Silvestri presentibus testibus vocatis & rogatis Venturino de Castello, Nicoleto Salsa clerico dicte ecclesie S. Silvestri & aliis. Existentibus & constitutis coram Ven. in Christo Patre Dom. D. Fratre Egidio miseratione divina sancte gradensis ecclesie patriarcha dalmatieque primate Ven. Viro D. Matheo primicerio ecclesie S. Marci de Venetiis nec non plebano S. Silvestri ac providis & discretis viris D. Presb. bonsemblante & presb. Stephano ac daniele nicoleto stephanelo diaconibus, nicoleto marculino Zondano laurentio Francischino, clericis dicte Ecclesie S. Silvestri ad hec specialiter congregatis. Ipsi D. Plebanus Presbiteri & omnes alii clerici dicte ecclesie specificati superius voluerunt, ordinaverunt ac etiam expresse consenserunt quod domus dicte ecclesie S. Silvestri quas habitant prefati presbiteri bonsemblante & Stephanus ac dicti Diaconi Daniel Nicoletus, & Stephanelus sicut modo divise & partite sunt inter ipsos de eorum communi concordia & voluntate ita deinceps inter ipsos & successores eorum imposterum di-

„ vise

„ vise & partite semper remaneant & stent, & nullus
„ presens vel futurus presbiter, vel clericus dicte eccle-
„ sie aliter de ipsorum domorum divisione, dispone-
„ re audeat, vel presumat quam sicut modo est, & vo-
„ luerunt expresse consenserunt quod quandocunque ali-
„ quis de predictis presbiteris decederet qui de dictis diaco-
„ nibus primo ordinatus fuerat habere debeat domum il-
„ lam in qua habitabat talis presbiter decedens & sic sem-
„ per procedat inter ipsos. quibus omnibus sic peractis
„ idem Ven. Pater D. Patriarcha Gradensis suam au-
„ ctoritatem interposuit mandans ut sicut superius est
„ expressum ita per ipsos D. Plebanum & ceteros alios
„ clericos dicte ecclesie presentes & futuros inviolabi-
„ liter observetur.

„ Ego Petrus filius Manfredini de Ferraria Imperiali au-
„ ctoritate Notarius & Scriba predicti D. Patriarche
„ his omnibus interfui & rogatus scripsi complevi,
„ & roboravi.

1333. Leonardus de Cagnolis Not. circa annum 1344. transiit ad Plebanatum S. Geminiani, simulque electus fuit Prior Hospitalis S. Marci, indeque assumptus ad Ecclesiam Polensem anno 1349. die 5. Novemb. a qua translatus fuit ad Clodiensem anno 1353. Ex rog. ejusdem, & Ughell. Tom. v. in Episc. Clodiens.

1344. Nicolaus de Ripa. Ex Arch. Eccl.

1352. Marcus de Thochi. Hic constitutiones editas a Dominico Patriarcha Gradensi circa oblationes Ecclesiæ dividendas solemni instrumento assentiente Capitulo confirmavit.

„ In Christi nomine Amen Anno ejusdem nativitatis mil-
„ lesimo trecentesimo quinquagesimo tercio Indictione
„ sexta die martis vigesimo secundo Mensis Octubris
„ Actum Veneciis in pallacio patriarchali D. Patriar-
„ chæ Gradensis super salam que est prope cameram
„ infrascripti D. Vicarii Gradensis presentibus, D. Joha-
„ ne de Saravalle Notario de contrata S. Marie Juba-
„ nico, D. Presb. Leonardo Plebano S. Nicolai de Ve-
„ ne-

„ neciis, Petro famulo infrascripti D. Vicarii Gradensis
„ testibus vocatis ad hec & rogatis, & aliis Coram Rev.
„ Viro D. Frederico de monticelis Archidiacono Aqui-
„ legiensi Vicario Reverendissimi in Christo patris &
„ Dom. D. Fratris Fortanerii miseratione divina San-
„ cte Gradensis Sedis Patriarche Veneciarum Dalmacie-
„ que primatis Constitutis providis viris D. D. Mar-
„ co de Thocis plebano Ecclesie S. Silvestri de Vene-
„ tiis Castellane Diocesis Sedi Gradensi predicte imme-
„ diate subjecte Presb. Francisco presb. Gregorio presb.
„ Benedicto & Petro de corozatis subdiaconis omnibus
„ intitulatis in dicta ecclesia S. Silvestri qui omnes fa-
„ ciunt & constituunt totum & universum capitulum
„ dicte ecclesie S. Silvestri sive majorem partem ipsius
„ capituli unanimiter & concorditer nemine discrepan-
„ te fuerunt constriti & confessi per se, ac vice & no-
„ mine suorum successorum pro bono pacis, & scanda-
„ lo evitando quod constitutiones edite per condam
„ bone memorie D. Dominici olim Patriarche Graden-
„ sis observentur secundum quod cavetur in eis que
„ constitutiones sic incipiunt: Ad divini cultus &c. &
„ quod oblationes, & proventus oblationum dividantur
„ secundum formam dictarum constitutionum & conci-
„ lii dicti condam D. Patriarche Gradensis dando sti-
„ pendia hiis qui erunt presentes in officiis. Item con-
„ stricti fuerunt predicti nemine discrepante quod fe-
„ stum beati silvestri sit & esse debeat commune ad
„ omnes utilitates & ad omnes expensas dicti Capitu-
„ li S. Silvestri de vino emendo, & de confectionibus
„ & de vino dando, & centum soldos annuatim dom.
„ patriarche Gradensi que Plebanus dare tenetur sive
„ tenebatur & similiter de pane fiendo in Sabbato San-
„ cto pro baptismo solempni prout plebanus facere con-
„ sueverat. Relevantes dictum plebanum & suos suc-
„ cessores ab omnibus oneribus & expensis predictorum
„ que quidem expense & omnia incumbencia fieri de-
„ beant de commmuni impensa si non autem de mar-
„ supiis propriis omnium de capitulo quicquid vero su-

„ pererit a dictis expensis debeat dividi inter omnes in-
„ titulatos dicte ecclesie dando unicuique partem suam
„ & solvendo stipendia secundum formam dictarum con-
„ stitutionum dicti quondam D. Dominici olim patriar-
„ che Gradensis. Si vero aliquis suprascriptorum de
„ dicto capitulo contra predicta ire presumpserit seu
„ atemptaverit, tunc emendare debeat quilibet contra-
„ veniens, seu contrafaciens pro quolibet & in quolibet
„ actu contracto, vel contravento pro pena & nomine
„ pene libras decem parvorum, medietas cujus pene de-
„ veniat ad cameram Dom. Patriarche Gradensis pro fa-
„ brica ipsius Ecclesie Cathedralis, & alia medietas in
„ fabricam ecclesie S. Silvestri predicti & pena soluta,
„ vel non nihilominus hec pactionis & ordinacionis car-
„ tula in sua permaneat firmitate. Qui D. Vicarius
„ predictus suam auctoritatem interposuit & decretum
„ in predictis & hanc instrumenti cartam ad majoris ro-
„ boris firmitatem jussit sigillo Vicarii impressione mu-
„ niri mandans omnia inviolabiliter observari per predi-
„ ctos sub pena predicta.

„ Ego Johannes filius quondam danielis de contracta
„ S. Canciani de Veneciis publicus Imperiali aucto-
„ ritate notarius omnibus predictis presens fui una
„ cum dictis testibus & rogatus scripsi ac in publi-
„ cam formam redegi.

1358. Geraldus. Ex rogito Fantini Rizzo Plebani Sancti Eustachii.

1367. Hermachoras de Umago. Obtinuit Clericatum Ecclesiæ S. Joannis de Opitergio Diœcesis Cenetensis. Ughell. in Episc. Cenetensibus Tom. v. col. 212. Obiit 1381.

1386. Angelus. Ex rog. Marci de Raphanellis Not.

1400. Robertus Contarenus Nob. Venet. Antonii filius, & Pater Petri. Ex Chronica ms. apud Familiam Veneriam de Sancta Maria Formosa.

1404. Angelus Lucæ de Eugubio Vicarius in spiritualibus Patriarchæ Gradensis Canon. Basilicanus S. Marci & Archi-

chipresbyter. Ex rog. Jacobi Ziera Plebani S. Jo: Chrysostomi. In eum tanquam Judicem compromiserunt Andreas Civranus Abbas S. Cypriani Murianensis, & Capitulum Ecclesiæ Matricis S. Mariæ de Muriano 20. April. 1408.

1413. Andreas Lepreti. Ex Archivo Eccl.

1417. Antonius de Vatatiis Not. prius Presb. S. Mariæ de Muriano transiit ad Plebaniam Sancti Mauritii. Ex rog. ejusdem.

1430. Philippus. Ex Catastico Eccl.

1438. Blasius de Lupis de Vegla. Ex ejus Testamento rog. die XIX. Julii anno 1448.

1450. Antonius de Monopoli. Ex rog. Apollonii Presb. S. Silvestri & Not.

1461. Hieronymus Bono Not. olim Presb. SS. Apostolorum. Ex Arch. Eccl.

1463. Thomas de Pavonibus. Ex rog. Pauli Benedicto Pleb. S. Mariæ Jubanico Not.

1464. Leonardus de Gattis. Ex ejus Testam. 1477. 17. Martii.

1475. Jacobus Niger. Ex Catast. Ecc.

1481. Angelus de Angelis Pleb. S. Bassi & S. Silvestri. Ex rog. Laurentii Stella Presb. & Not.

1485. Aloysius Bagatto. Hic Sacellum Omnium Sanctorum Ecclesiæ S. Silvestri, ut jam diximus, adnexum intra ipsius Ecclesiæ circuitum, ut latiori spatio dilataretur, includi curavit. Patet hoc ex Supplicatione, qua Parœciæ suæ incolas ad pium opus accendit.

Quanto sia laudabele apresso lomnipotente idio, & honor del mondo le opere se fano in li sacri templi di esso nostro signor idio: Considerando io Alvixe bagato prothonotario apostolico piovan de S. Silvestro, & prior de ogni sancti ho deliberato cum laiutorio suo, Conzon-

Quam laudabilia sint apud Deum & apud homines honorifica ea, quæ ad ornanda Deo dicata Templa offerentur mente recogitans Ego Aloysius Bagato Protonotarius Apostolicus Plebanus S. Silvestri & Prior Omnium Sanctorum statui divino fretus auxilio Sacellum Omnium Sanctorum, quod Aræ Ma-

zonzer, & unir la Capella de ogni sancti che e drieto lo altar grando: di essa chiexia nostra Cum essa chiexia Che sara una magnifica cossa, Et questo far non se possi senza il suffragio de vui Magnifici mii signori parrochiani: Impero priego le Signorie vostre Chel vi piaqui porzer quel favor & aiuto vi inspirera lomnipotente idio & misier san silvestro azio tanta bona opera se possi principiar & finir, & di quanto cadaun se degnera prometer & obligar, se debia qui sotoscriver. Che priego laltissimo idio & misier S. Silvestro vi fazi acrescer & in centuplum multiplicar libeni vostri temporal, & poi conciedervi per gratia la gloria del paradixo: Amen.

Majori nostræ Ecclesiæ a parte posteriori adjacet, ipsi Ecclesiæ adnectere & unire, quod quidem opus erit magnificum. Cum autem hoc absque vestro subsidio impleri nequeat Magnifici Domini mei Parœciæ hujus habitatores, ideo D. V. exoro, ut quod vobis ex Dei Omnipotentis, atque Domini S. Silvestri inspiratione placuerit, hoc in subsidium erogetis, ut præclarum opus, & initia & complementum accipiat. Quantum quis in elemosynas conferre decreverit hic sua subscriptione significet. Deum interea Altissimum deprecor Dominumque S. Silvestrum, ut bona vestra temporalia augeri, atque in centuplum multiplicari concedant, atque vos per Dei gratiam ad Paradisi gloriam perducant Amen.

Et Io pre alvixe bagato piovan sosprascritto me chiamo debitor de la dita fabrica ducati 5.

Et Ego Presb. Aloysius Bagato Plebanus suprascriptus debitorem me dicto operi fateor ducatos quinque.

Anno MCCCCLXXXXI. die trigesima prima Maii ab Innocentio VIII. Apostolicas litteras impetravit quibus Pontifex Bartholomæo Episcopo Spalatensi, atque Plebano Sancti Paterniani mandavit, ut *ea quæ de bonis Plebanatus Ecclesiæ Sancti Silvestri alienata invenissent illicite vel distracta, ea ad jus & proprietatem ejusdem Plebanatus legitime revocare* curarent. (N3)

1512.

1512. Andreas de Thebaldis Protonot. Apostolicus. His nomine suæ Ecclesiæ Matricis apud Antonium Contarenum conquestus est *quod licet a tanto tempore citra cujus hominum memoria non erat in contrarium de antiqua observata & approbata consuetudine Plebani Ecclesiarum Parochialium Ecclesiæ S. Silvestri in hac parte de consuetudine subjecti* non possent *a media Quadragesima usque ad Octavam Paschæ Ressurrectionis Domini inclusive baptizare aliquos utriusque sexus pueros, sive adultos sine expressa licentia Plebani S. Silvestri; nihilominus pueros ipsos* batizarent *in præjudicium jurisdictionis præfati Domini Plebani*, atque insuper *contra formam Constitutionum Sinodalium* negligerent *in die Sabbathi Sancti interesse* ad benedictionem fontis *in ipsa Ecclesia*. Hisce quærelis exceptis Patriarcha pro animi sui æquitate suprascriptis plebanis *in virtute sanctæ obedientiæ* præcepit, quatenus non deberent vetitis diebus infantes in suis Ecclesiis baptizare *nisi cum espressa licentia præfati Plebani Ecclesiæ S. Silvestri*, atque statuta pena decrevit, ut unusquisque eorum deberet de cætero interesse die Sabbathi Sancti ad fontem in dicta Ecclesia S. Silvestri, & *facere officium ipsum secundum ordinem & consuetudinem dictæ Ecclesiæ*.

„ Antonius Contareno miseratione divina patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas Vobis infrascriptis „ D. D. Plebanis Ecclesiarum Parochialium hujus nostræ Civitatis Ecclesiæ S. Silvestri in hac parte de con„ suetudine subjectis salutem in Domino, & mandato„ rum nostrorum obedientiam. Noveritis coram nobis „ comparuisse Rev. D. Andream de Thebaldis Plebanum „ dictæ Ecclesiæ S. Silvestri, & indoluisse, quod licet a „ tanto tempore citra, cujus hominum memoria non „ est in contrarium, de antiqua observata & approba„ ta consuetudine, Vos præfati D. D. Plebani a media „ Quadragesima usque ad octavam paschæ resurrectionis „ Domini inclusive, non possetis nec aliquis vestrum

„ pos-

» possit baptizare aliquos utriusque sexus pueros sive
» adultos, nec ex eis sacramentum ejusdem baptisma-
» tis prebere sine expressa licentia in scriptis nobis da-
» ta per prefatum D. Plebanum S. Silvestri, immo te-
» nemini dictos baptizandos infra dictum tempus mitte-
» re ad Ecclesiam predictam S. Silvestri ; Nihilominus
» vos (nescitur qua auctoritate ducti) pueros ipsos ba-
» ptizatis, sive ab aliis in Ecclesiis nostris baptizare
» permittitis, & facitis in prejuditium jurisdictionis pre-
» fati D. Plebani, nulla licentia ab eo requisita, quod-
» que contra formam constitutionum synodalium ne-
» glexistis, & negligitis in die Sabbati Sancti interesse
» ad fontem in ipsa Ecclesia non absque offensione &
» diminutione divini cultus, & jurisdictionis dicte Ec-
» clesie, & preter omne honestatis debitum, ideo im-
» plorata ope nostra super hoc vobis supra & infrascri-
» ptis D. D. Plebanis in virtute sancte obedientie, &
» sub excommunicationis pena late sententie quam in
» vos ferrimus his scriptis, unica pro trina canonica
» monitione premissa si inobedientes fueritis, quatenus
» non debeatis nec per vos, nec per alios in vestris
» ecclesiis usque ad octavam pasche proxime futuram
» inclusive baptizare, seu baptizari facere aut permit-
» tere aliquem puellum, seu puellam, nec etiam adul-
» tum baptizare, nisi cum expressa licentia prefati Dom.
» Plebani Ecclesie S. Silvestri in scriptis aut oretenus
» vobis data, Vobis etiam prefatis D. D. Plebanis &
» omnibus Titulatis vestrarum Ecclesiarum dicto te-
» nore presentium committimus, & mandamus quate-
» nus sub pena librarum quinque a quolibet vestrum
» contrafaciente inrremisibile auferenda secundum for-
» mam constitutionum synodalium debeatis, & unus-
» quisque vestrum debeat de cetero interesse in die
» sabbati Sancti ad fontem in dicta Ecclesia S. Silve-
» stri prout vestrum est debitum, & termini vigore
» dictarum constitutionum, & facere offitium ipsum
» secundum ordinem & consuetudinem dicte Ecclesie
» nobis declarandam per dictum D. Plebanum. Datum
» in

„ in nostro Patriarchali palatio, Venetiis, die penulti-
„ mo Mensis Martii M.° D.° xv.°



„ D. Plebano S. Thome.
„ D. Plebano S. Luce.
„ D. Plebano S. Steffani Confessoris.
„ D. Plebano S. Eubaldi.
„ D. Vicar. S. Bartholomei.
„ D. Plebano S. Pauli.
„ D. Plebano S. Panthaleonis.

D. Plebano S. Margarite.
D. Plebano S. Mathei de Rivoalto.
D. Plebano S. Paterniani.
D. Plebano S. Cantiani.
D. Plebano S. Cassiani.
D. Plebano S. Augustini.
D. Plebano S. Jacobi de Luprio.

Anno MDXVIII. ut *Capella Magna in Collegiata Ecclesia S. Silvestri quæ Omnium Sanctorum* nuncupabatur & ab Alexandro Papa III. consecrata fuerat, *quæque propter*

pter terremotum & incendium quod superioribus annis in Rivoalto fuerat ruinæ subjacebat & dudum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Silvestri unita & incorporata fuerat *in suis structuris, & ædificiis* repararetur, Leo Papa X. ad ejusdem Andreæ Plebani preces omnibus Christifidelibus ipsam Ecclesiam visitantibus, atque ad ejus reparationem eleemosinas erogantibus plenariam criminum suorum remissionem Apostolica largitate concessit. Pontificium Diploma Datum fuit Romæ ipso anno 1518. die XII. Novemb. (O 3)

1520. Antonius Boninsegna. Ex Cataft. Eccl.
1540. Paschalis Pisanus Presb. Titular. Sancti Jacobi de Luprio. Obiit Kalendis Octob. 1544. Ex Elogio Sepulcrali.
1544. Sebastianus de Marqualibus Canon. S. Marci. Ob. 21. Novemb. 1566. Ex Cataft. Eccl.
1566. 2. Dec. Balthasar de Ponzonibus. Ob. 5. Novemb. 1569.
1569. 9. Novemb. Marcus Moscatellus. Ob. 11. Novemb. 1572.
1572. Antonius Cassianus. Ex Cataft. Eccl.
1577. Joannes Claudio. Ob. 9. Septemb. 1583.
1583. Gaspar Spineda. Ex Arch. Eccl.
1585. Nicolaus Diedo. Ob. 15. Octob. 1608.
1608. Bartholomæus Boschetus Canon. Patriarchalis. Ob. 2. Julii 1635.
1635. Franciscus Sala Canon. Castellanus. Ob. 29. Junii 1652.
1652. Paulus Trevano. Ob. 31. Augusti 1653.
1653. Symeon Pizzamelli. Ob. 20. Augusti 1659.
1659. 26. Aug. Antonius Ferrarius. Vixit in Plebanatu dies XV. Obiit nondum inita possessione die 9. Septemb. 1659.
1659. 21. Septemb. Laurentius Licini Canon. Castell. Obiit 14 Decembris 1716.
1716. Laurentius Licini Laurentii supradicti nepos, J. U. D. eximiæ doctrinæ vir. Ob. 14. Septemb. 1744.
1744. 18. Septemb. Angelus Armetus.

Domi-

Dominicus Marengo Patriarcha Gradensis constituit Plebanum S. Silvestri Vitalem Morarium.

A.

1069. Januarii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi anno Incarnationis ejusdem millesimo sexagesimo nono Januarii Indictione septima. Semper enim vigilanti cura providendum est, ut unusquisque fidelis jura Sanctæ Dei Ecclesie magnopere disponere queat in sue magnitudinis decorem constituti qualiter incessanter suos habeat laudatores. Quapropter Nos quidem Dominicus Dei gratia Sancte Gradensis Ecclesie Patriarcha cum nostris successoribus quia previdimus te Vitalem presbiterum Morarium utilem ad Sancte Dei Ecclesie ministerium peragendum te plebanum & Priorem investivimus & confirmavimus in basilica S. Silvestri que est de sinu nostre Sancte matris Ecclesiæ per jus & possessionem ab antiquis temporibus, ut omnibus vite tue diebus ibidem Plebanus, & Prior existas ad ordinandum & disponendum, atque meliorandum omnia mobilia, vel imobilia quantum ad jam dictam basilicam pertinens est, vel fuerit terras videlicet sive casas, vineas, salinas, aurum, argentum, es, ferrum, stagnum, plumbum, lectos & enumia Sanctorum & omne ordinamentum ipsius Basilice idest palia serica lanea, vel linea, nec non & libros (*a*) divinos diurnales, & nocturnales, & omnia que tam per inventaneum (*b*) quam extra inventaneum tibi concessimus. Predictam autem ecclesiam S. Silvestri, & Ecclesiam S. Johannis sive Omnium Sanctorum (*c*) cum tota sua cella & domo, & caminatis (*d*) cum suo solario, & aliis caminatis, atque cum universis censis, & quintellis (*e*) ibidem pertinentibus sive cum toto prode quantum hinc in antea invenire poteris de ipsis quingentis (*f*) mancis denariorum qui sunt de prefata Sancti Silvestri Ecclesia & cum omnibus suis pertinentiis intus & foris sicut tuis precessoribus omnia tradita fuerunt sic in tuam tradimus potestatem habendi, cultandi, meliorandi, & dominandi, disponendi, regendi, judicandi, minime autem de toto quod per inventaneum tibi tradidimus aliquid minuendi, vel alienandi, ita ut ab ipsa ecclesia subtrahas. Nunc autem promittimus, ut omnibus vite tue diebus de quantumcunque prenominavimus te nullo modo expellam per nullum ingenium non parvum, neque magnum sed liceat tibi in prelibatis basilicis, atque in reliquis hedificiis habitare, & convivere ac in eis, & in omnibus suis pertinentiis jus potestatem habere sicut precessores tui habuerunt nullo tibi homine contradicente. Insuper promittimus ut nullum hominem super te, vel sub te aut parem tibi in su-

(*a*) Libri scilicet ad Divinum officium diurnis, & nocturnis horis persolvendum opportuni.
(*b*) Inventaneum idest ac inventarium.
(*c*) Sacellum omnium Sanctorum Ecclesiæ ipsi adjacebat, eique proxima erat domus pro Plebanorum habitatione.
(*d*) Caminatum idem est ac Camera, conclave, vel cœnaculum quodvis, in quo caminum extat. Vide Ducangium in Glossario littera C.
(*e*) Quintellus est quinta pars quintæ partis. In statutis Venetis anno 1232. L. I. c. 4. IV. 11. V. 3. VI. 4.
(*f*) Manca & Mancusa idem est ac *Marca* nempe certum auri, vel argenti pondus. Videsis Cangium in Glossario.

suprascriptis basilicis aut cella, vel caminatis, nec in aliqua earumdem Basilicarum (a) pertinentia ullo modo intromittere presumam non presbiterum, aut diaconum, nec quemlibet clericum, vel laicum, sed omnibus vite tue diebus ut prædiximus cuncta, ut supra legitur potestas tibi maneat ordinandi, & disponendi, & meliorandi, ac incolumia omnia retinendi secundum quod tibi possibilitas fuerit. Concedimus etiam ut si quid per vota aut offerciones, seu tuis laboribus, & orationibus habere potueris in tua debeat esse potestate. Tradimus etiam tibi cuncta monumenta que modo ibi sunt, vel que in antea ibi fieri permiseris ut omnia in tua sint potestate sicut mos est. Similiter oblationis & olei quantum Dominus dederit in ipsis basilicis in tua totum sit potestate ita sane ut ab ipsa ecclesia in divinis laudibus diurnis ac nocturnis luminaria semper habeant accensa. Verum tamen secundum quod nostri antecessores habuerunt ita & nos in supradictis basilicis & solariis sursum, atque deorsum receptionem & honorem habere debeamus nos videlicet, & nostri successores ac nostri homines hec omnia observare & adimplere promittimus cum nostris successoribus omnibus vite tue diebus. Quod si non observaverimus omnia quemadmodum supra legitur aut Ego, vel mei successores te de suprascriptis basilicis aut de aliqua, vel de omnibus earum pertinentiis aliquo tempore expellere temptaverimus, aut si aliquid de toto quod superius legitur tibi subtrahere, vel minuere presumpserimus componere promittimus cum nostris successoribus tibi auri libras quinque, & hec concessionis carta omnibus diebus vite tue in sua maneat firmitate. Quam scribere rogavimus D. Tinum Clericum & Notarium, ac S. Michaelis Archangeli Ecclesie Plebanum. Acta Rivoalto millesimo mense & inditione suprascripta octava feliciter.

✠ Ego Dominicus Dei gratia Patriarcha m. m. ss.
✠ Ego Johannes Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Archidiaconus m. m. ss.
✠ Ego Stephanus Sanctæ Gradens. Eccl. Presb. m. m. ss.
✠ Ego Pascalis Sanctæ Gradens. Eccl. Diaconus m. m. ss.
✠ Ego Constantius Subdiaconus Sanctæ Gradens. Eccl. m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Gradens. Eccl. Subdiaconus m. m. ss.

(a) Basilica olim vocabatur quæcunque Ecclesia, etiam angusta. Ita S. Petrus Damianus Tom. 2. in vita S. Romualdi ait: Apud parvam Basilicam.



Domi-

Dominicus Marengo Patriarcha Gradensis concedit Dominico Barucio quamdam partem vineæ positæ in confinio S. Silvestri pro qua solverat libras quadraginta in ædificatione Domi Majoris, *seu Patriarchalis Ecclesiæ Gradensis expensas apposita conditione ut annuatim solvat in festo Sancti Silvestri libras quinque olei.*

B.

1069. Februarii.

Ex Autographo in Archivo Ecclesiæ Sancti Silvestri.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem redemptoris nostri millesimo sexagesimo nono mense Februarii Indictione octava rivoalto. Quapropter nos quidem Dominicus gradensis Patriarcha cum nostris successoribus ab hodie per hanc nostri libelli cartam damus, atque transactamus vobis dominico barucio filio dom. barucii, atque Johani fratri tuo & vestris heredibus ac proheredibus, seu posteris vestris imperpetuum profuturum possidendum, hoc est una pecia de terra de infra vinea de nostra Ecclesia Sancti Silvestri, que ecclesia est de jure & possessione nostri patriarchatus, & ipsa vinea nullum solacium ad ipsam ecclesiam erat. Habet ista pecia de terra, quam vobis transacto, a longitudine sua palmor. pedes nonaginta quatuor, & habet in latitudine sua tota equaliter palmor. pedes quadraginta uno capite tenente in ipso nostro calle de contra rivo Sancti Sylvestri unde per eundem rivum tenet introitum & exitum, atque junctorium & jaglaciones & per ipsum callem ire & redire debeatis sursum, atque deorsum in die vel in nocte. alio capite tenente similiter in alio calle que est de predicta nostra ecclesia S. Silvestri per quem callem sursum atque deorsum in die, vel in nocte ire & redire debeatis nullus homo sit per eum vobis contradicat. Uno latere firmat in steffano candiano & alio latere firmat in majo magistro dimitrio. Hec namque prenominata designata pecia de terra cum omni longitudine & latitudine sua, cum capitibus & lateribus suis & cum cuncta sua habente & pertinente ab intus & foris cum suis jacenciis, tam subtus, vel supra terra ibidem esse noscuntur, ita eam in vobis damus & transactamus plenissimam potestatem, ut ab hac die in dei & christi nomine habeatis, teneatis, possideatis jure dominioque vestro in perpetuum vindicetis atque defendatis, vestrisque heredibus ac proheredibus, sive posteris relinquatis habendi, tenendi, vendendi, donandi, commutandi & inperpetuum possidendi, aut quicquid inde vobis placuerit faciendi nullo vobis homine contradicente. Unde tu nobis dedisti & in nostro patriarchatu libras denariorum quadraginta, quas nos in restauracione de ipso nostro domo majore misimus. Tamen vero statutus est inter nos, ut per omnem annum in festivitate S. Silvestri pro censo persolvere debeatis libras de oleo quinque in eadem predicta ecclesia, & si per omnem annum ipsum censum non persolveritis in jamdicta ecclesia S. Silvestri ut supra legitur tunc duplo ipsum censum in ipsa ecclesia dare debeatis & qualecunque tempore ipsa terra quam vobis transacto ad venundandum venerit quintellum inde dare & persolvere debeatis in presata dei ecclesia perpetua tempora. Quod si quocunque tempore contra hanc nostri libelli cartam ire temptaverimus nos vel nostros successores, aut aliquid exinde

vobis subtrahere, vel minuere voluerimus & vos inde defensare noluerimus, aut non potuerimus ab omnibus hominibus recte vos persolventes jamdictum censum, aut quintellum in prenominata ecclesia S. Silvestri componere promittimus cum nostris successoribus vobis, & vestris heredibus auri libras quinque & hec nostri libelli & defensionis carta manet in sua firmitate ut supra, usque in perpetuum. Quam scribere rogavimus Dominicum clericum saturninum Notar. & Ecclesie S. Cassiani Plebanum.

✠ Ego Dominicus Dei gratia Patriarcha m. m. ss.
✠ Ego Johannes Archidiaconus m. m. ss.

Dominicus Baruzo despondet Dominico Marengo Patriarchæ Gradensi quinque libras olei annuatim solvendas in festo Sancti Silvestri pro censu cujusdam terræ positæ in confinio Sancti Silvestri.

1069. Februarii.

Ex Autographo in Archivo Ecclesiæ S. Silvestri.

ANno domini dei & salvatoris nostri jesu christi. Anno Incarnationis ejusdem redemptoris nostri millesimo sexagesimo nono mense Februarii indictione octava Rivoalto. Post. libelli cartam quam mihi factam habetis de una pecia de terra de infra ipsa vinea, que fuit de vestra ecclesia S. Silvestri sicut in eo meo continet. Promittens promittò ego quidem Dominicus baruzo filius Dominici baruzo cum meis heredibus vobis D. Dominico egregio patriarche sancte gradensis ecclesie & vestris successoribus, ut amodo in antea per omnique anno in festivitate S. Silvestri censum inde dare & persolvere promitto in prefata dei ecclesia S. Silvestri libras quinque de oleo, & si per omnique anno in festivitate S. Silvestri ipsum censum in ipsa ecclesia non dederimus, tunc duplo illum ibi dari debeamus. Et si unquam tempore ipsa terra quod mihi datam habetis ad venundandum venerit & de mea prole non fuerint qui eam comparare possit non debeam eam in extranea persona venundare nisi vobis & in prelibata dei vestra ecclesia S. Silvestri per tantum precium sicut illo tempore a bonis hominibus apreciata fuerit, & valuerit. Quod si vos eam comparare nolueritis nec tantum precium dare, tunc potestas nobis maneat eam venundare cuicunque nobis placuerit, tamen vero salvo suprascripto censo, & quintello in prefata dei ecclesia S. Silvestri perpetuis temporibus, hec omnia observare & adimplere promitto. Quod si non observavero omnia quod superius legitur, & fuerit clare factum, componere promitto cum meis heredibus vobis & vestris successoribus in predicta dei ecclesia S. Silvestri auri libras quinque, & hec promissio infrascripto ordine maneat in sua firmitate.

Signum manus suprascripti Dominici qui hec rogavit fieri.

Ego Andreas Michael tt. ss.
Ego Petrus Sturlato tt. ss.
Ego Dulci Apolenaris tt. ss.

✠ Ego

✠ Ego Andreas Presb. Sancti Cantiani & Not. sicut vidi in matre ita testificor in filia.

✠ Ego Andreas Delfin. Judex vidi in matre testis sum in filia.

Ego Jacobus lambardus Presb. & Not. hoc exemplum exemplavi anno domini millesimo centesimo octuagesimo secundo mense Januarii Indictione prima nec minui, nec ampliavi, sed complevi, & roboravi.



Madius promittit Dominico Marengo Patriarchæ Gradensi solvere tres libras olei annuatim in die Sancti Silvestri pro quadam terra, quæ fuerat de jure Sancti Silvestri.

C.

1069. Februarii.

Ex Autographo in Archivo Ecclesie S. Silvestri Venetiarum.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Incarnacionis ejusdem redemptoris nostri millesimo sexagesimo nono mense februarii Indictione octava rivoalto. Post libelli cartulam quam mihi factam habetis de una pecia de terra que fuit deintra vinea que fuit de vestra Ecclesia S. Silvestri sicut in ea continetur. Promittens promitto ego quidem Madius filius Johanis magistri demittri cum meis heredibus vobis D. Dominico egreyo patriarcha Sancte Gradensis Ecclesie & vestris successoribus. ut amodo in antea per omne annum in festivitate S. Silvestri censum dare & persolvere promitto in prefata Ecclesia S. Silvestri libras tres de oleo. & si per omne annum ipsum censum non persolverimus in ipsa Ecclesia in festivitate Sancti Silvestri. tunc duplum illum ibi dare debeamus & si unquam tempore ipsa terra quam mihi datam habetis ad venundandum venerit; & de ipsa prole non fuerit qui eam comparare possit. non debeam eam in extraneam personam venundare nisi vobis & prefata vestra ecclesia S. Silvestri per tantum precium sicut illo tempore ab omnibus hominibus apreciata fuerit & valuerit. quod si vos eam comparare nolueritis, nec tantum precium dare tunc potestas nobis maneat eam venundare cuicunque nobis placuerit salvo vero suprascripto censu, & quintello in prefata Ecclesia S. Silvestri perpetua tempora hec omnia observare & adimplere promitto. Quod si non observavero omnia que supra leguntur & fuerit clare factum, componere promitto cum meis heredibus vobis, & vestris successoribus in prefata Ecclesia S. Silvestri auri libras quinque & hec promissio infrascripto ordine maneat in sua firmitate.

Signum manus supradicti Madii qui hec rogavit fieri.

Ego Michael tt. ss.
Ego Petrus tt. ss.
Ego Dominicus tt. ss.

Ego Dominicus Presb. & Not. complevi, & roboravi.

Ste-

Stephanus Candianus donat Rustico de Recio terram positam in confinio S. Silvestri ; salvo tamen censu duarum librarum olei Ecclesiæ eidem solvendo.

1087. Aprilis.

Ex Autographo in Archivo S. Silvestri.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Anno ab incarnatione ejusdem redemptoris nostri millesimo octuagesimo septimo mensis Aprilis. Indictione decima rivoalto. Magnus donacionis est titulus, ubi casus largitatis nullus reperitur, sed ad firmamentum muneris sufficit animus largientis. Quapropter ego quidem Stephanus candianus filius quondam dommici candiani cum meis heredibus nullo penitus cogente aut suadente, nec vim inferente, sed optima & spontanea mea bona voluntate & pro remedio animæ meæ, & pro tuo bono merito quod mihi factum habes ab hodie in dei & Christi nomine do dono, atque transacto tibi Rustico de Recio habitanti in confinio S. Salvatoris & tuis heredibus ac proheredibus, seu posteris tuis pro futurum possidendum unam meam peciam de terra, quæ fuit de infra vinea Sancti Silvestri, quæ mihi advenit de dominico defuncto gradense patriarcha per libelli gratiam sicut in ea legitur habentem in longitudine sua palmi pedes octuaginta octo & in latitudine sua tota equaliter palmi pedes viginti. uno capite tenet in ipso calle de contra rivum S. Silvestri. unde est introitus & exitus, atque junctorium & jaglaciones. alio autem capite firmat in calle de predicta ecclesia S. Silvestri. unde ire & redire debes sursum, atque deorsum in die & in nocte uno latere firmat in Dominico baruzo & Johanne fratre ejus. alio autem latere firmat in terra Dominici campuli archidiaconi. Hanc namque prenominatam designatam peciam de terra cum omni longitudine & latitudine cum capitibus & lateribus suis, & cum cuncta ibi habente & pertinente ab intus & foris cum suis jacentiis quæ tam subtus terram quam supra ibidem adesse noscuntur pleniter cum omni vigore & robore de jamdicta libelli carta tibi, & in tua potestate transacto habendi, tenendi, vendendi, donandi, commutandi, & inperpetuum possidendi, aut quicquid inde tibi placuerit faciendi nullo tibi homine contradicente tamen vero tu omnique anno in festivitate S. Silvestri censum dare, & persolvere debeas in suprascripta ecclesia S. Silvestri libras duas de oleo perpetuis temporibus & quintellum cum ad venundandum venerit similiter sit salvum in suprascripta Ecclesia S. Silvestri. Quod si unquam tempore contra hanc meæ donacionis cartam quam meo bono animo feci ire temptavero, aut aliquid exinde tibi subtraere, vel minuere voluero, aut aliquo certo dono, vel merito inde tibi inquisiero tunc non solum reatum mendacii incurram verum eciam..... solvere promitto cum meis heredibus tibi & tuis heredibus auri libras quinque & hec securitatio maneat in sua firmitate. Signum manus suprascripti Stephani qui hec rogavit fieri.

Hoc est

✠ Ego Henricus tt. ss. Ego Henricus Ursoyolus Judex.
✠ Ego Petrus tt. ss. Ego Petrus filius q. Dominici Contareni Ducis.
✠ Ego Lello tt. ss. Ego Lello Gradonicus filius Johannis.

Ego Dominicus Clericus & Not. complevi, & roboravi.

Ste-

Stephanus Delphinus electus Episcopus Equilinus jurat subjectionem Joanni Saponario Patriarchæ Gradensi.

D.

1084. Julii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem Redemptoris nostri millesimo octuagesimo quarto mense Julii Indictione VII. Rivoalto. Promittens promitto ego quidem (a) Stephanus Delfinus exiguus Presbiter futurus Episcopus equilensis Ecclesiæ vobis namque Domno Johani Saponario ter beatissimo (b) Sancte gradensis Patriarchalis Ecclesiæ egregio, atque sanctissimo Patriarchæ seniori meo ut amodo in antea fidelis esse debeam sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus & nunquam Ecclesiam cui præesse debeo equilensem de jure sanctæ Gradensis Ecclesiæ & ibi presidentium Pontificum subtrahere debeam sed juste & honeste Domino juvante juxta meam conscientiam eam regere debeam & in omnibus preceptis vestris me obedire secundum normam canonicam ut decet tanto patri promitto. Receptionem vero vestram honorifice tractare debeam, & quando nobis mandatum direxeritis bis in anno in festivitate videlicet S. Hermachore, & idibus Octobris ad vestram synodum absque divino impedimento sicut ceteri nostri confratres occurrere debeam & per unamquamque Festivitatem Sancti Hermachore vobis & vestris successoribus & in suprascripta vestra ecclesia annualiter censum solvere debeam videlicet denariorum solidos quinque. Castitatem vero in quanto michi Dominus concesserit conservare profiteor. Et nullum prejuditium idest injustitiam adversum presatam nostram Gradensem Ecclesiam, & adversum vos presumere debeam. Item de Monasterio S. Georgii de Pineto (c) littoris Equilensis quod jure est pertinens de vestra ecclesia nulla querimonia neque insenia, neque vigiliam aut prandium, vel subjectionem aliquam facere debeam alicujus artis ingenio. Unde jurata voce dico per sancta quatuor Evangelia & Crucem Domini Nostri Jesu Christi & corpora Sanctorum quæ ibi requiescunt quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum Sanctæ meæ Patriarchalis Gradensis Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus meque nunquam in contrarium venturum profiteor. Qnod si quocunque tempore contra hanc meæ promissionis cartam ire temptavero; tunc potestas maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi ac constringendi, & hæc meæ professionis cartula quam propria subscribendo manu adfirmavi in sua maneat firmitate omnibus diebus vitæ meæ quam scribere rogavi D. tinum clarum Sancti Mauri plebanum in mense & Indictione suprascripta ac nostrorum clericorum subscriptione subnotari. Ego Stephanus.

(a) Ex hoc Diplomate corrigenda venit electio Joannis Patriarchæ in Ital. Sac. Tom. V.
(b) Titulus Beatissimi, atque aliquando etiam Sanctissimi, qui nunc temporis solo Romano Pontifici competere videtur; olim priscis Ecclesiæ sæculis communis erat omnibus Episcopis, ut ex operibus Divorum Augustini & Paulini aliorumque Patrum clare patet. Quinimmo eo utebantur ethnici ipsi, ut quos amabant, vel venerabantur honore afficerent. Ita Boldett. in observationib. super Cæmeteria pag. 379.
(c) Monasterium S. Georgii de Pineto modo dirutum situm olim erat in Diœcesi Equilina de jure tamen Patriarchalis Ecclesiæ Gradensis.

Joan-

Stephanus Candianus donat Rustico de Recio terram positam in confinio S. Silvestri ; salvo tamen censu duarum librarum olei Ecclesiæ eidem solvendo.

1087. Aprilis.

Ex Autographo in Archivo S. Silvestri.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Chriſti Anno ab incarnatione ejusdem redemptoris nostri millesimo, octuagesimo septimo mensis Aprilis. Indictione decima rivoalto. Magnus donacionis est titulus, ubi casus largitatis nullus reperitur, sed ad firmamentum muneris sufficit animus largientis. Quapropter ego quidem Stephanus candianus filius quondam dommici candiani cum meis heredibus nullo penitus cogente aut suadente, nec vim inferente, sed optima & spontanea mea bona voluntate & pro remedio animæ meæ, & pro tuo bono merito quod mihi factum habes ab hodie in dei & Christi nomine do dono, atque transacto tibi Rustico de Recio habitanti in confinio S. Salvatoris & tuis heredibus ac proheredibus, seu posteris tuis pro futurum possidendum unam meam peciam de terra, quæ fuit de infra vinea Sancti Silvestri, quæ mihi advenit de dominico defuncto gradense patriarcha per libelli gratiam sicut in ea legitur habentem in longitudine sua palmi pedes octuaginta octo & in latitudine sua tota equaliter palmi pedes viginti. uno capite tenet in ipso calle de contra rivum S. Silvestri. unde est introitus & exitus, atque junctorium & jaglaciones. alio autem capite firmat in calle de predicta ecclesia S. Silvestri. unde ire & redire debes sursum, atque deorsum in die & in nocte uno latere firmat in Dominico baruzo & Johanne fratre ejus. alio autem latere firmat in terra Dominici campuli archidiaconi. Hanc namque prenominatam designatam peciam de terra cum omni longitudine & latitudine cum capitibus & lateribus suis, & cum cuncta ibi habente & pertinente ab intus & foris cum suis jacentiis quæ tam subtus terram quam supra ibidem adesse noscuntur pleniter cum omni vigore & robore de jamdicta libelli carta tibi, & in tua potestate transacto habendi, tenendi, vendendi, donandi, commutandi, & inperpetuum possidendi, aut quicquid inde tibi placuerit faciendi nullo tibi homine contradicente tamen vero tu omnique anno in festivitate S. Silvestri censum dare, & persolvere debeas in suprascripta ecclesia S. Silvestri libras duas de oleo perpetuis temporibus & quintellum cum ad venundandum venerit similiter sit salvum in suprascripta Ecclesia S. Silvestri. Quod si unquam tempore contra hanc meæ donacionis cartam quam meo bono animo feci ire temptavero, aut aliquid exinde tibi subtraere, vel minuere voluero, aut aliquo certo dono, vel merito inde tibi inquisiero tunc non solum reatum mendacii incurram verum eciam ..... solvere promitto cum meis heredibus tibi & tuis heredibus auri libras quinque & hec securitatio maneat in sua firmitate. Signum manus suprascripti Stephani qui hec rogavit fieri.

Hoc est

✠ Ego Henricus tt. ss. Ego Henricus Ursoyolus Judex.
✠ Ego Petrus tt. ss. Ego Petrus filius q. Dominici Contareni Ducis.
✠ Ego Lello tt. ss. Ego Lello Gradonicus filius Johannis.

Ego Dominicus Clericus & Not. complevi, & roboravi.

Ste-

Stephanus Delphinus electus Episcopus Equilinus jurat subjectionem Joanni Saponario Patriarchæ Gradensi.

D.

1084. Julii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem Redemptoris nostri millesimo octuagesimo quarto mense Julii Indictione VII. Rivoalto. Promittens promitto ego quidem (a) Stephanus Delfinus exiguus Presbiter futurus Episcopus equilensis Ecclesiæ vobis namque Domno Johani Saponario ter beatissimo (b) Sancte gradensis Patriarchalis Ecclesiæ egregio, atque sanctissimo Patriarchæ seniori meo ut amodo in antea fidelis esse debeam sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus & nunquam Ecclesiam cui præesse debeo equilensem de jure sanctæ Gradensis Ecclesiæ & ibi presidentium Pontificum subtrahere debeam sed juste & honeste Domino juvante juxta meam conscientiam eam regere debeam & in omnibus preceptis vestris me obedire secundum normam canonicam ut decet tanto patri promitto. Receptionem vero vestram honorifice tractare debeam, & quando nobis mandatum direxeritis bis in anno in festivitate videlicet S. Hermachore, & idibus Octobris ad vestram synodum absque divino impedimento sicut ceteri nostri confratres occurrere debeam & per unamquamque Festivitatem Sancti Hermachore vobis & vestris successoribus & in suprascripta vestra ecclesia annualiter censum solvere debeam videlicet denariorum solidos quinque. Castitatem vero in quanto michi Dominus concesserit conservare profiteor. Et nullum prejuditium idest injustitiam adversum prefatam nostram Gradensem Ecclesiam, & adversum vos presumere debeam. Item de Monasterio S. Georgii de Pineto (c) littoris Equilensis quod jure est pertinens de vestra ecclesia nulla querimonia neque insenia, neque vigiliam aut prandium, vel subjectionem aliquam facere debeam alicujus artis ingenio. Unde jurata voce dico per sancta quatuor Evangelia & Crucem Domini Nostri Jesu Christi & corpora Sanctorum quæ ibi requiescunt quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum Sanctæ meæ Patriarchalis Gradensis Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus meque nunquam in contrarium venturum profiteor. Qnod si quocunque tempore contra hanc meæ promissionis cartam ire temptavero; tunc potestas maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi ac constringendi, & hæc meæ professionis cartula quam propria subscribendo manu adfirmavi in sua maneat firmitate omnibus diebus vitæ meæ quam scribere rogavi D. tinum clarum Sancti Mauri plebanum in mense & Indictione suprascripta ac nostrorum clericorum subscriptione subnotari. Ego Stephanus.

(a) Ex hoc Diplomate corrigenda venit electio Joannis Patriarchæ in Ital. Sac. Tom. V.

(b) Titulus Beatissimi, atque aliquando etiam Sanctissimi, qui nunc temporis solo Romano Pontifici competere videtur; olim priscis Ecclesiæ sæculis communis erat omnibus Episcopis, ut ex operibus Divorum Augustini & Paulini aliorumque Patrum clare patet. Quinimmo eo utebantur ethnici ipsi, ut quos amabant, vel venerabantur honore afficerent. Ita Boldect. in observationib. super Cæmeteria pag. 379.

(c) Monasterium S. Georgii de Pineto modo dirutum situm olim erat in Diœcesi Equilina de jure tamen Patriarchalis Ecclesiæ Gradensis.

Joan-

Johannes Gradonicus electus Episcopus Equilinus jurat subjectionem Petro Badovario Patriarchæ Gradensi.

E.

1097. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem Redemptoris Nostri 1097. Mense Decembri Indictione VI. Equilo Promittens promitto Ego quidem Johannes Gradonicus exiguus presbiter futurus Episcopus Equilensis Ecclesiæ. Vobis namque D. Petro Badovario ter beatissimo Sanctæ Gradensis Patriarchalis Ecclesiæ egregio atque Sanctissimo Patriarchæ seniori meo. Ut amodo in antea fidelis esse debeam sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus, & nunquam Ecclesiam cui preesse debeo Equilensem de jure Sanctæ Gradensis Ecclesiæ & ibi presidentium Pontificum subtrahere debeam sed juste & honeste Domino juvante juxta meam conscienciam eam regere debeam & in omnibus preceptis vestris me hobedire secundum normam canonicam ut decet tanto Patri promitto. Receptionem vero vestram honorifice tractare debeam & quando nobis mandatum direxeritis bis in anno in festivitate videlicet S. Hermacore & idibus Octubris ad vestram Sinodum absque Divino impedimento sicut cæteri nostri confratres occurrere debeam. Et per unamquamque festivitatem Sancti Hermachore vobis & vestris successoribus & in suprascriptæ vestræ Ecclesiæ annualiter censum solvere debeam videlicet denariorum solidos quinque. Castitatem vero in quantum michi Dominus concesserit conservare profiteor & nullum prejuditium, vel etiam injustitiam adversum prefatam nostram Gradensem Ecclesiam & adversum vos presumere debeam. Item de Monasterio S. Georgii de Pineto Littoris Equilensis quod jure est pertinens de vestra Ecclesia nulla querimonia, nullaque insenianeque vigilia aut prandium, vel subjectionem aliquam facere debeam alicujus artis ingenio. Unde jurata voce dico per santa quatuor Evangelia & Crucem D. N. J. C. & corpora Sanctorum quæ ibi requiescunt quod fidelis, & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum sanctæ meæ Patriarchalis Gradensis Ecclesiæ, & vobis vestrisque successoribus meque nunquam incontrarium venturum profiteor. Quod si quocunque tempore contra hanc meæ promissionis cartulam ire temptavero tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi, ac constringendi, & hæc meæ professionis cartula quam propria subscribendo manu adfirmavi in sua maneat firmitate omnibus diebus vitæ meæ. Quam scribere rogavi Johanem Causatortam Presb. & Not. Curtis Palatii & plebanum S. Paterniani in mense, & Indictione supradicta ac nostrorum clericorum subscriptione subnotari.

✠ Ego Johannes Gradonicus modicus Presbiter Domino opitulante futurus Episcopus m.m. ss.
✠ Ego Symeon Diac. & Primicerius m.m. ss.
✠ Ego Vitalis Cristolo m.m. ss.
✠ Ego Martinus Presb. Magno m.m. ss.
✠ Ego Vitalis manelli Presb. m.m. ss.

L. S. Ego Johannes Presb. Rogatus complevi, & roboravi.

Ste-

Stephanus Badovarius electus Episcopus Metamaucensis jurat subjectionem Joanni Gradonico Patriarchæ Gradensi.

F.

1107. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi Anno Domini 1107. Mensis Junii Indictione Decima novo metamuco. Promittens promitto Ego quidem (a) Stefanus Badovario exiguus Presbiter Domino juvante futurus Episcopus Metamaucensis Vobis Domno Johanni Gradonico beatissimo sancte Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus ut amodo in antea semper & ubique fidelis esse debeam Sanctæ Matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus, & Ecclesiam cui præesse debeo de jure Gradensis Ecclesiæ & ibi Præsidentium Pontificum nunquam distrahere debeam, sed juste & honeste Domino juvante juxta meam conscientiam regere debeam. Promitto etiam ut per annorum curricula omni anno in festivitate S. Hermachore, & ad vestram sinodum quandocunque mandatum mihi direxeritis occurrere debeam sicut cæteri confratres Episcopi ante posita quod absit infirmitate corporis. Promitto etiam in unumquemque annum suprascriptæ Santæ Matri Gradensi Ecclesiæ, & vobis vestrisque successoribus persolvere pro cathedratico solidos quinque secundum antiqua statuta sine omni occasione receptionem vestram vestrorumque missorum honorifice tractare promitto semper ineundo & redeundo. Itemque promitto quod in omni obedientia juxta normam canonice insinuationem vestri magisterii vobis paratus esse debeam sicut decet sancto patri & nostro Patriarchæ Ecclesia vero S. Mathei Evangelistæ posita in nostra Dioceſi videlicet in cloja minori que est proprietatis nostræ matris Gradens. Ecclesiæ nullam vim inferre debeam, neque aliquam pro debito subjectionem ei expetere aut presbiteris & clericis ejusdem Ecclesiæ aliquam contrarietatem facere. Statum etiam & honorem suprascriptæ Sanctæ Gradensis Ecclesiæ retinere & juvare ad retinendum pro posse meo promitto. Et nullum prejuditium aut injustitiam contra suprascriptam nostram matrem Gradensem Ecclesiam aut contra vos, vel vestros successores facere presumam. Jurata voce dico per sancta quatuor Evangelia, & Crucem D. N. J. C. & corpora Sanctorum quæ in Ecclesia Gradensi requiescunt quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum & honorem suprascriptæ Gradensis Patriarchalis Ecclesiæ retinendum, & vobis vestrisque successoribus & nunquam contra hanc promissionis cartam obvius ero. Quod si quocunque tempore contra hujus promissionis cartulam ire presumpsero. Tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi ac distringendi,

(a) De Stephano Baduario Tom. X. fuil. Sac. cujus tempore Urbs Methamauci ex aquarum inundatione absorpta est, ipse vero cum populo suo ad vicinam insulam confugiens oppidum ædificavit; ex absorptæ Urbis nomine Methamaucum nuncupatum, suppresso autem Methamaucensi titulo Episcopatus Clodiensis erectus est.

gendi, & hæc promissionis carta quam propria subscribendo manu firmavi maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ.

Quam scribere rogavi Petrum Russum Sanctæ Sedis Metamaucensis Ecclesiæ Archipresbiter. & Not.

✠ Ego Stephanus Baduarius Presb. electus Episcopus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Cap. incollo Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Cancell. m. m. ss.
✠ Ego Petrus Ardicione Subdiaconus m. m. ss.
✠ Ego Juvenalis Statuarius S. Marci Subdiaconus m. m. ss.

L. S. Ego Petrus Archipresbiter & Notarius complevi, & roboravi.

Ordelaphus Faletro Dux Venetiarum concedit Joanni Gradonico Patriarchæ Gradensi Ecclesiam S. Archidani de Constantinopoli cum juribus suis.

G.

1107. Septembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo centesimo septimo mensis Septembris Indictione prima (*a*) Rivoalti. Cum omnibus Ecclesiis Dei debitum honorem ex Christiana devotione impendere studeamus & eas in benefitiis augeri summopere diligamus, illam multo amplius multoque excellentius sublimare debemus, a qua & nostri honoris sceptrum & perpetuæ salutis gratiam obtinemus. Quia nos quidem Ordelasus Faletro gratia Dei Venetie Dux & Imperialis Protosevastos (*b*) cum nostris successoribus dare

(*a*) Indictio Quintadecima quæ ad ann. 1107. spectabat, Rivoalti, seu Venetiis mutata fuerat Kalendis Septembris in Indictionem Primam quod pariter notandum est in aliis hujusmodi documentis.

(*b*) Protosevastos seu verius Protosebastos Πρωτοσέβαστος illustris dignitas erat qua a Constantinopolitanis Imperatoribus Viri illustres decorabantur. Nomen ejus ante Alexii Comneni tempora ignotum prorsus erat, ut testatur Anna Comnena lib 3. Alexiadis. *Dignitatum hujusmodi novitatis Pater meus auctor fuit*. Alexius vero regnare cœpit anno millesimo octogesimo primo. Addit deinde lib. vi. post enarratam Venetorum victoriam contra Robertum: "Duci Venetiarum Protosebasti dignitatem cum congruo ,, censu annuo contulit: Ecclesiis omnibus, quæ Venetiis sunt, satis magnum auri ,, numerum quotannis ex Imperiali ærario pendendum constituit. Eximiæ vero Eccle- ,, siæ structæ in nomine Evangelistæ Apostoli Marci vectigales fecit Melphenses omnes ,, qui officinas ac tabernas alias quæ a veteri Hebraica scala ad Biglam sic dictam, ,, pertinent; simul & eas scalas, quæ intra istud totum spatium continentur, dona- ,, vit; Præter magnas immobilium largitiones tum C. P. tum Dyrrachii, tum ubi- ,, cumque alibi illi petierunt. Quodque maximum fuit, mercimonia ipsorum cuncta ,, quovis portorio, aut vectigali decrevit immunia in omne tempus esse in cunctis Ro- ,, manæ ditionis locis, ut quidquid exportarent, importarentve nihil ne obolum qui- ,, dem redemptoribus fisci, aut publicanis, similibusve regiæ pecuniæ collectoribus, ,, commercii alteriusve tributi nomine pendere cogerentur, sed plane liberam, cun- ,, ctæque Romanorum Magistratuum potestati exemptam haberent mercaturam.

dare & persolvere debuimus nostro Gradensi Patriarchatui omni anno de roga magistratus nostri palatii libras denariorum centum sexaginta sicut continetur in promissionis carta quam fecit Dominicus Silvius quondam Dux (*a*) cum Episcopis, & abbatibus, & populo Venetiæ, & alias centum libras denariorum, que fuerunt de camera Sancti Marci que fuerunt expense pro Johane Saponario (*b*) defuncto Patriarcha de quibus vos & vestris successoribus prode deberetis habere. Idcirco nos prænominatus Ordelafus (*c*) gratia Dei Venetiæ Dux cum nostris Episcopis, & judicibus, & populo Venetiæ cum nostris successoribus & heredibus ab hodie in antea damus, & concedimus vobis quidem domno Johani Gradonico Venerabili Gradensi Patriarchæ & vestris successoribus in perpetuum videlicet Ecclesiam (*d*) Beati Archidani cum omni suo territorio & benefitio positam in regali urbe Constantinopoli quæ est antiquitus de jure & possessione nostri palatii secundum Imperialis crisovoli confirmationem. Hanc namque prenominatam & designatam ecclesiam cum toto suo thesauro, & paliis, & libris & cum omnibus suis habentiis & pertinentiis ab intus & foris quas nunc habet & in antea aliquo modo habitura est cum suis (*e*) argasteriis universis, & cum suo mankipio, & furno, & cum omnibus stateris & rubis, & ponderibus, & cum cunctis metris tam ad oleum, quam ad vinum, & cum omnibus nostris tabernis quæ in prædicta urbe sub nostra potestate esse videntur, & sicut ab antecessoribus nostris possessa & retenta, & a nobis & nostro dominatu hactenus extitit dominata Ita in vestram, & Gradensis Ecclesiæ & successorum vestrorum damus, atque in perpetuum concedimus plenissimam potestatem habendi, tenendi, meliorandi, edificandi, fruendi, ordinandi, disponendi, inquirendi & in perpetuum possidendi. Itaque nulla alia statera, vel rubus, vel pondus & metrum in Constantinopoli, vel in (*f*) imbolo sub manu alicujus esse debeant nisi statera & ruba, & pondera, & metra prædictæ Ecclesiæ. Salva tamen illa honorificentia, quam quondam nostri communes legati in eadem ecclesia & tabernis habuerunt. Quod si unquam in tempore contra presentis nostræ concessionis cartulam ire, vel aliquid exinde minuere aliquo ingenio presumpserimus salva illa honorificentia sicut predictum est super componere promittimus cum nostris successoribus & heredibus vobis, & vestris successoribus auri obici libras decem & hec concessionis pagina perpetuo in sua firmitate maneat.

✠ Ego Ordelafus Faledro de Domini Dei gratia Dux m. m. ss.

✠ Ego Henricus Contareno Castellanus Episcopus m. m. ss. (*g*)

✠ Ego Stephanus Silverius Dei gratia Torcellensis Episcopus subscripsi. (*h*)

✠ Ego

(*a*) Dominicus Silvius electus Dux anno 1071. fato cessit anno 1084. ut refert Sabellicus.

(*b*) Anno 1094. Joannes Saponarius Constantinopoli obiit, ut ex Dandulo superius dictum est.

(*c*) Ordelaphus Phaletro Dux electus fuit anno 1102. Obiit 1123.

(*d*) De hac S. Archidani Ecclesia satis superius dictum est.

(*e*) Argesterium seu Argisteria aliquando stationes significat, aliquando vero tabernas seu officinas; de iis Isidorus libr. XV. quem citat Dufresnius ad litteram A.

(*f*) Imbolus seu Embolus est Urbis Angiportus. In charta anni 1161. apud Ughellum in Archiep. Pisanis legitur: *Tibi .... concedimus Ecclesias videlicet Embolum & Scalas & Stateram, quæ sunt in Constantinopoli*. Sic etiam appellabant Byzantini, ut plurimum, Porticus, quæ in Urbe sparsim erant.

(*g*) Henricus Contarenus qui anno sequenti 1108 mortalitatem exuit.

(*h*) De Stephano Silverio Ughell. in Episcop. Torcellanis.

✠ Ego Stephanus Badovarius Episcopus Metamaucensis m. m. ss. (a)
✠ Ego Johannes Civitatis Nove Episcopus m. m. ss. (b)
✠ Ego Johannes Dei gratia Caprulensis Episcopus m. m. ss. (c)
✠ Signum manus Johannis Faledri judicis ss.
✠ Ego Petrus Marcello judex m. m. ss.
✠ Ego Joannes Masterzati m. m. ss.
✠ Ego Mauritius Noele m. m. ss.
✠ Ego Petrus Carosus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Delfinus m. m. ss.
✠ Ego Marinus Daborea m. m. ss.
✠ Ego Leo Sanudo m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Cornario m. m. ss.
✠ Ego Badovarius Bonoaldo m. m. ss.
✠ Ego Petrus Superancius m. m. ss.
✠ Ego Stefanus Maciamano m. m. ss.
✠ Ego Petrus Badovario m. m. ss.
✠ Ego Petrus Sopulo m. m. ss.
✠ Ego Petrus Contarenus m. m. ss.
✠ Ego Johannes Gradonicus m. m. ss.
✠ Ego Johannes Monetario m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Pantaleo m. m. ss.
✠ Ego Johannes Saponario m. m. ss.
✠ Ego Stefanus Navigajoso m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Dandulo m. m. ss.
✠ Ego Petrus Michael m. m. ss.
✠ Ego Petrus Franco m. m. ss.
✠ Ego Johanes Celso m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Magno m. m. ss.
✠ Ego Bonifilius Jantani m. m. ss.
✠ Ego Bonofilius Cuppo m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Morianesego m. m. ss.
✠ Ego Bonus Novalario m. m. ss.
✠ Ego Joannes Dumgeorio Gambasirigo m. m. ss.
✠ Ego Bonusfilius Pepo m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Navigajoso m. m. ss.
✠ Ego Truno Badovario m. m. ss.
✠ Ego Johannes Greco m. m. ss.
✠ Ego Petrus Dandulo m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Justinianus m. m. ss.
✠ Ego Johanes Polani m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Dandulo m. m. ss.
✠ Ego Henricus Vitaliano m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Beligno m. m. ss.
✠ Ego Johannes Gumbario m. m. ss.
✠ Ego Petrus Stamarius m. m. ss.
✠ Ego Natalis Dandulo m. m. ss.

✠ Ego

(a) De Stephano Baduario allatum est superius juramentum fidelitatis Joanni Gradonico Patriarchæ Gradensi præstitum.

(b) Ex hoc Diplomate reponendum est Johannis nomen inter Episcopos Heracleæ Ital. Sac. Tom. x.

(c) Joannem hunc afferunt additiones ad Ughell. Tom. v. col. 1336.

✠ Ego .... Crancariolo m. m. ss.
✠ Ego Clupanico m. m. ss.
✠ Ego Foscarenus m. m. ss.
✠ Ego Stephanus Giani m. m. ss.
✠ Ego Marinus Juliano m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Abbas S. Nicolai m. m. ss. (a)
✠ Ego Dominicus Abbas S. Trinitatis m. m. ss. (b)
✠ Ego .... Grandi Abbas S. Georgii de Pineto m. m. ss. (c)
✠ Ego Petrus nutu Dei Abbas SS. Ylarii & Benedicti m. m. ss. (d)
✠ Ego Tribunus Andradi m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Michael m. m. ss.
✠ Ego Marinus Michael m. m. ss.
✠ Ego Bonus Contareni m. m. ss.
✠ Ego Petrus Mauro m. m. ss.
✠ Ego Petrus Raso m. m. ss.
✠ Ego Dominicus da Canale m. m. ss.
✠ Ego Gosmiro da Molino m. m. ss.
✠ Ego Johannes Mastropetro m. m. ss.
✠ Ego Berengerius Contareni m. m. ss.
✠ Ego Oto Gradonicus m. m. ss.
✠ Ego Petrus Ursiolo m. m. ss.
✠ Ego Aurio Juliani m. m. ss.
✠ Ego Leo Badovario m. m. ss.
✠ Ego Johannes Fuscarus m. m. ss.
✠ Ego Johannes Badovario advocato m. m. ss.
✠ Ego S. Badovario m. m. ss.
✠ Ego Urso Badovario m. m. ss.
✠ Ego Urso Justinianus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Michael m. m. ss.
✠ Ego Justinianus m. m. ss.
✠ Ego P. Barbani m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Mauroceni m. m. ss.
✠ Ego Johannes Honora Dei m. m. ss.
✠ Ego Stephanus Stornatus m. m. ss.
✠ Ego Johannes Minigo m. m. ss.
✠ Ego Ludovicus Caput in collo m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Senatori m. m. ss.
✠ Ego Johannes Ursojolo m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Paschalego m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Regini m. m. ss.
✠ Ego Petrus Vilari m. m. ss.
✠ Ego Marcus Maripedro m. m. ss.
✠ Ego Johannes Mamani m. m. ss.
✠ Ego Marius Juliani m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Mazarion m. m. ss.
✠ Ego Ambrosius Capellezzi m. m. ss.

✠ Ego

(a) Abbas S. Nicolai de littore.
(b) Abbas S. Trinitatis de Brundulo, in Diœcesi Clodiensi.
(c) Monasterium S. Georgii de Pineto in Diœcesi Equilina subjectum erat Patriarchatui Gradensi.
(d) De Monasterio S. Yllarii aliqua proferam, ubi de Insula S. Servuli.

✠ Ego Johannes Albino m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Polani m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Basilio m. m. ss.
✠ Ego Johannes Zopolus m. m. ss.
✠ Ego Stephanus Fuscarenus m. m. ss.
✠ Ego Marcus Magistropetro m. m. ss.
✠ Ego Jacobus Aurio m. m. ss.
✠ Ego Leo M.... m. m. ss.
✠ Ego Petrus Gradonico m. m. ss.
✠ Ego Affirio Batiauro m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Vilari m. m ss.
✠ Ego Dominicus Stornato m. m. ss.
✠ Ego Petrus Stornato m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Vigilioni m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Senatori m. m ss.
✠ Ego Dominicus Magno m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Grecus m. m. ss.
✠ Ego Bonofilio Justo m. m. ss.
✠ Ego Johannes Diaconus, Sancti Marci Primicerius m. m. ss. (a)
✠ Ego Dominicus Carosus Presb. & Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Decem, & novem m. m. ss.
✠ Ego Magnus Michael clericus & Capellanus. m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Naizo m. m. ss.
✠ Ego Columbanus clericus & Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Martinus Sulmulus Presb. Vicarius S. Apostoli m. m. ss. (b)
✠ Ego Tribunus Dei gratia Abbas S. Georgii m. m. ss. (c)
✠ Ego M. Presb. Dacalomare m. m. ss.
✠ Ego Marcus Albinus Diaconus m. m, ss.
✠ Ego D. Faledro Subdiac. S. Marci Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Leo Archipresb. & Primicerius m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Archipresb. Equilensis m. m. ss.
✠ Ego Petrus Archipresb. Metamaucensis Ecclesiæ m. m. ss.
✠ Ego Contari Contareni Capellanus S. Marci m. m. ss.
✠ Ego Aureus clericus, & Plebanus Murianensis Ecclesiæ m. m. ss. (d)
✠ Ego Stephanus Maurocenus Sudiacon. Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Johannes Presb. Plebanus Ecclesiæ S. Paterniani & Not. scripsi.
✠ Ego Grausso Diaconus, & Capellanus subscripsi.
✠ Ego Dominicus Flabianus S. Martini Plebanus ss.
✠ Ego Tribunus clericus calvus S. Simeonis Plebanus ss.
✠ Ego Petrus Ardicione m. m. ss.
✠ Ego Ursus Presb. Barbadico Plebanus S. Gervasii ss.
✠ Ego S. Barastro Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Presb. Christianus S. Zachariæ Plebanus ss. (e)

✠ Ego

(a) Johannes Primicerius ab Ughell. prætermittitur Tom. v. col. 1330.
(b) Hoc Vicarii titulo sæpius appellabantur Rectores, seu Plebani Ecclesiarum Parochialium.
(c) Tribunus Memmius.
(d) Ita appellabatur Pleb. Eccl. Matricis Sanctæ Mariæ Murianensis, ob dignitatem ipsius Ecclesiæ, cui subjectæ erant reliquæ Ecclesiæ ipsius Insulæ Muriani.
(e) Plebs seu Parœcia Sancti Zachariæ delata postmodum est ad proximam Sancti Proculi Ecclesiam, quæ tamen Capitulo Sanctimonialium Sancti Zachariæ subjecta est.

✠ Ego Juvenalis Stamarius m. m. ss.
✠ Ego ..... S. Felicis Pleb. m. m. ss.
✠ Ego Michael ..... Presb. & Not. m. m. ss.
✠ Ego Johannes Marignuni Subdiac. & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Formosæ Plebanus m. m. ss.
✠ Ego Petrus Memo Diac. m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Presb. Maystropetrus & not. m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Fabianus Ursojulo Sudiac. m. m. ss.
✠ Ego Justus Presb. Vallesso Vicarius S. Stephani m. m. ss.
✠ Ego Aurius Barbo Gabrieli Subdiac. m. m. ss.
✠ Ego Petrus Plebanus S. Martini m. m. ss.
✠ Ego Johannes Diac. Pleb. S. ..... m. m. ss.
✠ Ego Marinus Presb. S. Angeli Vicarius m. m. ss.
✠ Ego Trunus Presb. Vicarius S. Cosme m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Presb. S. Bartholomei Vicarius m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Urso Presb. m. m. ss.
✠ Ego Leo Presb. Sylvius majoris Clugiæ & sacri palacii Not. m. m. ss.
✠ Ego Vitalis Faledrus Subdiac. m. m. ss.
✠ Ego Henricus Grancariolus Subdiac. S. Marci Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Johannes Diac. Ecclesiæ S. Marci Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Bonifacius Faledro clericus, S. Marci Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Johannes Damianus Presb. S. Marci Capellanus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Saturninus Ecclesiæ. S. Cassiani Pleb. m. m. ss.
✠ Ego Basilius m. m. ss.
✠ Ego Johannes Flabiano m. m. ss.
✠ Ego Johannes Contareni m. m. ss.
✠ Ego Henricus Contareni m. m. ss.
✠ Ego Badovarius Daspinale m. m. ss.

Ego Urso Presb. & Not. complevi & roboravi.

✠ Ego Marcus Semiteculo Diac. & Not. ut vidi in matre testis sum in filia.
✠ Ego Reinerius Delphinus.

L. S. Ego Pangracius Rogo Preb. & Not. hoc exemplum exemplavi anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo mense Februarii Indictione prima Rivoalti nichil adens, vel minuens quod sententiam mutet complevi, & roboravi.

Domi-

Dominicus Aurius Episcopus Caprulanus jurat subjectionem Johanni Gradonico Patriarchæ Gradensi.

II.

1117. Septembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi Anno Incarnationis ejusdem 1117. mensis Semptemb. Indict. XI. (a) Caprul. Promittens promitto ego quidem Dominicus Aurius (b) exiguus Presbiter electus Domino juvante futurus Episcopus Ecclesiæ Caprul. vobis D. Johanni Gradonico beatissimo sanctæ Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ egregio Patriarchæ & vestris successoribus, ut amodo in antea semper & ubique fidelis esse debeam Sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus, & ecclesiam cui preesse debeo de jure sanctæ Gradensis Ecclesiæ, & ibi præsidentium Pontificum nunquam subtrahere debeam, sed juste & honeste Domino juvante juxta meam conscientiam regere debeam. Promitto etiam ut per annorum curricula omni anno in festivitate S. Hermachoræ, & ad vestram Synodum quandocunque mandatum michi direxeritis occurrere debeam sicut ceteri confratres Episcopi ante posita quod absit infirmitate corporis. Promitto etiam in Idibus Madii per unumquemquem annum suprascriptæ Sanctæ Matri Ecclesiæ, & vobis vestrisque successoribus persolvere pro cathedratico solidos denariorum quinque secundum antiqua statuta sine omni occasione. Receptionem vestram vestrorumque missorum honorifice tractare promitto in eundo, & redeundo. Itemque promitto, ut in omni obedientia juxta normam & insinuationem vestri magisterii vobis paratus esse debeam; Sicut decet Sancto Patri, & nostro Patriarchæ. Statum etiam & honorem suprascriptæ sanctæ Gradensis Ecclesiæ retinere, & juvare ad retinendum pro posse meo promitto. Et nullum prejuditium, aut injustitiam contra suprascriptam nostram matrem Gradensem Ecclesiam aut contra vos, vel vestros successores facere presumam. Unde jurata voce dico per sancta quatuor Evangelia & Crucem D. N. J. C. & corpora Sanctorum quæ in suprascripta Ecclesia Gradensi requiescunt, quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum & honorem suprascriptæ sanctæ Gradensis patriarchalis Ecclesiæ retinendum, & vobis vestrisque successoribus, & nunquam contra hanc promissionis cartulam obvius ero. Quod si quocunque tempore contra hanc promissionis cartulam ire presumpsero tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi & hæc promissionis cartula quam propria subscribendo manu firmavi maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ.

✠ Ego Dominicus Aurius Presb. electus Episcopus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Presb. .... m. m. ss.
✠ Ego Martinus Diaconus m. m. ss.
✠ Ego Pascalis Diaconus & Not. m. m. ss.
L.S. Ego Johannes Vitali Panus Presb. & Not. complevi, & roboravi.

(a) Indictio hæc apposita fuerat Kalendis Septembris.
(b) In superius relata Phaletri donatione invenitur subscriptus Johannes Episcopus Caprulensis. Anno 1117. in mense Septembris. Cum autem iisdem mense & Anno Dominicus Aurius electus Episcopus obedientiæ juramentum præstiterit Patriarchæ Gradensi; dicendum utique erit Joannem Episcopum cessisse, vel decessisse mense Septembris ineunte, quo etiam mense successorem habuit Dominicum Aurium. Ex hujus Documenti fide errasse dicendum est Lucium *de Regno Dalmatiæ* pag. 119. qui Joannem Trivisanum in anno 1218. reponit, atque inter Episcopos Caprulenses reponendus erit Dominicus ab Ughello prætermissus.

Alexander III. Ecclesiam Gradensem sub S. Petri protectione recipit, multisque privilegiis exornat.

I.

1161. 15. Junii.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Henrico Gradensi Patriarchæ ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Apostolicæ officium dignitatis & creditæ nobis dispensationis debitum utiliter exequi comprobamur, cum collatam unicuique ecclesiæ dignitatem provida solicitudine custodimus, & singulis Ecclesiis jura sua illibata studemus integra conservare. Sicut enim nulli ultraquam mereatur aliquid est a Sede Apostolica favore gratiæ concedendum. Ita nemini, quod sui juris esse dinoscitur a nobis est ullatenus denegandum. Quanto itaque majori es prerogativa superne respectu gratiæ sublimatus: tanto solicitius tibi est adtendendum, ut in corrigendis subditis plus apud te possit ratio quam potestas, atque te boni dulcem, mali vero pium sentiant correctorem, personas diligas & subjectorum vitia persequaris. Ne si aliter agere forte volueris transeat in crudelitatem correctio, & perdas quos desideras emendare. Sicque vulnus debes abscindere, ut non possis quod sanum est, ulcerare. ne si ferrum plusquam res exigit imprimatur noceat cui prodesse festinas sed sic alterum condiatur ex altero Quatenus & boni habeant amando quod caveant, & mali metuendo quod diligant. Quapropter Ven. In Christo Frater Henrice Patriarcha tuis postulationibus grato concurrentes assensu Gradensem ecclesiam, cui Auctore Deo praeesse dinosceris sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Igitur prædecessorum nostrorum fel.mem. *Pelagii*, *Alexandri*, *Urbani* & *Adriani* vestigiis inherentes illius precipue constitutionis tenorem servantes, quam prædecessor noster Leo nonus Papa sancivit, & sinodali judicio & privilegii pagina confirmavit, tibi tuisque successoribus canonice substituendis Patriarchalem concedimus dignitatem & magisterium Gradensis Ecclesiæ gerendum in his tantum finibus confirmamus, qui per prædecessores nostros supradictos eidem noscuntur ecclesiæ constituti. Crucem quoque ante te ferendam esse concedimus, nisi cum Romæ fueris, aut in presentia, vel comitatu Romani Pontificis. Pallium etiam, plenitudinem videlicet pontificalis officii, fraternitati tuæ ex Apostolice Sedis liberalitate largimur. Quo interea ecclesiam tuam ad missarum solemnia celebranda uti memineris eis diebus, quibus predecessores tuos non ambigimus usos fuisse videlicet in Nativitate Domini, Epiphania, Ypapantibus (a) Tribus festivitatibus S. Mariæ, Cena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecoste, In natalitio S. Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, in festivitatibus quoque S. Marci, S. Protomartyris Stephani, S. Laurentii, S. Martini, In solemnitate Omnium Sanctorum, & principalibus ecclesiæ tuæ festivitatibus: Nec non in Ecclesiarum, Episcoporum, & ceterorum

(a) A Græcis Hypapante Domini appellatur festum Purificationis B. Mariæ Virginis, ut animadvertit Martyrologium Romanum 2. Febr. Ex hac & sequentibus Bullis ab Ecclesia etiam Latina usurpatam fuisse hujusmodi græcanicam vocem plane innotescit.

rum clericorum consecrationibus, & Anniversario consecrationis tuæ die. Preterea ne commissa regimini & dispensationi tuæ præfata Gradensis Ecclesia, quæ de benignitate Apostolicæ Sedis prerogativa gaudet honoris ex brevitate Patriarchatus inferior & abiectior valeat apud simpliciores haberi, & ad ampliandam dignitatem ipsius Primatum ei super Jadertinum Archiepiscopatum & Episcopatus ipsius Apostolica auctoritate concedimus. & tam te, quam successores tuos Jadertino Episcopo & Episcopis ejus, qui pro tempore fuerint dignitate Primatus presidere statuimus, & consecrationis munus eidem Archiepiscopo impertiri, Romano quidem Pontifici traditione palii reservata. Statuimus etiam, ut quecunque bona, quascunque possessiones eadem Gradensis Ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant. Porro Ecclesias a religiosis viris ipsi Gradensi Ecclesiæ oblatas per Episcopatum tuum, constitutas tibi, tuisque successoribus libere confirmamus, ita ut nulli Episcopo liceat, absque tuo assensu in eis consecrationes celebrare aut sacerdotibus in eisdem Domino servientibus donec in locis ipsis fuerint divina officia prohibere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat supradictam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit Pax Domini Nostri J. Christi. Quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ Pacis inveniant Amen, Amen, Amen.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus ss.
✠ Ego Gregorius Sabinens. Episcopus ss.
✠ Ego Bernardus Portuens. & S. Ruphinæ Episcopus ss.

✠ Ego Petrus Diac. Card. S. Eustachii juxta Templum Agrippæ ss.

Datum Romæ apud S. Mariam Novam per manum Hermani S.R.E. Subdiac. & Notarii Idus Junii Indict. IX. Incarnationis Dominicæ Anno MCLXI. (a) Pontificat. vero D. Alexandri Papæ III. anno secundo.

(a) Ex Chronicis notis hujus Diplomatis addiscimus Alexandrum III. die XIII. Junii jam reversum fuisse Romam e civitate Verularum ubi prius resederat, ut ex altero Diplomate dato die XIV. Maii ejusdem anni. *Concil. Labbe' Tom* XIII. *col.* 238.

Ale-

Alexander III. Henricum Patriarcham Gradensem Duci Venetiarum commendat, hortaturque ut Translationi Patriarchatus Gradensis ad Civitatem Venetiarum benignum præstet assensum.

K.

21. Januarii.

Ex Apographo apud Cl. V. Apostolum Zenum.

Nobili Viro Duci Venetiæ.

ALexander Episcopus servus servorum Dei Dilecto filio Nobili Viro Duci Venetiæ (*a*) Salutem & Apostolicam benedictionem. Non sine contemptu & improperio terræ tuæ Vener. Fr. Henricus Gradensis Patriarcha tanta necessitate laborat; quanta non vidimus, nec audivimus Episcopos positos in minoribus civitatibus laborare. Sane cum terra Venetiæ inter alias terras tuæ jurisditionis major sit & celebrior, honor tibi est, & eidem terræ, si ad terram ipsam Patriarchalis Sedes, sicut plurimum expedit, transferatur, presertim quia inter prædictum patriarcham & Episcopos Castellanos frequenter, sicut nosti, emergebat materia jurgiorum. Non enim dilectionis intuitu, quam ad eumdem Patriarcham habemus; sed potius pro honore tuo & illius terræ, tuæ discretioni suggerimus cum idem Patriarcha ita senex sit, quod vix per biennium ejus poterit vita durare, Inde est, quod cum translatio illa predicto Patriarchæ ad commodum momentaneum, & terræ tuæ ad honorem perpetuum spectet, decuiste super hoc..... Nos partibus prævenire. Monemus itaque nobilitatem tuam consulimus, & hortamur, quatenus ad tollendum hujusmodi obprobrium de terra tua & materiam jurgiorum, que inter Patriarcham & Castellanos Episcopos frequenter solent emergere, huic translationi promptum & benignum præstes assensum & clerum, & populum Venetiæ ad hoc idem diligenter inducas, quia nos pro honore ipsius terræ ad hoc libenter auctoritatem prestabimus & favorem. Dat. Tusculani, XII. Kal. Februarii. (*b*)

(*a*) Anno 1178. datum creditur Alexandri III. Diploma, ideoque Sebastiano Ziani directum, qui usque ad diem XIII. Aprilis ejusdem Anni in vivis egit.

(*b*) Quo anno datum fuerit Diploma ex ipso non apparet, autographum ejus asservari dicitur apud Nobiles Viros Baduarios, cui a posteriori parte recentiori manu annotatus fuit annus 1178. Nec ex appositione loci deduci potest certior chronica nota, siquidem Alexander III. ex Urbe Tusculani (Frascati) plura variis annis dedit Diplomata, ut videre est in novissima Bullarii Romani editione. Anno 1178. Romæ degebat Alexander, in cujus finibus Urbs Tusculana posita est.

Henricus Dandulo Patriarcha Gradensis concedit Ecclesiæ Sancti Silvestri pro habitatione Plebanorum nonnullas stationes positas in Patriarchali Palatio.

L.

1182. 11. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Anno 1182. Mense Aprilis die xi. Introeunte indictione xv. Rivoalti.

E commisso nobis a Deo Patriarchatus Officio fratribus nostris tam vicinis, quam longe potestas paterna nos convenientem provisionem consulere, & Ecclesiis in quibus Deo militare noscuntur suam justitiam conservare, & sicut potestas vocatur in nomine Ita nihilominus comprobemus in opere, quapropter Nos Enricus Dandulus, Dei gratia Gradensis Patriarcha, Dalmatieque Primas cum nostris successoribus ob divino amore, & in remedium animæ nostræ abdicamus in die &c. & Christi Nomine Damus, concedimus, atque per hanc nostræ concessionis cartam transactamus Ecclesiæ Sancti Silvestri, quæ est de Jure Patriarchatus, ac plebanis omnibus, qui per tempora Deo volente ibidem ordinati fuerint, hoc est totas illas stationes, vel Cameras positas in supradicto Confinio Sancti Silvestri, permanentes sub Palatio, & Ecclesia in Panthano in jam dicto Confinio videlicet a comprehensu Arcus, qui stat in capite Patriarchalis ejudem Ecclesiæ, usque ad Canalem sic circumdat discurrente, recto tramite usque ad rivum S. Sylvestri, quasque esse cognoscimus de jure, & pertinentiis predictæ Ecclesiæ S. Sylvestri. Has namque supradictas predesignatas stationes, vel cameras, cum introitu, & exitu suo, cum omnibus suis habentiis, & pertinentiis, ad modum in antea in illorum diem, & transacto, sive relinquo plenissimam Potestatem habendi, tenendi, dandi, donandi, locandi, vel quodque de illis placuerint faciendi, nullo sibi homine contradicente, unde etiam promittentes promittimus, quod si umquam tempore, contra hanc concessionis cartam, quam bono, & preclaro animo, eidem Ecclesiæ, & plebanis ibidem pro tempore existentibus, in contrarium facere presumpserimus Ideo componere promittimus cum nostris successoribus predictæ Ecclesiæ, vel Plebanis per tempora ibidem comorantibus auri libras quinque, & concessionis, atque promissionis carta in sua firmitate permaneat.

Ego Henricus Dandulus Dei gratia Gradensis Patriarcha ss.
Ego Joannes Diaconus S. Gradensis Ecclesiæ Canon. Minimus ss.
Ego Leonardus Diaconus & S. Gradens. Ecc. Canon. ss.
Ego Petrus Presb. Plebanus Ecclesiæ S. Apollinaris ex rogatu subscripti Patriarchæ ss.
Ego Dominicus Presb. & Plebanus, della Tisana ss.
Ego Andreas S. Cassiani Presb. & Not. complevi, & roboravi.

Hen-

Henricus Patriarcha Gradensis immittit in possessionem Plebanatus S. Silvestri Dominicum Minoto electum Plebanum.

M.

1182. 14. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo secundo mense Aprilis die quartodecimo introeunte Indictione quintadecima. D. Henricus Dandulus Dei gratia Gradensis Patriarcha, & Dalmacie primas. Electionem plebanatus Ecclesiæ factam in Dominicum Minotum presbiterum predictæ Ecclesiæ, & predicto D. Patriarchæ a Sacerdote & Clerico, seu custode prefatæ Ecclesiæ S. Silvestri rapresentatam confirmavit, & secundum Patriarchatus Ecclesiæ consuetudinem prædicto Dominico presbitero de plebanatu prefate Ecclesiæ investitionem dedit; & sic Leonardus Diaconus & Canonicus Gradensis Ecclesiæ per manum & parabolam jamdicti D. Patriarchæ posuit in tenutam predictum Dominicum Presbiterum, & Plebanum supradictæ Ecclesiæ S. Silvestri de totis illis stationibus, vel cameris positis in jamdicto confinio S. Silvestri permanentibus sub palatio & Ecclesia Patriarchatus jamdicti confinii, videlicet sicut circumdant a comprehenso arcu, qui stat a capite porticali ejusdem Ecclesiæ S. Silvestri usque ad canalem decurrentem recto tramite usque in rivum S. Silvestri sicut continetur in illa concessionis & promissionis carta, quam jamdictus D. Patriarcha eidem prefato Plebano fecerat. Actum est hoc in Palatio sepedicti D. Patriarchæ presentibus Dominico Archidiacono Castellanæ Ecclesiæ, Petro Presbitero & Plebano Ecclesiæ S. Apollinaris, Plebano S. Pantaleonis, Plebano S. Pauli, Martino Presbitero & Canonico S. Marci, Matheo Calbani, Johanne Contareno, Marco Murillo, Tribuno Berardo, Henrico Contareno, Dominico Contareno, Johane Contareno.

Ego Andreas S. Cassiani Presb. & Not. rogatus huic confirmationi & investicioni, atque in tenute positioni interfui, subscripsi, complevi & roboravi.

Dominicus Minoto Pleb. Sancti Silvestri promittit subjectionem Henrico Dandulo Patriarchæ Gradensi.

N.

1182. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi, Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo secundo mense Decembris Indictione prima Rivoalti Promittens promitto Ego quidem D. Dominicus Minoto Presbiter & Plebanus Ecclesiæ S. Silvestri vobis namque Domino meo Henrico Dandulo Venerabili Sanctæ Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ egregio Patriarchæ, & Dalmaciæ Primati & vestris successoribus, ut amodo in antea semper fidelis esse debeam

san-

sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis, vestrisque successoribus, & Ecclesiam quam mihi datam habetis de jure suprascriptæ Sanctæ Gradensis Ecclesiæ numquam subtrahere debeam, set secundum meam scientiam jandictam Ecclesiam & illud quod eidem Ecclesiæ per concessionis cartulam datum habetis, ut in ea legitur, incolume regere debeam. Promitto etiam, ut omni anno in festivitate S. Silvestri in divinis officiis & in prandium vos honorifice pro mea possibilitate suscipere debeam. Quod si quocunque tempore contra hujus promissionis cartulam ire presumpsero, tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem, ac reum mendatii canonice judicandi, & distringendi, & hæc promissionis cartula maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ, quam scribere rogavi Andream Presbiterum Ecclesiæ S. Cassiani, & Notarium.

✠ Ego Dominicus Minoto presbiter & Plebanus S. Silvestri m. m. ss.
✠ Ego Petrus Aycardo Presb. Ecclesiæ S. Apolinaris Plebanus ss.
✠ Ego Johannes Vero Subdiaconus & Capellanus D. Patriarchæ ss.

L. s. Ego Andreas S. Cassiani Presb. & Not. complevi, & roboravi.



Marcus Nicola Episcopus Castellanus concedit Ecclesiæ S. Silvestri partem decimationum.

O.

1184. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Ecclesiæ Sancti Silvestri.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno Domini Millesimo centesimo octuagesimo quarto mensis Novembris Indictione tercia rivoalti. Nos quidem Marcus nicola Dei gratia Castellanus Episcopus. Tibi dilecto filio Dominico plebano ecclesie S. Silvestri tuisque successoribus inperpetuum. Pie desiderium voluntatis, quod a religionis proposito desidere minime cognoscitur, & ad pacis & concordie augmentum pertinere monstratur sine aliqua est domino auctore dilatione complendum, ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & postulata utilitas vires ac robur assumat. Ea propter dilecte in domino fili petitionibus tuis justis ac rationabilibus annuentes, licet a domino Papa Alexandro beate memorie castellane ecclesie indultum sit ut tres partes videlicet de parrochiis ecclesiarum suarum percipiat specialis devotionis tue, ac reverentie prerogativa quam circa eamdem ecclesiam exibes quartam partem tibi de proventibus decimationum, qui de parrochia tua provenire solent integram & illibatam concedimus, eamque tibi & successoribus tuis liceat, Servato jure castellane ecclesie quod inferius habetur percipere & inter clericos tuos, prout meritum illorum agnoveris fideliter dispensare. Quartam vero nobis & successoribus nostris sine aliqua contradictione, atque diminutione omni tempore sancimus prestari. De parte autem pauperum medietatem tibi & successoribus tuis inter pauperes parrochie tue consilio fratrum tuorum dividendam relinquimus. Alteram vero medietatem propter multitudinem pauperum & maxime nobilium, qui ad episcopos castellanos confluere solent nobis & successoribus nostris censemus sine contrarietate exiben-

ri. Verum de quarta parte restaurationi deputata est quarta nobis & successoribus nostris pro matricis ecclesiæ utilitate reservamus. Reliquas vero partes, que residue sunt tibi, tuisque successoribus pro fabricis ecclesie tue, & libris reficiendis & aliis necessariis, cum conscilio fratrum tuorum dispensandas indulgemus. Ut autem hujus nostre constitutionis pagina inviolabile robur obtineat nec per nos, vel successores nostros immutari debeat propria eam subscriptione roborare, & sigilli nostri impressione munire curavimus. Si quis igitur nostrorum subdictorum eam infringere temptaverit si commonitus non resipuerit, officii sui periculo subjaceat & indignationem Dei, & beati Petri Apostoli incurrat. Conservantibus autem sit pax D. N. J. C. Amen.

✠ Ego Marcus Nicola Dei gratia Castellanæ Ecclesiæ Episcopus m. m. ss.
✠ Ego Blasius Presb. Pleban. S. Johannis .... castell. Eccl. canonicus m. m. ss.
✠ Ego Balduinus presb. castell. Ecc. canonicus m. m. ss.
Ego Petrus Aicardus presb. & Eccl. S. Apollinaris plebanus & Not. ex rogatu predicti D. Marci Episcopi scripsi, complevi & roboravi.
Ego Andreas Presb. S. Cantiani & Not. sicut vidi in autentico Dom. Episcopi scripsi nec minui, nec ampliavi, complevi, & roboravi.

Henricus Dandulo Patriarcha Gradensis confirmat Dominico Minoto Plebano S. Silvestri concessionem Decimarum factam ei a Marco Nicola Episcopo Castellano.

1185. Julii.

Ex Autographo in Archivo Ecclesie S. Silvestri Venetiarum.

IN Nomine Domini nostri jhesu christi. Anno domini Millesimo Centesimo octuagesimo quinto mense Julii Indic. tercia rivoalti. Henricus dei gratia gradensis ecclesie patriarcha & dalmatie primas. Dilecto in Christo filio dominico minoto plebano sancti silvestri ejusque successoribus imperpetuum. Justis petentium votis nos facile decet adhibere consensum. & que a tramite justitie non exorbitantur effectu sunt prosequente complenda. Ea propter dilecte in Christo fili justis postulationibus tuis gratuito concurentes assensu privilegium tibi, tuisque successoribus, & ecclesie tue a venerabili fratre nostro Marco castellano episcopo super decimis indultum anno domini millesimo centesimo octuagesimo quarto mense novembri indictione tertia per quod tibi, tuisque successoribus, tuisque fratribus & ecclesie tue vidimus esse concessum de decimis parochianorum tuorum quartam partem habere, & tres partes illius quarte que restaurationi deputata est, & medietatem illius partis que pauperibus debetur reliquis servatis Episcopo ita ut in eo privilegio continetur auctoritate nostra confirmamus & presentis pagine scripto communimus. Statuentes ut nulli deinceps liceat nostre auctoritatis paginam temeritate aliqua violare. Si quis igitur subditorum nostrorum contra hanc nostre confirmationis paginam ire temptaverit, vel eam ausu temerario infringere presumpserit indignationem dei omnipotentis, & beatorum apostolorum petri & pauli & sanctorum martyrum hermachore & fortunati, & nostram se noverit incursurum & excommunicationis vinculo eum volumus donec inde satisfaciat detineri.

Ego Henricus Dandulo dei gratia gradensis patriarcha ss.
Ego Petrus Aycardus Presb. & Eccl. S. Appollinaris pleb. & Not. rogatu predicti dom. Patriarche complevi, & roboravi.

Urba-

Urbanus III. confirmat assignationem decimarum factam Ecclesiæ S. Silvestri a Marco Nicola Episcopo Castellano.

1185. 18. Decembris.

Ex Archivo Ecclesiæ Sancti Silvestri.

URbanus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Dominico Minoto Plebano Sancti Silvestri Salutem & Apostolicam benedictionem. Que a fratribus Episcopis sunt inviolabiliter statuta etiam firma debent & illibata manere, & ne processu temporis temeritate aliqua immutentur scripto convenit apostolico communiri. Sicut autem in autentico scripto venerabilis fratris nostri M. episcopi Castellani comperimus tue devotionis, & ecclesie tue cure commisse utilitatis intuitu idem episcopus tibi & successoribus tuis quartam partem decimarum parrochie tue concessit, ut eam valeas sine alicujus contradictione percipere, & inter clericos ejusdem ecclesie pro uniuscujusque merito dispensare quarta sibi & successoribus suis integre reservata. De parte vero pauperum medietatem cum fratrum tuorum consilio dividendam inter pauperes parrochie tue reliquit, medietatem reliquam te, cum clericis tuis prebente consensum ipsi Episcopo, & successoribus suis pro multitudine pauperum maxime nobilium venientium ad ecclesiam suam conferri precepit. Verum de quarta parte que restaurationi ecclesie est deputata quartam sibi & successoribus suis pro matricis ecclesie utilitate perpetuo reservavit. Alias vero partes ejusdem quarte tibi, & successoribus tuis pro reficiendis ecclesie tue fabricis, atque libris, aliisque necessitatibus statuit conferendis. Hanc igitur concessionem sicut ab eodem episcopo facta est & tam ab ipso, quam a venerabili fratre nostro H. Gradensi Patriarcha scripto autentico confirmata presentis scripti pagina roboramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Verone (*a*) xv. Kal. Januarii. Pontificatus Nostri Anno Primo.

(*a*) Urbanus III. electus fuit Summus Pontifex Veronæ die xxv. Novembris anno MCLXXXV.



Domi-

Dominicus Jubianus promittit censum pro quadam terra posita in Constantinopoli Henrico Dandulo Patriarchæ Gradensi.

P.

1183. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo tercio mensis Februarii Indictione secunda, Constantinopoli. Promittens promitto Ego quidem D. Dominicus Jubianus de confinio Sancti Vitalis cum meis heredibus tibi namque Johanni Dandulo filio qu: Vitali Danduli de confinio Sancti Luce, & tuis heredibus. Quod amodo in antea usque ad unum annum completum scilicet usque ad Kalendas Marcii proxime venturas per indictionem terciam ipsum ergasterium positum hic in Constantinopoli in scala (*a*) que vocatur cacegalla inter ergasterium, in quo nunc manet Marcus Damolo & caravum quod mihi concedisti usque ad unum annum completum per concessionis cartam, quam mihi inde hoc suprascripto mense fecisti per virtutem unius commissionis cartæ, quam Dominus noster Henricus Dandulus tibi fecit incolume retinere debeam usque ad suprascriptum terminum unius anni excepto incendio & violentia D. Imperatoris, & sic incolume tenere per me, vel per meum missum tibi, vel tuo misso ipsum ergasterium reddere debeam absque omni occasione aut nullis interpositis capitulis excepto periculo incendii & violentia Imperatoris. Nunc autem ego pro fictu suprascripti anni tibi appagavi ypopipos auri boni veteris partes duodecim. Ita quod nichil inde remansit unde me inde amplius requirere valeas per ullum ingenium. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptavero tunc emendare debeam cum meis heredibus, tibi & tuis heredibus auri libras quinque & hæc promissionis carta in sua firmitate permaneat.

Ego Dominicus Jubiano m. m. ss.
✠ Ego Johannes Raybulo tt. ss.
Ego Bonifacius Sulmulus tt. ss.
Ego Andreas Presb. Sancti Canciani Presb. & Not. complevi, & roboravi.
✠ Ego Vivianus Presb. & Canon. Castell. Ecclesiæ & Not. sicut vidi in matre, testis sum in filia.
✠ Ego Dominicus Superancio Diaconus & Notarius ut vidi in matre, testis sum in filia.

L. S. Ego Angelus Marinus Presb. & Not. hoc exemplavi eodem anno mense Madii sub suprascripta Indictione neç minui, nec ampliavi, complevi & roboravi.

(*a*) Scalæ vocabantur eo temporis apud Constantinopolitanos Portuli, ex quibus in adversam ripam minoribus navigiis trajiciebant Byzantini. Scalam hanc ex minoribus fuisse dicendum est, siquidem Ducangius inter quinque præcipuas non enumerat in Constantinopoli Christiana lib. 1. ex ejusdem Ducangii Notis in Annæ Comnenæ Alexiadem pag. 313. edit. Parisiens. Scalarum vocabulo navalia intelligi pridem docuerunt viri docti. Alii Scalas *trajectus maritimos* interpretantur, per quos videlicet navibus exscensus aditusque patebat in portum, vel in Urbem. Sic auctor Descript. C P. in Reg. 6. Scalam Sycenam, *trajectum Sycenum* dixit. Alia vide apud ipsum auctorem. De Scalis ab Alexio Imperatore nationi Venetorum concessis vide Comnenam in Alexiade lib. 6. pag. 161.

Joannes Barastro Procurator in Constantinopoli super redditibus Communis Venetiæ securitatem facit Joanni de Canale de solutione terratici.

Q.

1194. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Euphemiæ de Majurbio.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno Domini Millesimo Centesimo Nonagesimo Quarto. Mensis Novemb. Indict. XIV. Constantinopoli. Plenam, & irrevocabilem securitatem facio ego quidem Johannes Barastro de confinio S. Margaritæ Procurator hic in Constantinopoli super redditibus Communis Venetiæ cum meis successoribus tibi Johanni da Canale de confinio S. Marinæ & tuis heredibus de toto teratico illius anni cui principium fuit in Kal. mensis Martii transactis sub Indict. XIII. & finietur per totum mensem Februarii proximi venturi sub Indict. presenti XIV. quod persolvere debebis in Kal. mensis Martii pro una petia de terra posita hic in Constantinopoli juxta Johannem Baduario. Hunc autem quod suprascriptum teraticum totum michi perfecte deliberavit pro te Marcus Staniarus de confinio S. Justine quod est yperperos aur. rect. pond. (a) sex. Ideo a modo in antea semper inde securius permaneas, quia nichyl inde remaneat unde te amplius requirere valeam per ullum ingenium. Quod si sequenti tempore contra hanc securitatis cartam per aliquid ingenium ire temptaverim; tunc emendare debeam cum meis successoribus tibi, & tuis heredibus auri libras quinque, & hec securitatis carta in sua firmitate permaneat.

✠ Ego Johannes Barastro m. m. ss.
✠ Ego Daniel zoto tt. ss.
✠ Ego Marinus Dandulo tt. ss.

(a) De Hyperperis superius dictum est; vide etiam Gronovium in *Addition. ad librum de Sestertiis* & consule Cl. V. Sebastiani de Paulis *Mantissam numorum Byzantinorum*.

Joannes de Tumba electus Episcopus Caprularum jurat subjectionem Joanni Signolo Patriarchæ Gradensi.

R.

1197. 23. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo mense marcii die nono exeunte. Indictione quintadecima. Rivoalti. Promittens promitto Ego quidem D. Johannes de tumba Presb. electus Domino juvante futurus Episcopus Ecclesiæ Caprulane vobis Domino meo Johanni Signolo Venerabili Sanctæ Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ Egregio Patriarche & Dalmatiæ primati, & vestris successori-

ſoribus, ut amodo in antea ſemper & ubique fidelis eſſe debeam Sanctæ matri meæ Gradenſi Eccleſiæ, & vobis veſtrisque ſucceſſoribus, & eccleſiam cui preeſſe debeo de jure & ſubjectione Sanctæ Gradenſis Eccleſiæ & ibi preſidentium Pontificum nunquam ſubtrahere debeam, ſed juſte & honeſte Domino juvante juxta meam conſcientiam regere debeam. Promitto etiam, ut per annorum curricula omni anno in feſtivitate S. Hermachore & ad veſtram Sinodum quandocunque mandatum direxeritis michi occurrere debeam, ſicut ceteri confratres mei Epiſcopi ſine impedimento Dei aut veſtri veſtrorumque ſucceſſorum licentia. Promitto etiam per unumquemque annum ſupraſcripte ſancte matri Gradenſi Eccleſiæ, & vobis veſtrisque ſucceſſoribus ſolvere pro cathedratico ſolidos denariorum noſtre monetæ quinque ſecundum antiqua ſtatuta ſine omni occaſione. Receptionem veſtram, veſtrorumque miſſorum honorifice tractare promitto ſemper ineundo, & redeundo. Itemque promitto, ut in omni obedientia juxta normam canonicam & inſinuationem veſtri magiſterii vobis obedire paratus eſſe debeam, ſicut decet ſancto Patri & veſtro Patriarchæ. Statum etiam & honorem ſanctæ Gradenſis Eccleſiæ integre retinere & adjuvare & retinendum pro poſſe meo promitto; Et omnes apellationes que ſuper aliqua cauſa a preſentia mea ad audientiam veſtram factæ fuerint ſuſcipiam, & negotia ſuper quibus apellatum ad vos fuerit, ad vos transmittam, & quicquid exinde ſtatueritis, vel definiendo ipſas cauſas, vel inobedientes perſonas puniendo fideliter obſervabo. Et nullum prejuditium aut injuſtitiam contra ſupraſcriptam noſtram matrem Gradenſem Eccleſiam, aut contra vos, vel veſtros ſucceſſores facere preſumam, unde jurata voce dico, per ſancta quatuor evangelia, & Crucem Domini Noſtri Jesu Chriſti, & corpora Sanctorum, quæ in ſupraſcripta Eccleſia gradenſi requieſcunt, quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad ſtatum & honorem ſupraſcriptæ Sanctæ Gradenſis Patriarchalis Eccleſiæ retinendum & vobis, veſtrisque ſucceſſoribus, & nunquam contra hanc promiſſionis cartam obvius ero. Quod ſi quocunque tempore contra hujus promiſſionis cartam, ire preſumpſero, tunc poteſtas vobis maneat me velut transgreſſorem ac reum perjurii canonice judicandi, ac diſtringendi, & hæc promiſſionis carta quam propria ſubſcribendo manu confirmavi, maneat in ſua firmitate omnibus diebus vitæ meæ.

✠ Ego Johannes da Tumba Presb. Electus Epiſcop. Caprulanæ Eccl. ſs.
✠ Ego Alexius Presb. & Canon. ſs.
✠ Ego Dominicus Ynisa Presb. & Canon. ejusdem Eccl. ſs.
✠ Ego Marcus Georgius Presb. & Canon. jamdictæ eccl. ſs.

L. S. Ego Andreas Presb. Plebanus Sancti Johannis Evangeliſtæ & Not. complevi, & roboravi.

Innocentius III. concedit Patriarchæ Gradensi, ut nomen ipsius in beneditione Cerei nomini Ducis Venetiarum præferatur.

S.

1200. 20. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali, & Codice Dipl. Ital. Tom. IV.

DIlectis Filiis Plebanis & Universo Clero Castellanensis Episcopatus salutem & Apostolicam benedictionem. Ad conquisitionem Venerabilis fratris nostri Patriarchæ Gradens. qui se querebatur in hoc a vestro Episcopo prægravari, quod contra consuetudinem antiquam, quam etiam ipse hactenus observaverat, nomen Patriarchæ nolebat in benedictione cerei nomini Ducis præferre, sibi recolimus Apostolicas litteras destinasse, ut Matris suæ Gradensis Ecclesiæ aliorum Coepiscoporum suorum vestigiis inhærendo, ipsi Patriarchæ honorem debitum non negaret. Quocirca Universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus vos ipsi, quemadmodum consuevistis hactenus, & in aliis Gradensis Patriarchatus Ecclesiis observatur, Patriarchæ nomen pronuncietis antiquo more, ne hominem videamini Deo præferre, cujus idem Patriarcha minister existit. Attentius provisuri, ut super his, quæ premisimus, non referatis ulterius questionem, alioquin quantumcunque præfato Duci, prout cum Deo possumus, deferre velimus, quam syncera diligimus in Domino charitate, quam grave sit superiorum nolle obedire præceptis, sequentia vos docerent.

Datum Laterani 12. Kal. Maii Pontif. nostri Anno 3.



Benedictus de Salmaza promittit Benedicto Faledro Patr. Grad. censum seu affictum pro quadam terra posita in Constantinopoli.

T.

1206. Octobris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi 1206. mense Octobris Indictione x. Constantinopoli. Post concessionis cartam, quam Johannes Bono de confinio Sanctæ Mariæ Formosæ mihi Benedicto desalmaza habitator in Constantinopoli fecit hoc eodem suprascripto anno, & mense, & eadem Indictione & cetera ut in ea legitur. Per virtutem unius concessionis cartæ testatæ & roboratæ, quam vos Dom. Benedicte Faletro Dei gratia Gradensis Patriarcha, & Dalmaciæ Primas eidem Johanni Bono dilecto nepoti vestro fecistis hoc presenti anno de mense Marcii Indictione IX. Rivoalti, & hæc, & cetera, ut in ea legitur. Promittens promitto ego quidem Dom. suprascriptus Benedictus de Salmaza cum meis heredibus, vobis namque suprascripte Dom. Benedicto Faletro Dei gratia Patriarchæ Gradensi, & Dalmatiæ Primati

mati vestris successoribus Quod a Kal. Septembris nuper transactis per suprascriptam Indictionem in antea usque ad viginti novem annos expletos debeam per me, aut per meum missum dare & deliberare annuatim Constantinopoli vestro nuntio, aut missis vestri successoris ypopipos auri recti ponderis quindecim. Medietatem in singulis Kalendis mensis Septembris, & aliam medietatem in singulis Kalendis mensis Marcii excepto periculo incendii, & violentia senioris. Videlicet pro terratico unius peciæ de terra vacua posita in Constantinopoli foras muri Civitatis in scala majori in ripa deprima quæ est de jure vestri Gradensis Patriarchatus. quæ habet in sua longitudine pedes triginta, & in latitudine sua pedes duodecim secundum quod firmat uno suo capite in terra vacua suprascripti Patriarchatus. Ab alio vero suo latere firmat in via communi. Uno suo latere firmat in terra quam tenet Johannes Bono quondam habitator in Rodisto (*a*) nunc vero habitator in Constantinopoli pro eodem Patriarchatu; ab alio autem ejus latere firmat in terra vacua jam dicti Patriarchatus. Hanc namque suprascriptam & predesignatam peciam de terra. Jamdictus Johannes Bono nepos vester dedit & concessit mihi ad fictum a Kal. suprascripti mensis Septembris in antea usque ad viginti novem annos expletos per suprascriptam concessionis cartam testatam & roboratam, ut in ea legitur. Super quam peciam de terra plenissimam virtutem & potestatem mihi dedit suprascriptus Johannes Bonus edificia & mansiones faciendi, & reedificandi quanta & qualiacunque mihi placuerit superius & inferius negotia, atque meas utilitates ibi exercendi. aliisque hominibus dandi, locandi, concedendi, & fictum sicut bonum videbitur inde accipiendi usque ad suprascriptum terminum nullo mihi homine contradicente ad completum vero suprascriptum terminum tota ipsa ædificia, & mansiones, quas desuper ipsa pecia de terra habuero incolumes vobis & vestro successori reddere debeo. Excepto periculo incendii & violentia senioris. (*b*) Quod si peccato imminente suprascripta edificia & mansiones quas desuper ipsa pecia de terra combusta fuerit aut ablata per vim alicujus potestatis post transactionem ipsius incendii, & violentiæ ipsa suprascripta pecia de terra in me debet evenire, donec expletum fuerit terminum, quem mihi defuerit, tamen persolvere debeo suprascriptum terraticum sicut superius est denotatum. Potestatem quoque habere debeo tenendi tabulas ad cambium super ipsa pecia de terra ad suprascripti Patriarchatus utilitatem & meam. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptavero, tunc emendare debeam cum meis heredibus vobis, & vestris successoribus auri libras quinque, & hæc promissionis carta maneat in sua firmitate.

✠ Ego Benedictus Desalmaza m. m. ss.
✠ Ego Johannes Bono tt. ss.
✠ Ego Matheus Gorio tt. ss.

L.S. Ego Nicolaus Tinto Pleb. S. Nicolai & Not. complevi, & roboravi.

(*a*) Rodistus seu Rodestum Urbs est in Thracia posita.
(*b*) De *violentia senioris* interpretatur de *violentia D. Imperatoris*; sicut in aliis instrumentis modestiori etiam verbo dicitur de *publica violentia*.

Mari-

Henricus Dandulo Patriarcha Gradensis concedit Ecclesiæ Sancti Silvestri pro habitatione Plebanorum nonnullas stationes positas in Patriarchali Palatio.

L.

1182. 11. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Anno 1182. Mense Aprilis die 11. Introeunte indictione xv. Rivoalti.

E commisso nobis a Deo Patriarchatus Officio fratribus nostris tam vicinis, quam longe potestas paterna nos convenientem provisionem consulere, & Ecclesiis in quibus Deo militare noscuntur suam justitiam conservare, & sicut potestas vocatur in nomine Ita nihilominus comprobemus in opere, quapropter Nos Enricus Dandulus, Dei gratia Gradensis Patriarcha, Dalmatieque Primas cum nostris successoribus ob divino amore, & in remedium animæ nostræ abdicamus in die &c. & Christi Nomine Damus, concedimus, atque per hanc nostræ concessionis cartam transfactamus Ecclesiæ Sancti Silvestri, quæ est de Jure Patriarchatus, ac plebanis omnibus, qui per tempora Deo volente ibidem ordinati fuerint, hoc est totas illas stationes, vel Cameras positas in supradicto Confinio Sancti Silvestri, permanentes sub Palatio, & Ecclesia in Panthano in jam dicto Confinio videlicet a comprehensu Arcus, qui stat in capite Patriarchalis ejudem Ecclesiæ, usque ad Canalem sic circumdat discurrente, recto tramite usque ad rivum S. Sylvestri, quasque esse cognoscimus de jure, & pertinentiis predictæ Ecclesiæ S. Sylvestri. Has namque supradictas predesignatas stationes, vel cameras, cum introitu, & exitu suo, cum omnibus suis habentiis, & pertinentiis, ad modum in antea in illorum diem, & transacto, sive relinquo plenissimam Potestatem habendi, tenendi, dandi, donandi, locandi, vel quodque de illis placuerint faciendi, nullo sibi homine contradicente, unde etiam promittentes promittimus, quod si umquam tempore, contra hanc concessionis cartam, quam bono, & preclaro animo, eidem Ecclesiæ, & plebanis ibidem pro tempore existentibus, in contrarium facere presumpserimus Ideo componere promittimus cum nostris successoribus predictæ Ecclesiæ, vel Plebanis per tempora ibidem comorantibus auri libras quinque, & concessionis, atque promissionis carta in sua firmitate permaneat.

Ego Henricus Dandulus Dei gratia Gradensis Patriarcha ss.
Ego Joannes Diaconus S. Gradensis Ecclesiæ Canon. Minimus ss.
Ego Leonardus Diaconus & S. Gradens. Ecc. Canon. ss.
Ego Petrus Presb. Plebanus Ecclesiæ S. Apollinaris ex rogatu subscripti Patriarchæ ss.
Ego Dominicus Presb. & Plebanus, della Tisana ss.
Ego Andreas S. Cassiani Presb. & Not. complevi, & roboravi.

Hen-

Henricus Patriarcha Gradensis immittit in possessionem Plebanatus S. Silvestri Dominicum Minoto electum Plebanum.

M.

1182. 14. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo secundo mense Aprilis die quartodecimo introeunte Indictione quintadecima. D. Henricus Dandulus Dei gratia Gradensis Patriarcha, & Dalmacie primas. Electionem plebanatus Ecclesiæ factam in Dominicum Minotum presbiterum predictæ Ecclesiæ, & predicto D. Patriarchæ a Sacerdote & Clerico, seu custode prefatæ Ecclesiæ S. Silvestri rapresentatam confirmavit, & secundum Patriarchatus Ecclesiæ consuetudinem prædicto Dominico presbitero de plebanatu prefate Ecclesiæ investitionem dedit; & sic Leonardus Diaconus & Canonicus Gradensis Ecclesiæ per manum & parabolam jamdicti D. Patriarchæ posuit in tenutam predictum Dominicum Presbiterum, & Plebanum supradictæ Ecclesiæ S. Silvestri de totis illis stationibus, vel cameris positis in jamdicto confinio S. Silvestri permanentibus sub palatio & Ecclesia Patriarchatus jamdicti confinii, videlicet sicut circumdant a comprehenso arcu, qui stat a capite porticali ejusdem Ecclesiæ S. Silvestri usque ad canalem decurrentem recto tramite usque in rivum S. Silvestri sicut continetur in illa concessionis & promissionis carta, quam jamdictus D. Patriarcha eidem prefato Plebano fecerat. Actum est hoc in Palatio sepedicti D. Patriarchæ presentibus Dominico Archidiacono Castellanæ Ecclesiæ, Petro Presbitero & Plebano Ecclesiæ S. Apollinaris, Plebano S. Pantaleonis, Plebano S. Pauli, Martino Presbitero & Canonico S. Marci, Matheo Calbani, Johanne Contareno, Marco Murillo, Tribuno Berardo, Henrico Contareno, Dominico Contareno, Johane Contareno.

Ego Andreas S. Cassiani Presb. & Not. rogatus huic confirmationi & investicioni, atque in tenute positioni interfui, subscripsi, complevi & roboravi.

Dominicus Minoto Pleb. Sancti Silvestri promittit subjectionem Henrico Dandulo Patriarchæ Gradensi.

N.

1182. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi, Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo secundo mense Decembris Indictione prima Rivoalti Promittens promitto Ego quidem D. Dominicus Minoto Presbiter & Plebanus Ecclesiæ S. Silvestri vobis namque Domino meo Henrico Dandulo Venerabili Sanctæ Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ egregio Patriarchæ, & Dalmaciæ Primati & vestris successoribus, ut amodo in antea semper fidelis esse debeam

san-

sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis, vestrisque successoribus, & Ecclesiam quam mihi datam habetis de jure suprascriptæ Sanctæ Gradensis Ecclesiæ numquam subtrahere debeam, set secundum meam scientiam jamdictam Ecclesiam & illud quod eidem Ecclesiæ per concessionis cartulam datum habetis, ut in ea legitur, incolume regere debeam. Promitto etiam, ut omni anno in festivitate S. Silvestri in divinis officiis & in prandium vos honorifice pro mea possibilitate suscipere debeam. Quod si quocunque tempore contra hujus promissionis cartulam ire presumpsero, tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem, ac reum mendatii canonice judicandi, & distringendi, & hæc promissionis cartula maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ, quam scribere rogavi Andream Presbiterum Ecclesiæ S. Cassiani, & Notarium.

✠ Ego Dominicus Minoto presbiter & Plebanus S. Silvestri m. m. ss.
✠ Ego Petrus Aycardo Presb. Ecclesiæ S. Apolinaris Plebanus ss.
✠ Ego Johannes Vero Subdiaconus & Capellanus D. Patriarchæ ss.

L. s. Ego Andreas S. Cassiani Presb. & Not. complevi, & roboravi.



Marcus Nicola Episcopus Castellanus concedit Ecclesiæ S. Silvestri partem decimationum.

O.

1184. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Ecclesiæ Sancti Silvestri.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno Domini Millesimo centesimo octuagesimo quarto mensis Novembris Indictione tercia rivoalti. Nos quidem Marcus nicola Dei gratia Castellanus Episcopus. Tibi dilecto filio Dominico plebano ecclesie S. Silvestri tuisque successoribus inperpetuum. Pie desiderium voluntatis, quod a religionis proposito desidere minime cognoscitur, & ad pacis & concordie augmentum pertinere monstratur sine aliqua est domino auctore dilatione complendum, ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & postulata utilitas vires ac robur assumat. Ea propter dilecte in domino fili petitionibus tuis justis ac rationabilibus annuentes, licet a domino Papa Alexandro beate memorie castellane ecclesie indultum sit ut tres partes videlicet de parrochiis ecclesiarum suarum percipiat specialis devotionis tue, ac reverentie prerogativa quam circa eamdem ecclesiam exibes quartam partem tibi de proventibus decimationum, qui de parrochia tua provenire solent integram & illibatam concedimus, eamque tibi & successoribus tuis liceat, Servato jure castellane ecclesie quod inferius habetur percipere & inter clericos tuos, prout meritum illorum agnoveris fideliter dispensare. Quartam vero nobis & successoribus nostris sine aliqua contradictione, atque diminutione omni tempore sancimus prestari. De parte autem pauperum medietatem tibi & successoribus tuis inter pauperes parrochie tue consilio fratrum tuorum dividendam relinquimus. Alteram vero medietatem propter multitudinem pauperum & maxime nobilium, qui ad episcopos castellanos confluere solent nobis & successoribus nostris censemus sine contrarietate exibe-

ri. Verum de quarta parte restaurationi deputata est quarta nobis & successoribus nostris pro matricis ecclesiæ utilitate reservamus. Reliquas vero partes, que residue sunt tibi, tuisque successoribus pro fabricis ecclesie tue, & libris reficiendis & aliis necessariis, cum conscilio fratrum tuorum dispensandas indulgemus. Ut autem hujus nostre constitutionis pagina inviolabile robur obtineat nec per nos, vel successores nostros immutari debeat propria eam subscriptione roborare, & sigilli nostri impressione munire curavimus. Si quis igitur nostrorum subdictorum eam infringere temptaverit si commonitus non resipuerit, officii sui periculo subjaceat & indignationem Dei, & beati Petri Apostoli incurrat. Conservantibus autem sit pax D. N. J. C. Amen.

✠ Ego Marcus Nicola Dei gratia Castellanæ Ecclesiæ Episcopus m. m. ss.
✠ Ego Blasius Presb. Pleban. S. Johannis ... castell. Eccl. canonicus m. m. ss.
✠ Ego Balduinus presb. castell. Ecc. canonicus m. m. ss.
Ego Petrus Aicardus presb. & Eccl. S. Apollinaris plebanus & Not. ex rogatu predicti D. Marci Episcopi scripsi, complevi & roboravi.
Ego Andreas Presb. S. Cantiani & Not. sicut vidi in autentico Dom. Episcopi scripsi nec minui, nec ampliavi, complevi, & roboravi.

Henricus Dandulo Patriarcha Gradensis confirmat Dominico Minoto Plebano S. Silvestri concessionem Decimarum factam ei a Marco Nicola Episcopo Castellano.

1185. Julii.

Ex Autographo in Archivo Ecclesie S. Silvestri Venetiarum.

IN Nomine Domini nostri jhesu christi. Anno domini Millesimo Centesimo octuagesimo quinto mense Julii Indic. tercia rivoalti. Henricus dei gratia gradensis ecclesie patriarcha & dalmatie primas. Dilecto in Christo filio dominico minoto plebano sancti silvestri ejusque successoribus imperpetuum. Justis potentium votis nos facile decet adhibere consensum. & que a tramite justitie non exorbitantur effectu sunt prosequente complenda. Ea propter dilecte in Christo fili justis postulationibus tuis gratuito concurentes assensu privilegium tibi, tuisque successoribus, & ecclesie tue a venerabili fratre nostro Marco castellano episcopo super decimis indultum anno domini millesimo centesimo octuagesimo quarto mense novembri indictione tertia per quod tibi, tuisque successoribus, tuisque fratribus & ecclesie tue vidimus esse concessum de decimis parochianorum tuorum quartam partem habere, & tres partes illius quarte que restaurationi deputata est, & medietatem illius partis que pauperibus debetur reliquis servatis Episcopo ita ut in eo privilegio continetur auctoritate nostra confirmamus & presentis pagine scripto communimus. Statuentes ut nulli deinceps liceat nostre auctoritatis paginam temeritate aliqua violare. Si quis igitur subditorum nostrorum contra hanc nostre confirmationis paginam ire temptaverit, vel eam ausu temerario infringere presumpserit indignationem dei omnipotentis, & beatorum apostolorum petri & pauli & sanctorum martyrum hermachore & fortunati, & nostram se noverit incursurum & excommunicationis vinculo eum volumus donec inde satisfaciat detineri.

Ego Henricus Dandulo dei gratia gradensis patriarcha ss.
Ego Petrus Aycardus Presb. & Eccl. S. Appollinaris pleb. & Not. rogatu predicti dom. Patriarche complevi, & roboravi.

Urba-

Urbanus III. confirmat assignationem decimarum factam Ecclesiæ S. Silvestri a Marco Nicola Episcopo Castellano.

1185. 18. Decembris.

Ex Archivo Ecclesiæ Sancti Silvestri.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Dominico Minoto Plebano Sancti Silvestri Salutem & Apostolicam benedictionem. Que a fratribus Episcopis sunt inviolabiliter statuta etiam firma debent & illibata manere, & ne processu temporis temeritate aliqua immutentur scripto convenit apostolico communiri. Sicut autem in autentico scripto venerabilis fratris nostri M. episcopi Castellani comperimus tue devotionis, & ecclesie tue cure commisse utilitatis intuitu idem episcopus tibi & successoribus tuis quartam partem decimarum parrochie tue concessit, ut eam valeas sine alicujus contradictione percipere, & inter clericos ejusdem ecclesie pro uniuscujusque merito dispensare quarta sibi & successoribus suis integre reservata. De parte vero pauperum medietatem cum fratrum tuorum consilio dividendam inter pauperes parrochie tue reliquit, medietatem reliquam te, cum clericis tuis prebente consensum ipsi Episcopo, & successoribus suis pro multitudine pauperum maxime nobilium venientium ad ecclesiam suam conferri precepit. Verum de quarta parte que restaurationi ecclesie est deputata quartam sibi & successoribus suis pro matricis ecclesie utilitate perpetuo reservavit. Alias vero partes ejusdem quarte tibi, & successoribus tuis pro reficiendis ecclesie tue fabricis, atque libris, aliisque necessitatibus statuit conferendis. Hanc igitur concessionem sicut ab eodem episcopo facta est & tam ab ipso, quam a venerabili fratre nostro H. Gradensi Patriarcha scripto autentico confirmata presentis scripti pagina roboramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Verone (*a*) xv. Kal. Januarii. Pontificatus Nostri Anno Primo.

(*a*) Urbanus III. electus fuit Summus Pontifex Veronæ die xxv. Novembris anno MCLXXXV.



Domi-

Dominicus Jubianus promittit censum pro quadam terra posita in Constantinopoli Henrico Dandulo Patriarchæ Gradensi.

P.

1183. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo tercio mensis Februarii Indictione secunda, Constantinopoli. Promittens promitto Ego quidem D. Dominicus Jubianus de confinio Sancti Vitalis cum meis heredibus tibi namque Johanni Dandulo filio qu: Vitali Danduli de confinio Sancti Luce, & tuis heredibus. Quod amodo in antea usque ad unum annum completum scilicet usque ad Kalendas Marcii proxime venturas per indictionem terciam ipsum ergasterium positum hic in Constantinopoli in scala (*a*) que vocatur cacegalla inter ergasterium, in quo nunc manet Marcus Damolo & caravum quod mihi concedisti usque ad unum annum completum per concessionis cartam, quam mihi inde hoc suprascripto mense fecisti per virtutem unius commissionis cartæ, quam Dominus noster Henricus Dandulus tibi fecit incolume retinere debeam usque ad suprascriptum terminum unius anni excepto incendio & violentia D. Imperatoris, & sic incolume tenere per me, vel per meum missum tibi, vel tuo misso ipsum ergasterium reddere debeam absque omni occasione aut nullis interpositis capitulis excepto periculo incendii & violentia Imperatoris. Nunc autem ego pro fictu suprascripti anni tibi appagavi ypopipos auri boni veteris partes duodecim. Ita quod nichil inde remansit unde me inde amplius requirere valeas per ullum ingenium. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptavero tunc emendare debeam cum meis heredibus, tibi & tuis heredibus auri libras quinque & hæc promissionis carta in sua firmitate permaneat.

Ego Dominicus Jubiano m. m. ss.

✠ Ego Johannes Raybulo tt. ss.

Ego Bonifacius Sulmulus tt. ss.

Ego Andreas Presb. Sancti Canciani Presb. & Not. complevi, & roboravi.

✠ Ego Vivianus Presb. & Canon. Castell. Ecclesiæ & Not. sicut vidi in matre, testis sum in filia.

✠ Ego Dominicus Superancio Diaconus & Notarius ut vidi in matre, testis sum in filia.

L. S. Ego Angelus Marinus Presb. & Not. hoc exemplavi eodem anno mense Madii sub suprascripta Indictione nec minui, nec ampliavi, complevi & roboravi.

(*a*) Scalæ vocabantur eo temporis apud Constantinopolitanos Portuli, ex quibus in adversam ripam minoribus navigiis trajiciebant Byzantini. Scalam hanc ex minoribus fuisse dicendum est, siquidem Ducangius inter quinque præcipuas non enumerat in Constantinopoli Christiana lib. 1. ex ejusdem Ducangii Notis in Annæ Comnenæ Alexiadem pag. 313. edit. Parisiens. Scalarum vocabulo navalia intelligi pridem docuerunt viri docti. Alii Scalas *trajectus maritimos* interpretantur, per quos videlicet navibus exscensus aditusque patebat in portum, vel in Urbem. Sic auctor Descript. C. P. in Reg. 6. Scalam Sycenam, *trajectum Sycenum* dixit. Alia vide apud ipsum auctorem. De Scalis ab Alexio Imperatore nationi Venetorum concessis vide Comnenam in Alexiade lib. 6. pag. 161.

Joannes Baraſtro Procurator in Conſtantinopoli ſuper redditibus Communis Venetiæ ſecuritatem facit Joanni de Canale de ſolutione terratici.

Q.

1194. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Euphemiæ de Majurbio.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jesu Chriſti. Anno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quarto. Menſis Novemb. Indict. XIV. Conſtantinopoli. Plenam, & irrevocabilem ſecuritatem facio ego quidem Johannes Baraſtro de confinio S. Margaritæ Procurator hic in Conſtantinopoli ſuper redditibus Communis Venetiæ cum meis ſucceſſoribus tibi Johanni da Canale de confinio S. Marinæ & tuis heredibus de toto teratico illius anni cui principium fuit in Kal. menſis Martii transfactis ſub Indict. XIII. & finietur per totum menſem Februarii proximi venturi ſub Indict. preſenti XIV. quod perſolvere debebis in Kal. menſis Martii pro una petia de terra poſita hic in Conſtantinopoli juxta Johannem Baduario. Hunc autem quod ſupraſcriptum teraticum totum michi perfecte deliberavit pro te Marcus Staniarus de confinio S. Juſtine quod eſt yperperos aur. rect. pond. (a) ſex. Ideo a modo in antea ſemper inde ſecurius permaneas; quia nichyl inde remaneat unde te amplius requirere valeam per ullum ingenium. Quod ſi ſequenti tempore contra hanc ſecuritatis cartam per aliquid ingenium ire temptaverim; tunc emendare debeam cum meis ſucceſſoribus tibi, & tuis heredibus auri libras quinque, & hec ſecuritatis carta in ſua firmitate permaneat.

☩ Ego Johannes Baraſtro m. m. ſs.
☩ Ego Daniel zoto tt. ſs.
☩ Ego Marinus Dandulo tt. ſs.

(a) De Hyperperis ſuperius dictum eſt; vide etiam Gronovium in *Addition. ad librum de Sextertiis* & conſule Cl. V. Sebaſtiani de Paulis *Mantiſſam numorum Byzantinorum*.

Joannes de Tumba electus Epiſcopus Caprulárum jurat ſubjectionem Joanni Signolo Patriarchæ Gradenſi.

R.

1197. 23. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Noſtri Jesu Chriſti. Anno Domini camilleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo menſe marcii die nono exeunte. Indictione quintadecima. Rivoalti. Promittens promitto Ego quidem D. Johannes de tumba Presb. electus Domino juvante futurus Epiſcopus Eccleſiæ Caprulane vobis Domino meo Johanni Signolo Venerabili Sanctæ Metropolitanæ Gradenſis Eccleſiæ Egregio Patriarche & Dalmatiæ primati, & veſtris ſucceſſori-

soribus, ut amodo in antea semper & ubique fidelis esse debeam Sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ, & vobis vestrisque successoribus, & ecclesiam cui preesse debeo de jure & subjectione Sanctæ Gradensis Ecclesiæ & ibi presidentium Pontificum nunquam subtrahere debeam, sed juste & honeste Domino juvante juxta meam conscientiam regere debeam. Promitto etiam, ut per annorum curricula omni anno in festivitate S. Hermachore & ad vestram Sinodum quandocunque mandatum direxeritis michi occurrere debeam, sicut ceteri confratres mei Episcopi sine impedimento Dei aut vestri vestrorumque successorum licentia. Promitto etiam per unumquemque annum suprascripte sancte matri Gradensi Ecclesiæ, & vobis vestrisque successoribus solvere pro cathedratico solidos denariorum nostre monetæ quinque secundum antiqua statuta sine omni occasione. Receptionem vestram, vestrorumque missorum honorifice tractare promitto semper ineundo, & redeundo. Itemque promitto, ut in omni obedientia juxta normam canonicam & insinuationem vestri magisterii vobis obedire paratus esse debeam, sicut decet sancto Patri & vestro Patriarchæ. Statum etiam & honorem sanctæ Gradensis Ecclesiæ integre retinere & adjuvare & retinendum pro posse meo promitto; Et omnes apellationes que super aliqua causa a presentia mea ad audientiam vestram factæ fuerint suscipiam, & negotia super quibus apellatum ad vos fuerit, ad vos transmittam, & quicquid exinde statueritis, vel definiendo ipsas causas, vel inobedientes personas puniendo fideliter observabo. Et nullum prejuditium aut injustitiam contra suprascriptam nostram matrem Gradensem Ecclesiam, aut contra vos, vel vestros successores facere presumam, unde jurata voce dico, per sancta quatuor evangelia, & Crucem Domini Nostri Jesu Christi, & corpora Sanctorum, quæ in suprascripta Ecclesia gradensi requiescunt, quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum & honorem suprascriptæ Sanctæ Gradensis Patriarchalis Ecclesiæ retinendum & vobis, vestrisque successoribus, & nunquam contra hanc promissionis cartam obvius ero. Quod si quocunque tempore contra hujus promissionis cartam, ire presumpsero, tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi, ac distringendi, & hæc promissionis carta quam propria subscribendo manu confirmavi, maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ.

✠ Ego Johannes da Tumba Presb. Electus Episcop. Caprulanæ Eccl. ss.
✠ Ego Alexius Presb. & Canon. ss.
✠ Ego Dominicus Ynisa Presb. & Canon. ejusdem Eccl. ss.
✠ Ego Marcus Georgius Presb. & Canon. jamdictæ eccl. ss.

L. S. Ego Andreas Presb. Plebanus Sancti Johannis Evangelistæ & Not. complevi, & roboravi.

Innocentius III. concedit Patriarchæ Gradensi, ut nomen ipsius in beneditione Cerei nomini Ducis Venetiarum præferatur.

S.

1200. 20. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali, & Codice Dipl. Ital. Tom. IV.

DIlectis Filiis Plebanis & Universo Clero Castellanensis Episcopatus salutem & Apostolicam benedictionem. Ad conquisitionem Venerabilis fratris nostri Patriarchæ Gradens. qui se querebatur in hoc a vestro Episcopo prægravari, quod contra consuetudinem antiquam, quam etiam ipse hactenus observaverat, nomen Patriarchæ nolebat in benedictione cerei nomini Ducis præferre, sibi recolimus Apostolicas litteras destinasse, ut Matris suæ Gradensis Ecclesiæ aliorum Coepiscoporum suorum vestigiis inhærendo, ipsi Patriarchæ honorem debitum non negaret. Quocirca Universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus vos ipsi, quemadmodum consuevistis hactenus, & in aliis Gradensis Patriarchatus Ecclesiis observatur, Patriarchæ nomen pronumcietis antiquo more, ne hominem videamini Deo præferre, cujus idem Patriarcha minister existit. Attentius provisuri, ut super his, quæ premisimus, non referatis ulterius questionem, alioquin quantumcunque præfato Duci, prout cum Deo possumus, deferre velimus, quam syncera diligimus in Domino charitate, quam grave sit superiorum nolle obedire præceptis, sequentia vos docerent.

Datum Laterani 11. Kal. Maii Pontif. nostri Anno 3.



Benedictus de Salmaza promittit Benedicto Faledro Patr. Grad. censum seu affictum pro quadam terra posita in Constantinopoli.

T.

1206. Octobris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi 1206. mense Octobris Indictione x. Constantinopoli. Post concessionis cartam, quam Johannes Bono de confinio Sanctæ Mariæ Formosæ mihi Benedicto desalmaza habitator in Constantinopoli fecit hoc eodem suprascripto anno, & mense, & eadem Indictione & cetera ut in ea legitur. Per virtutem unius concessionis cartæ testatæ & roboratæ, quam vos Dom. Benedicte Faletro Dei gratia Gradensis Patriarcha, & Dalmaciæ Primas eidem Johanni Bono dilecto nepoti vestro fecistis hoc presenti anno de mense Marcii Indictione IX. Rivoalti, & hæc, & cetera, ut in ea legitur. Promittens promitto ego quidem Dom. suprascriptus Benedictus de Salmaza cum meis heredibus, vobis namque suprascripte Dom. Benedicto Faletro Dei gratia Patriarchæ Gradensi, & Dalmatiæ Primati

mati vestris successoribus Quod a Kal. Septembris nuper transactis per suprascriptam Indictionem in antea usque ad viginti novem annos expletos debeam per me, aut per meum missum dare & deliberare annuatim Constantinopoli vestro nuntio, aut missis vestri successoris ypopipos auri recti ponderis quindecim. Medietatem in singulis Kalendis mensis Septembris, & aliam medietatem in singulis Kalendis mensis Marcii excepto periculo incendii, & violentia senioris. Videlicet pro terratico unius peciæ de terra vacua posita in Constantinopoli foras muri Civitatis in scala majori in ripa deprima quæ est de jure vestri Gradensis Patriarchatus. quæ habet in sua longitudine pedes triginta, & in latitudine sua pedes duodecim secundum quod firmat uno suo capite in terra vacua suprascripti Patriarchatus. Ab alio vero suo latere firmat in via communi. Uno suo latere firmat in terra quam tenet Johannes Bono quondam habitator in Rodisto (*a*) nunc vero habitator in Constantinopoli pro eodem Patriarchatu; ab alio autem ejus latere firmat in terra vacua jam dicti Patriarchatus. Hanc namque suprascriptam & predesignatam peciam de terra. Jamdictus Johannes Bono nepos vester dedit & concessit mihi ad fictum a Kal. suprascripti mensis Septembris in antea usque ad viginti novem annos expletos per suprascriptam concessionis cartam testatam & roboratam, ut in ea legitur. Super quam peciam de terra plenissimam virtutem & potestatem mihi dedit suprascriptus Johannes Bonus edificia & mansiones faciendi, & reedificandi quanta & qualiacunque mihi placuerit superius & inferius negotia, atque meas utilitates ibi exercendi. aliisque hominibus dandi, locandi, concedendi, & fictum sicut bonum videbitur inde accipiendi usque ad suprascriptum terminum nullo mihi homine contradicente ad completum vero suprascriptum terminum tota ipsa ædificia, & mansiones, quas desuper ipsa pecia de terra habuero incolumes vobis & vestro successori reddere debeo. Excepto periculo incendii & violentia senioris. (*b*) Quod si peccato imminente suprascripta edificia & mansiones quas desuper ipsa pecia de terra combusta fuerit aut ablata per vim alicujus potestatis post transactionem ipsius incendii, & violentiæ ipsa suprascripta pecia de terra in me debet evenire, donec expletum fuerit terminum, quem mihi defuerit, tamen persolvere debeo suprascriptum terraticum sicut superius est denotatum. Potestatem quoque habere debeo tenendi tabulas ad cambium super ipsa pecia de terra ad suprascripti Patriarchatus utilitatem & meam. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptavero, tunc emendare debeam cum meis heredibus vobis, & vestris successoribus auri libras quinque, & hæc promissionis carta maneat in sua firmitate.

✠ Ego Benedictus Desalmaza m. m. ss.
✠ Ego Johannes Bono tt. ss.
✠ Ego Matheus Gorio tt. ss.

L.S. Ego Nicolaus Tinto Pleb. S. Nicolai & Not. complevi, & roboravi.

(*a*) Rodistus seu Rodestum Urbs est in Thracia posita.
(*b*) De *violentia senioris* interpretatur de *violentia D. Imperatoris*; sicut in aliis instrumentis modestiori etiam verbo dicitur de *publica violentia*.

Mari-

Marinus Geno Potestas Constantinopoli concedit de mandato Petri Ziani Ducis Veneti multas proprietates terrarum positas in Costantinopoli de ratione Dominii Venet. Benedicto Faletro Patriarchæ Gradensi.

V.

1206. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo sexto mensis Februarii Indictione decima Constantinopoli. Cum habere teneamur ad ea sollicita provisione respectum, quibus honor Patriarchatus Gradensis Ecclesiæ semper in melius augeatur ad id perficiendum tanto volumus apparere solliciti Quanto mentis nostræ proposito ad hæc attentius invitamur. Igitur nos Marinus Geno de mandato & voluntate Dom. nostri Petri Ziani Dei gratia gloriosi Veneciarum Dalmacie atque Chrovaciæ Ducis, & Dom. quartæ partis & dimidiæ imperii Romaniæ in Constantinopoli Venetorum Potestas cum nostris judicibus, & nostri consilii sapientibus, atque cum nostris successoribus ab hodie in antea damus, atque concedimus vobis Dom. Benedicto Faletro Dei gratia sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarcha, & Dalmatiæ Primas vestrisque successoribus, ac posteris vestris in perpetuum possidendum; Cunctas, & super totas nostras scalas jamdicti nostri communis Veneciarum, & terras nostras vacuas positas foris muri Civitatis Constantinopoli cum rivis omnibus, & scalaticis, atque earum redditibus universis Videlicet a comprehenso angulo turris monasterii S. Georgii majoris (*a*) qui angulus respicit versus Orientem, ubi est quidam Caravellus secundum quod ab ipso suprascripto angulo porrigitur in antea versus Occidentem usque ad turrem S. Mariæ de carpiani (*b*) & sic in antea usque ad pedes tredecim. Quæ omnia super totum a comprehenso jamdicto angulo habent per suam longitudinem pedes quadrigentos duos & dimidium ad quas suprascriptas scalas potestatem debent homines Veneti habere cum navibus suis jungendi, & naves suas ibi retinendi & caricare, & discaricare, & utilitates suas exercere atque barchas suas ibi extrahere & abitare secundum quod sibi bonum visum fuerit. Concedimus etiam vobis ibidem infra murum Civitatis Constantinopoli omnes proprietates terrarum & casarum coopertas & discoopertas, suprascripti nostri communis Venetor. Secundum quod firmat uno suo latere per omnia in muro qui fuit Sevasto Cratorise. Alio autem suo latere firmat in muro Civitatis. Uno suo capite firmat recto tramite in via quam discurrit a porta Ebrayky usque ad murum qui fuit Sevasto Cratorise. Alio autem suo capite firmat a suprascripto muro Sevasto Cratorise in cuva Sanctæ Mariæ de Carpiani. Secundum quod recto tramite a muro qui fuit Sevasto Cra-

(*a*) Ducangius in Constantinopoli Christiana, ubi Monasteria Divo Georgio dedicata enumerat, nullum affert. hoc titulo S. Georgii Majoris nuncupatum. Fortasse hæc denominatio apud solos Venetos vigebat.

(*b*) Ecclesia hæc Sanctæ Mariæ de Carpiani ita appellabatur a nomine Carpiani Patritii, de quo Codinus p. 46. edit. Reg.

Cratorise usque ad mare, tam ea omnia que dicta sunt foris muri Civitatis quam ea omnia quæ prædesignata sunt infrascriptæ civitatis. Nos & Jusfredus Mariscalcus imperii quidem voluntate & ex precepto Dom. Henrici Imperatoris (*a*) insimul determinavimus. Inter quas proprietates sita est Ecclesia S. Akindiani (*b*) cum quibusdam suis pertinentiis. Insuper concedimus vobis proprietates terrarum & casarum quæ sunt juxta Ecclesiam S. Johannis de cornibus (*c*) & circa portuale ipsius Ecclesiæ quæ firmat uno suo latere in calle publica que discurrit inter ipsas proprietates & finionam. Uno earum capite firmat in via quam discurrit a possessionibus S. Herini usque ad predictum callem; alio capite firmat in Lombardis. Concedimus etiam vobis similiter proprietates terrarum cum duabus voltis circa Curtem S. Herini foris muri usque in dictam Ecclesiam S. Herini (*d*) versus proprietates que quondam fuerunt Alemanorum. Unde habent introitum & exitum earum in viis publicis. Has namque prædictas & prædesignatas scalas & terras vacuas cum rivis omnibus, & scaliaticis, atque earum redditibus universis & cum jamdictis proprietatibus terrarum & casarum petrineis & ligneis coopertis, vel discoopertis cum omni longitudine & latitudine sua cum capitibus, & lateribus suis cum callibus quoque & viis suis, cum accessu & egressu suo per terram, & per aquam & cum omnibus suis habentiis, & pertinentiis, ac universis suis adjacentiis intus & foris, tam suptus terram, quam supra terram ibidem adesse noscuntur vobis, vestrisque successoribus, seu posteris vestris in perpetuum damus, concedimus, atque transactamus cum successoribus nostris amodo in antea intromittendi, habendi, tenendi, ordinandi, concedendi, disponendi, locandi, cui, & quibuscumque vobis, vestrisque successoribus placuerit. & redditus earum accipiendi cum omnibus cartulis novis & veteribus suprascriptis scalis, & proprietatibus terrarum, & casarum coopertis & discoopertis pertinentibus nullo vobis homine contradicente. Si igitur contra hanc concessionis cartam ire voluerimus, tunc componere debeamus cum nostris successoribus vobis, & vestris successoribus auri libras quinque & hec concessionis carta maneat in sua firmitate.

✠ Ego Marinus Geno Venetiar. Potestas in Romania m. m. ss.
✠ Ego Jacobus Sifinulo Arbensis Comes m. m. ss.
✠ Ego Marcus Dandulus Judex m. m. ss.
✠ Ego Bartholomeus Aldiurando Judex m. m. ss.
✠ Ego Zacharia Stamario Consiliator m. m. ss.
✠ Ego Johannes Maurocenus Consiliator m. m. ss.
✠ Ego Jacobus Gradonico Consiliator m. m. ss.
✠ Ego Petrus Juliano Consiliator m. m. ss.
✠ Ego Nicolaus Quirinus Consiliator m. m. ss.
✠ Ego Marcus Sanudo m. m. ss.
✠ Ego Andreas Valleresso m. m. ss.

✠ Ego

(*a*) Henricus Flandriæ Comes hoc anno Imperator Constantinopolitanus electus est loco Balduini Fratris ejus in bello a Bulgaris capti.

(*b*) De Ecclesia S. Akindiani superius dictum est. Græca & Latina Ecclesiæ geminos hujus nominis Sanctos venerantur, quorum unius memoria ad diem xx. Aprilis, alterius vero ad diem II. Novembris recolitur.

(*c*) Hanc Ecclesiam omisit Ducangius, vel sub alio nomine recensuit in Constantinopoli Christiana

(*d*) Nec de S. Herini Ecclesia mentionem ingerit Constantinopolis Christiana; probabile tamen est nomen hoc corruptum esse, siquidem nec Martyrologium Romanum, nec Menologium Græcorum ullum hoc nomine Sanctum recensent.

✠ Ego Tribunus Baroci m. m. ss.
✠ Ego Marinus Faletro m. m. ss.
✠ Ego Nicolaus Maurocenus m. m. ss.
✠ Ego Marinus Basedellus m. m. ss.
✠ Ego Jacobus Daibolo m. m. ss.
✠ Ego Jacobus Faletro m. m. ss.
✠ Ego Petrus Quirinus m. m. ss.
✠ Ego Andreas Darbore m. m. ss.
✠ Ego Petrus Miliano m. m. ss.
✠ Ego Marinus Bonus m. m. ss.
✠ Ego Marinus Foscari m. m. ss.
✠ Ego Marcus Quirinus m. m. ss.
✠ Ego Paulus Ystrigo m. m. ss.
✠ Ego Daniel Donno m. m. ss.
✠ Ego Andreas Bembo m. m. ss.
✠ Ego Johannes Gradonico m. m. ss.
✠ Ego Tomatho Capellesi m. m. ss.
✠ Ego Laurenzo Polani m. m. ss.
✠ Ego Johanes Tradello m. m. ss.
✠ Ego Leonardus Villio m. m. ss.
✠ Ego Marinus Quirinus m. m. ss.
✠ Ego Nicolao Proleo jude. forescus m. m. ss.
✠ Ego Marcus Aurio m. m. ss.
✠ Ego Marcus Dondi m. m. ss.
✠ Ego Laurentius Venero m. m. ss.
✠ Ego Leonardus Signolus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Albo m. m. ss.
✠ Ego Leonardus Steno m. m. ss.

✠ Ego Nicolaus Tinto Pleb. S. Nicolai & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Canonicus & Not. complevi, & roboravi.

✠ Ego Nicolaus Tinto Pleb. Sancti Nicolai & Not. vidi in matre testis sum in filia.

✠ Ego Nicolaus Mauro judex vidi in matre testis sum in filia.

L.S. Ego Warimbertus Venerius Diac. & Not. Hoc exemplum exemplavi anno Domini Millesimo Ducentesimo Octavo mense Aprilis Indictione undecima Constantinopoli, nec minui, nec addidi, complevi, & roboravi.



Bona

Bona Patriarchatus Gradensis posita in Constantinopoli.

X

Iste sunt Case extra justa Murum Civitatis Constantinop.

Vitalis Venerius pp. x.
Johannes Pascaligus pp. VIII.
Blasius Griti pp. VII.
Nicola Scoto pp. VII.
Rini uxor Panchracii Albizo pp. VII.
Johannes Bonus. pp. x.

Henricus Mingolus pp. II.
Rubinus Bonus. pp. VI.

Pascalis Bollanus pp. v.
Ordelafius de Raynerio pp. IIII.
Johanne Scoto pp. v.
Bartholomeus Firmanus pp. v.
Stephanus Trivisanus. pp. x.

Aput Drongarium.

Petrus Sclavus pp. IIII.
Georgius Monovassiotis pp. VII.
Giubus Pinus pp. XI.
Leonardus Brissanus, Et Oluradus Trivisanus } pro casa & turri in terra D. int:e pp. II.
Petrus Rogerius pp. II.
Manuel Barberius pp. II.
Rini relicta Constantini Mastropetro. pp. III.

Peregrinus Gorio pp. x.
Vicarius Cas. ij. libras incensi in festo S. Akindani.
Dominicus Pestello pp. v.
Pascalis Entro. pp. II.

Iste Case sunt de ripa secus Mare.

Pascalis Bollanus pp. XII.
Georgius Signolus pp. XII.
Johannes da Tumba pp. VI.
Stephanus da Tumba pp. VI.
Vitalis ferro pp. VIII.
Johanna Longobarda uxor Nicolai Anconitani pp. VIII.
Vitalis Bugarus. pp. VI.

Nicola Sulimanus pp. VI.
Ordelafius de Raynerio pp. VI.
Georgius Potamissi. pp. VI.

Bernardus Firmanus pp. IIII.
Donatus Petro pp. II.
Phylippus Bennato pp. IIII.
Petrus Sclavus vel Jacobus Nani } pp. III÷
Basilius Sulimanus pp. IIII÷
Item Basilius Sulimanus pp. III÷
Theodosius Guata pp. III÷
Leonardus Constantinus. pp. v÷

Stephanus da Tumba pp. I.
Matheus Venerius pp. II.
Domuncula in qua manet petrus Barberius. pp. I.:.
Plebanus Terra vacua pp. XII.
Stephanus da Tumba pp. XII.
Marinus Frugerius pp. II.
Ysachios Kerula pp. IJ÷
Matheus Venero pp. II.
Theodorus Pigati. pp. J÷

Infra Civitatem apud Sanctum Akindanum.

Matheus Venetius	pp. IIII. K
Nicolaus Christi libram I. de Candelis Terra vacua prædictorum Leonardi & Oluradi	pp. IJ÷
Stephanus da Tumba	pp. IJ.
Petrus Barberius	pp. J.
Andreas Donatus	pp. IJ.
Andreas Donatus	pp. J.
Angelus Venerius ante Sanctum Marcum ultra viam.	pp. J.

Ante S. Akindanum.

Jacobus Vivianus Plebanus cas. II. & terra vacua	Kar. XIJ.
Gisla	Kar. XIJ.
Otto Paradiso Capsellarius & Kar.	pp. II. XIII.
Bonaventura Beccaro	Kar. XXJ.
Bartholomeus Mamolus Geradus Sutor.	pp. I÷ sive
Αγύος Muchi.	pp. IIIJ.

Apud S. Johannem de Cornibus.

Robertus Decanus	pp. II.
Commune Venet.	pp. XX.
Michali Salonikeo	pp. II.
Hendrigus Faber	pp. II.
Prior S. Nicolai	pp. IIIII.
Dominicus Barcarius	pp. IIII.
Due caserete Dom. Patriarchæ modo est Otonis Spadario.	
Deva..... Kar. XII. nunc est de Otone Spadario.	
Oto Spatarius	pp. II.
Cecilia relicta Michaelis de Larmiro	pp. II.
Martinus Trivisanus Vicecomes.	
Symeon de Antiochya	
Anzivia relicta Raynerii de Georgio.	

Pascalis Bollanus pro statera medio & Kila:	pp. LXXII.
Scala de Drongario.	

Benedicto Faletro Patriarchæ Gradensi promittit censum pro quadam terra posita in Constantinopoli Alexius, & Theodorus Duracini.

Y 1207. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Domini 1207. mensis Marcii indict. x. Constantinopoli. Post concessionis cartam quam Johannes Bono de confinio S. Mariæ Formosæ nobis Alexio & Theodoro ambobus duracinis habitator in Constantinopoli fecit hoc eodem anno & mense, & eadem indictione & cetera, ut in ea legitur per virtutem unius commissionis cartam quam vos D. Benedicte Faletro Dei gratia Gradensis Patriarcha & Dalmatie Primas eidem Johanni Bono nepoti vestro fecistis anno Domini 1206. mense Marcii Indictione nona Rivoalti & hec & cetera, ut in ea legitur, Promittentes promittimus Nos quidem jamdicti Alexius atque Theodorus cum nostris heredibus Vobis namque suprascripte D. Benedicte Faletro dei gratia Patriarche Gradensi, & Dalmatiæ Primati, vestrisque successoribus. Quod a Kalen-

Kalendis mensis Aprilis proximi venientis per suprascriptam Indictionem in antea usque ad vigintinovem annos completos debeamus per nos ambos, aut per unum de nobis ad qualem vos tenere volueritis, vel per nostrum missum, dare & deliberare annuatim Constantinopoli vestro nuncio yperperos auri pond. tres omnes insimul in singulis mensis Aprilis. Excepto incendio & violentia alicujus senioris. Videlicet pro terratico unius peciæ de terra de jure Gradensis Patriarchatus super quam nos habemus mansiones. Secundum quod firmat uno suo capite in via publica, & alio in muro S. Hereni. Uno suo latere in Henrico Allemano, & alio in arcu volto supradicte S. Hereni. Quam quidem suprascriptam & predesignatam peciam de terra suprascriptus Joannes Bonus procurator vester nobis dedit & concessit ad casaticum (*a*) per concessionis cartam testatam & roboratam, quam inde nobis hoc presenti anno fecit, ut in ea legitur. Super quam peciam de terra edifficia & mansiones faciendi & reedificandi habere debemus potestatem quanta, & qualia nobis placuerit superius & inferius negocia, atque nostras utilitates ibi exercere aliisque hominibus dandi, locandi, & concedendi cui vel quibus nobis placuerit & fictum inde tollendi secundum quod nobis bonum videbitur usque ad suprascriptum terminum nullo nobis homine contradicente. Quod si peccato imminente edificia & mansiones quas ibi habuerimus fuerint combusta, aut ablata per fortium alicujus potestatis transato ipso incendio, & violentia jamdicta pecia de terra in nos evenire debet, donec compleatur terminus, qui nobis defecerit, & ex tunc persolvere debemus suprascriptum terraticum, ut superius est denotatum, ad completum vero suprascriptum terminum tota edificia & mansiones quas ibi habuerimus incolumes suprascripto Patriarcha reddere, & refutare debemus excepto incendio & violentia senioris. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptaverimus tunc emendare debeamus, cum nostris heredibus vobis, & vestris successoribus auri libras quinque, & hæc promissionis cartam maneat in sua firmitate. Signum suprascriptorum Alesii, & Theodori qui hec fieri rogaverunt.

✠ Ego Johannes de ramerio tt. ss.
✠ Ego Johannes Marileo tt. ss.
L.S. Ego Nicolaus Tinto Pleb. S. Nicolai & Not. complevi, & roboravi.

(*a*) Casaticum idem est ac census pro domo, seu præstatio pro casa. In constitut. Friderici II. Imperatoris apud Richardum de S. Germano anno 1232. *de jure casatici remissa sunt* grana 3. pro uncia &c. Ducang. in Glossario.

Angelo Barotio Patriarchæ Gradensi censum promittit pro quadam terra posita in Constantinopoli Petrus q. Joannis Longo.

Z. 1207. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Domini 1207 mensis Augusti Indict. decima Constantinopoli. Post concessionis cartam testatam & roboratam, quam Panchratius Barrocius de confinio S. Moysi mihi Petro Longo filio q. Johannis Longo habitator in Constantinopoli fecit hic in Constantinopoli hoc presenti anno & mense, & eadem Indictione & cetera, ut in ea legitur per virtutem, & potestatem unius commissionis cartæ, quam vos D. Ange-

le Barroci Dei gratia Ven. Gradensis Ecclesiæ Patriarcha electe eidem suprascripto Panchratio Baroccio Fratri vestro dilecto fecistis hoc anno presenti 1207. mensis Marcii sub suprascripta Indict. x. Rivoalti, & hec & cetera, ut in ea plenius continetur, & legitur. Igitur promittens promitto Ego quidem D. jamdictus Petrus Longo cum meis heredibus vobis prenominato D. Angelo Barrocio Dei gratia Gradensi Patriarche electo, & Dalmatie Primati vestrisque successoribus. Quod a Kalendis presentis suprascripti mensis Augusti in antea usque ad viginti novem annos bene completos debeam per me, vel per meum missum dare, & deliberare per singulos annos in Constantinopoli nuncio vestro yperperos auri pond. duodecim minus quarta. Medietatem in singulis Kallendis mensis Augusti, & aliam medietatem in singulis Kallendis mensis Februarii. Excepto incendio & violentia alicujus senioris. Videlicet pro terratico unius pecia de terra posita in Constantinopoli foras muri Civitatis in scala de Drongario que est de jure vestræ Gradensis Patriarchatus super quam ego habeo edifficia & mansiones, atque ergasteria edifficata. Secundum quod firmat ab uno suo capite in muro Civitatis, & alio suo capite firmat in via publica, in quo capite habet ipsa pecia de terra per suam latitudinem pedes quatuordecim minus tertiam, ab uno suo latere firmat in terra quam tenet Kyra hereni pro suprascripto Patriarchatu, & alio suo latere similiter firmat in terra Gradensis Patriarchatus. Habet itaque suprascripta pecia de terra per suam longitudinem a comprehenso suprascripto muro Civitatis in antea usque ad viam publicam pedes decem & novem. Hanc namque suprascriptam & predesignatam peciam de terra jamdictus Panchratius Barrocius Frater & Procurator vester dedit, & concessit mihi ad fictum a Kalendis suprascripti presentis mensis Augusti in antea usque ad viginti novem annos bene completos per suprascriptam concessionis cartam testatam, & roboratam ut in ea legitur. Ad completum vero totum suprascriptum terminum omnia edificia, que ibi habuero cum suprascripta pecia de terra incolumes suprascripto Gradensi Patriarchatui reddere, & refutare debeo sine lite aliqua & absque omni questione. Excepto incendio & violentia senioris. Et si, quod absit, violentia intervenerit in quantum ipsa violentia duraverit, non debeo dare suprascriptum terraticum, nec debetur michi aliquid minui de jam dicto termino. Set postquam violentia transacta fuerit ipsa pecia de terra in me venire debet donec terminus expleatur. Quod mihi defuerit, & sic persolvere debeam predictum terraticum ut superius dictum est. Sciendum est tamen, quod totum terraticum quod ego amodo in antea usque ad Kal. mensis Februarii primi venturi pro suprascripta pecia de terra vobis dare debebam, ben inde Panchratium Barrocium fratrem & procuratorem vestrum appagavi & perfecte deliberavi, unde securum & quietum me reddidit. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptavero, tunc emendare debeam cum meis heredibus vobis, & vestris successoribus auri libras quinque, & hæc promissionis carta maneat in sua firmitate.

✠ Ego Petrus Longo m. m. ss.
✠ Ego Jacobus Laugolo tt. ss.
✠ Ego Angelus Pentulo m. m. ss.

L. S. Ego Nicolaus Tinto Pleb. S. Nicolai & Not. complevi, & roboravi.

In

In Palatio Patriarchali Gradensi leguntur litteræ citatoriæ Henrici Canonici Tarvisini Deleg. Apost. contra Patr. Gradens. in causa cum Episc. Castellano.

A2.

1229. 6. Decembris.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi anno Domini 1229. die VI. intrante Decembris Indictione III. Rivoalti. Presentibus Johane Diacono, & Matheo Clerico Sancti Johanis de Rivoalto. Cum Thomas Diaconus Canonicus Castellanus quereret Dominum Patriarcham Gradensem in Palatio Patriarchatus, & eum non posset invenire publice & alta voce in dicto Patriarchatu legit quasdam litteras sigillatas sigillo Dom. Enrici Canonici Tarvisini hunc habentes tenorem. Venerabili in Christo Patri D. Angelo Dei gratia Patriarchæ Gradensi Henricus Canonicus Tervisinus Delegatus Dom. Papæ quicquid devocionis reverentiæ patet. Quia ad terminum, quem vobis auctoritate apostolica locavi in causa quam vertitur inter vos ex una parte, & Episcopum Castellanum ex altera, super exactione centum solidorum Venetialium, quos ab ipso Episcopo indebite, sicut asserit, exigitis in una parte, & quinque solidos ejusdem monete in altera, & rebus aliis, non venistis, nec aliquem pro vobis curastis mittere responsalem. Idcirco auctoritate apostolica, qua fungor vobis duxi peremptorie percipiendum, quatenus secunda feria quam primo occurrerit post Dominicam, in qua cantatur Populus Sion (*a*), coram me apud Tervisium in majori Ecclesia compareatis per vos si placet, vel per sufficientem responsalem libello ex parte dicti Episcopi, secundum quod justum fuerit responsurum. Alioquin quantum cum Deo & justitia potero in ipsa causa procedere curabo. Quibus litteris perlectis dictus Thomas Diaconus Canonicus Castellanus easdem litteras in dicto palacio super quemdam discum, qui ibi erat posuit ac dimisit.

L. S. Ego Angelus S. Angeli Diac. & Not. interfui rogatus scripsi, complevi, & roboravi.

(*a*) His verbis *Populus Syon* incipit Introitus Missæ in Dominica secunda Adventus.

Inno-

Innocentius III. mandat Episcopis Paduano, & Tarvisino & Archipresbytero S. Lucæ, ut procedant in controversia inter Patriarcham Gradensem, & Episcopum Castellanum.

B 2.

1213. 4. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus Paduano (*a*) & Tarvisino (*b*) Episcopis, & dilecto filio Archipresbitero Sancti Luce de Venetiis. Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte Ven. Fratris nostri Patriarchæ Gradensis fuit propositum coram nobis quod Ven. Frater Noster Castellanus Episcopus (*c*) procurationem sibi debitam denegat exhibere. Cumque super hoc idem Episcopus nostras ad nos impetrarit litteras contra eum, illis uti elapso jam anni spatio non curavit. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra tres menses post susceptionem presentium in ipso negotio juxta prime commissionis tenorem appellatione remota ratione previa procedatis. Alioquin noveritis nos dilecto filio Jordano quondam Priori Sancti Benedicti (*d*) Paduani mandare, ut idem ex tunc causam audiat, & eam appellatione remota canonico fine decidat, faciens quod decreverit per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Vos denique Fratres Episcopi super vobis ipsis, & credito vobis grege taliter vigilare curetis extirpando vitia, & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique secundum opera sua; dignam possitis reddere rationem. Datum Signie (*e*) II. Non. Augusti Pontificatus nostri anno Sextodecimo.

(*a*) Gerardus Pomedella, de quo Ughell. in Epis. Patav.
(*b*) Tyso Tempesta; de quo Ughell. in Tarvis. Epis.
(*c*) Marcus Nicolai, de quo superius dictum est.
(*d*) Beatus Jordanus ex ordine S. Benedicti sanctitate doctrina & rerum gestarum prudentia ea tempestate clarissimus fuit, cujus corpus in Ecclesia Monialium Sancti Benedicti Patavii requiescit. Monasterium S. Benedicti Paduani Novelli nuncupati, quod modo possident Monachi Congregationis Montis Oliveti, olim Sæculo XIII. unitum erat sacro Heremo Camaldulensi, ut evidenter patet ex autographis documentis, quæ in Archivis Cathedralis Patavinæ, atque ejusdem sacri Heremi adhuc asservantur; ideoque ex eis B. Jordanum Viris Illustribus Congreg. Camald. adnumerandum esse videretur.
(*e*) Aliud Innocentii III. Diploma Signiæ datum IV. Kal. Julii 1213. reperitur in Collect. Baluzii lib. 15. Epist. 144.

Gre-

Gregorius IX. mandat Delegatis Apostolicis, ut in causa inter Patriarcham Gradensem Angelum Baroccium, & Episcopum Castellanum Petrum Pinum, non procedentibus Episcopo Vicentino, & Collegis Delegatis, ipsi procedere debeant.

C2.

1234. 3. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis.. Decano, & Henrico dicto Plebano Tarvisii & Thomæ Francisco S. Marci de Venetiis canonicis Salutem & Apostolicam benedictionem. Exposita nobis Ven. Fratris nostri A. Patriarchæ Gradensis petitio continebat, quod cum de antiqua consuetudine hactenus approbata obtinuerit, ut in reditu suo de gradu campanæ pulsentur, & idem in benedictione Pascalis cerei in Castellana Diocesi debeat nominari. Ven. Frater noster.. Castellanus Episcopus hæc fieri in sua Diocesi de novo inhibere præsumpsit in ejusdem Patriarchæ præjudicium, & gravamen. Et licet dudum Episcopo supradicto direxerimus scripta nostra, ut ne occasione hujusmodi inter ipsum, & Patriarcham eumdem materia scandali oriretur, faceret ipsi Patriarchæ exhiberi sine difficultate qualibet supradicta, Ven. Fratri nostro... Episcopo Vicentino (*a*) & Dilectis filiis ... Archipresbytero Paduano & .. R. Archidiacono Cenetensi dantes nihilominus in mandatis, ut si dictus Episcopus mandatum nostrum negligeret adimplere, ipsi inquisita super præmissis diligentius veritate causam ipsam ad nos remitterent sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectu præsentarent justam dante Domino sententiam recepturi ipsi, sicut eodem Patriarcha significante nobis innotuit præscripto Episcopo quod mandavimus efficere negligente detinentes jam dictum negotium per octo mensium spatium & amplius in suspenso in ipso juxta traditam eis formam hactenus motu proprio procedere neglexerunt ab eodem Patriarcha pluries requisiti, propter quod ipse suam nondum potuit justitiam obtinere. Volentes igitur ut finis litibus imponatur eisdem per iterata scripta damus firmiter in præceptis, ut si est ita in negotio supradicto infra quatuor mensium spatium post susceptionem ipsarum juxta priorum continentiam litterarum omni occasione & excusatione cessantibus previa ratione procedant. Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti Episcopus & college sui præceptum nostrum infra præscriptum tempus neglexerint adimplere, vos ex tunc in negotio sepe facto juxta traditam ipsis formam, sublato cujuslibet appellationis & contradictionis impedimento, ratione prævia procedatis. Testes autem, qui fuerint nominati si se gratia odio, vel timore subtraxerint per censuram Ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere; quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Reatæ (*b*) III. Nonas Augusti Pontificatus nostri anno octavo.

Hono-

(*a*) Anno 1234. Vicentinam Ecclesiam regebat Manfredus Trisinus.

(*b*) In Retina Civitate degens Gregorius IX. bullam Canonizationis S. Dominici Ord. Prædic. Institutoris dedit v. Non. Julii anno 1234.

Honorius III. Angelo Barotio Patriarchæ Gradensi mandat, ut statutum edictum in Concilio Generali Lateranensi III. de Magistris Theologis per singulas Metropoles statuendis inviolabiliter in Provincia Gradensi observari faciat,

D 2.

1219. 25. Novembris.

Ex Autographo in Patriarchali Archivo.

HOnorius Episcopus, Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus.. Patriarchæ Gradensi & suffraganeis ejus & Dilectis filiis ceteris Ecclesiarum Prælatis & Capitulis in Gradensi Provincia constitutis. Salutem & Apostolicam benedictionem. Super speculam Domini licet immeriti constituti dum diligenter multo intuitu contemplamus statum Ecclesiæ Generali dolemus plurimum & tristamur quod cum albe sint regiones ad messem plurimam, & operarii sint perpauci, plerique vigiles, qui tenentur custodire Domini vineam dormiunt somnium suum, neque zizania nimium excrescentia in manipulos ad comburrendum colligunt, quamvis ea jugiter superseminet inimicus. Cumque lactens & parvulus defficiat in plateis vix est qui frangat panem parvulis aut propinet sitientibus aquam sapientiæ salutaris, eo quod modica est in terra scientia Domini, quia plurimi veluti luxores filii accepta non modica portione substantiæ Jesu Christi comparant sibi de ipsa siliquas vacuas & sonoras, quæ non satiant, & aquam auriunt cum situla Samaritanorum de puteo, vel torrente aquarum infidelium quæ sitim hydropici non relevant, sed irritant. Tales equidem ortum conclusum cui non communicat alienus ubi fons est, & puteum aquarum viventium deserentes, ac fodientes sibi cisternas, quæ aquam non prevalent continere, quasi non invenientes pascua fastidito mana dum suspirant ad Ægypti allea & pepones currunt ad scientias lucrativas statuentes in terram suos oculos declinare. Ut igitur per increpationes validas tanquam per Patris verbera filii aberrantes ad matris ubera revocati veluti Pulli Aquilarum queant expeditius advolare ne inoffense, atque libentius vellint & valeant currere in odorem flagrantis gratiæ Jesu Christi ad auriendum aquas vivas in gaudio de fontibus Salvatoris quosdam obices amovere cupimus huic itineri obsistentes & necessaria quædam annectere hiis quæ ab antecessoribus nostris edita sunt ab olim ad propagationem propaginis vitæ veræ. Cum itaque de singulis provinciis puellæ speciosæ ac virgines pro Rege Assuero, qui beatitudo dicitur per ancillas queri debeant & adduci ad arcem & mænia civitatis & per manum Agei mundum muliebrem accipere necessariorum videlicet fulcimenta volumus & mandamus, ut statutum editum in concilio generali (*a*) de Magistris Theologis per singulas Metropoles statuendis inviolabiliter observetur. Decernentes (*b*) insuper de concilio Fratrum nostrorum ac districte precipiendo mandantes ut quia super hoc propter rari-

(*a*) Consule Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. anno 1179. Capite XVIII. & Lateranense IV. sub Innocentio III. anno 1215. Capite XI.

(*b*) Novum hocce Honorii III. Decretum recensetur Lib. V. Decretalium, Tit. V. de *Magistris*, capite V. *Super specula.*

raritatem magiſtrorum ſe poſſent aliqui forſitan excuſare, ab Eccleſiarum Prælatis & Capitulis ad Theologicæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur, qui cum docti fuerint, in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti: ex quibus poſtmodum copia poſſit haberi doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad juſtitiam valeant plurimos erudire, quibus ſi proprii proventus Eccleſiaſtici non ſufficiunt, prædicti neceſſaria subminiſtrent. Docentes vero in Theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa integre per annos quinque, percipiant de licentia Sedis Apoſtolicæ proventus præbendarum, & beneficiorum ſuorum; non obſtante aliqua contraria conſuetudine, vel ſtatuto; cum denario fraudari non debeant, in vinea Domini operantes. Hoc autem inconcuſſe volumus obſervari firmiter diſponentes, quod feriantur pœna debita tranſgreſſores. Sane licet fallax ſit gratia cæterarum ſcientiarum & vana etiam pulcritudo cum frumentum electorum & vinum germinans virgines juxta prophetiam ſit bonum ſuper omne, & ſit pulcrum, quia tamen regulares quidam clauſtrale ſilentium & legem Domini animas convertentem & ſapientiam dantes parvulis quam ſuper aurum, & topation amare debuerant reſpuentes abeunt poſt veſtigia gregum & illicite ſe convertunt ad pediſſequas amplectendas quæ plauſum deſiderant populorum contra hujuſmodi præſumptores (*a*) exeuntes ad audiendum leges, vel ſiſicam, felicis memoriæ A. prædeceſſor noſter, olim ſtatuit in Concilio (*b*) Turonenſi, ut niſi infra duorum menſium ſpatium ad Clauſtrum redierint, ſicut excommunicati ab omnibus evitentur; & in nulla cauſa (ſi patrocinium præſtare voluerint) audiantur. Reverſi autem, in choro, capitulo, menſa, & ceteris ultimi fratrum exiſtant: & (niſi forte ex miſericordia Sedis Apoſtolicæ) totius ſpem promotionis ammittant. Verum quia nonnulli ex talibus, propter quorumdam opiniones diverſas, excuſationis aliquid aſſumebant: Nos volentes, ut tales de cætero ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus tam a Dioceſanis, & capitulis ipſorum, quam etiam a cæteris Epiſcopis, in quorum Dioceſibus in hujuſmodi ſtudent, tales ſublato appellationis obſtaculo excommunicati & prædictis pœnis obnoxii publice nuntientur. Quia vero Theologiæ cupimus ſtudium ampliari, ut dilatato tentorii ſui loco, funiculos ſuos faciant longiores; & ſit fides catholica circumcinta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex adverſo: Ad Archidiaconos, Decanos, Præpoſitos, Plebanos, Cantores & alios clericos perſonatus habentes, nec non & Presbyteros (niſi ab hiis infra ſpatium præſcriptum deſtiterint) hæc extendi volumus, & apellatione poſt poſita inviolabiliter obſervari. Nam cum ſint multi caupones aquam vino miſcientes qui non ſolum involvere falſa veris, ſed etiam diem in noctem vertere moliuntur, in firmamento cæli plantare luminaria dividentia diem a nocte valide affectamus. ſummopere ſatagentes ut ad capiendum vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas bonorum habeamus copiam Venatorum, qui manum mitentes ad fortia contra perverſores fidei ſint potentes opere ac ſermone; hic veſtiti duplicibus, ut mereantur duplicia poſſidere, cum ridebunt in die noviſſimo ad judicandum, cum terræ ſenatoribus conſeſſuri. Porro cum argentum alibi habeat venarum ſuarum principia quam unde ferrum

(*a*) Quæ ſequuntur verba eadem inter Decretales habentur Lib. II. Tit. I. *ne clerici, vel Monachi* cap. x. ſuper ſpecula.
(*b*) Turonenſem Synodum habuit Alexander III. anno 1163. contra Victorem Antipapam. Quæ hoc loco citantur habentur can. VIII.

rum tollitur, & auro locus, in quo confletur fit jamdudum parisius deputatus ubi turris David cum suis propugnaculis construi consuevit, ex qua non solum dependent mille clippei, sed omnis fere armatura fortium dum indesinenter exinde fortes ex fortissimis prodeunt tenentes gladios, & ad bella doctissimi, qui ambiunt per orbem undique lectulum Salomonis, quidam suis divitiis invidentes dicere videntur, patri quid generas, & matri quid parturis, dum secus Altare plantare lucum, & ancillam heredem suæ Dominæ gestiunt subrogare quamquam ancillæ filius cum filio libere non debeat hæres esse. Currunt enim illuc quidam improbi cum traditionibus secularium principum (*a*) quasi rarefacere ibi velint fabrum ferrarium acuentem gladium, aut lanceam vomerem, vel ligonem. & cum in locis plurimis plures habeant sui studii professores ultro ingerunt filiorum oculis mentes suas, ut ipsarum illecti faleris, & dulcedine provocati a matris pulchritudine, ac sapidis uberibus abstrahantur non adtendentes quod coangustatum est illic seratum & fere artus est locus ibidem filiis prophetarum. Sane licet (*b*) sancta ecclesia legum secularium non respuat famulatum, quæ satis equitatis & justitiæ vestigia immitantur; quia tamen in Francia, & nonnullis provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur; & occurrunt raro ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expedire, ut plenius sacræ paginæ insistatur, & discipuli helisei liberius juxta fluenta plenissima resideant, ut columnæ dum in januis scolas non invenerint, ad quas dumricare valeant pedes suos firmiter interdicimus, & districtius inhibemus, ne Parisiis vel in civitatibus, seu aliis locis vicinis quisquam docere, vel audire jus civile præsumat, & qui contra fecerit, non solum a causarum patrociniis interim excludatur: verum etiam per Episcopum, loci appellatione postposita excommunicationis vinculo innodetur. Vos autem fratres & filii sic diligentius præscripta servetis, & faciatis studiosius ab aliis observari quod veri amici sponsi possitis merito comprobari dum paranimphos suos erudiendos ad epitalamica carmina curaveritis promovere. Datum Viterbii VII. Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno quarto.

(*a*) De jure Romano loquitur non tamen de illo quod Codice Theodosiano, sed de alio quod Codice Justinianæo continetur. Itali fuere, qui illud in Gallias hoc ævo invexerunt, tradebantque in Parisiensi Universitate. Resistebant Pontifices juri Canonico adhærentes. Vide Esprit des loix, Lib. XXIX. cap. XLII. Ex suprarelatis suadeor Epistolam hanc Honorii etiam ad alios Metropolitas directam fuisse.

(*b*) Vide hæc verba inter Decretales recensita lib. V. Tit. de Privilegiis cap. XXVIII. *super specula*; atque Glossas adjectas consule.



Jaco-

Jacobus Theupulus Poteſtas in Conſtantinopoli aſſignat Patriarchæ Gradenſi Angelo Barotio annuum cenſum pro quibusdam domibus diſpoſitis ad ædificationem fundici.

E 2.

1220. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti anno Domini 1220. menſis Junii Indictione VIII. Conſtantinopoli. Cum verum ſit, quod ad decus patriæ noſtræ fundicum in Conſtantinopoli Urbe inſtruere incepimus nos quidem Jacobus Teupolo de mandato Ill. Dom. Noſtri Ducis Venetiarum poteſtas in Conſtantinopoli & deſpoſitor imperii Romaniæ ejusdemque imperii quarte partis & dimidie vice ſui dominator ad utilitatem territorii, ſive circuitus infra dictum fundicum captum eſt tantum territorium de proprietatibus Patriarchatus Reverendiſſimi Dom. Angeli Barocii Gradenſis Patriarchæ, quod reddebat annuatim yperperos auri pond. viginti per quod quidem territorium nos ſupraſcriptus poteſtas & deſpoſitor imperii Romaniæ cum judicibus, & ſapientibus noſtri concilii, cum noſtris ſucceſſoribus concedimus ſupraſcripto D. Patriarchæ, & ſuis ſucceſſoribus ad nomen ejusdem Patriarchatus ad habendum annuatim a noſtro communi Venec. yperpera auri pond. viginti medietatem in ſingulis Kalendis menſis Marcii, & aliam medietatem in ſingulis Kalendis menſis Septembris usque dum D. Noſter Dux, vel Dom. Conſtantinopolitanus poteſtas de poſſeſſionibus ſive redditibus communis Veneciarum eidem Patriarchatui annuatim valoris yperperorum viginti pond. aſſignet. Si igitur contra hanc conceſſionis cartam ire temptaverimus tunc emendare debeamus, cum noſtris ſucceſſoribus a noſtro communi veneciarum eidem Patriarchatui & Patriarchæ, & ſuis ſucceſſoribus auri libras quinque, & hæc conceſſionis carta in ſua maneat firmitate.

✠ Ego Jacobus Teupolo de mandato Dom. Ducis Veneciarum poteſtas Conſtantinopoli, & diſpoſitor Imperii Romaniæ m. m. ſs.
✠ Ego Marcus Aurio judex m. m. ſs.
✠ Ego Marinus Faletro conciliator m. m. ſs.
✠ Ego Vitalis Ferro Conciliator m. m. ſs.
✠ Ego Marcus Baraſtro Camerario m. m. ſs.
✠ Ego Stephanus Venero procurator m. m. ſs.
✠ Ego Jacobus Jubani Advocator m. m. ſs.
✠ Ego Lucas Cancellarius Curiæ Dom. poteſtatis Conſtantinopolitani, & Notarius, complevi & roboravi.
✠ Ego Jacobus Beaqua judex vidi in matre teſtis ſum in filia tt. ſs.

L.S. Ego Beltramus Presb. Canon. S. Marci Not. & Curiæ Dom. Poteſtatis Conſtatinopolitani Cancellarius hoc exemplum exemplavi anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1256. menſis Aprilis die XI. exeunte, nichil addens vel minuens quod ſententiam mutet ſcripſi, complevi & roboravi.

Angelus Marino Episcopus Caprulanus jurat subjectionem Angelo Patriarchæ Gradensi.

F 2.

1209. 22. Decembris.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi Anno Domini 1209. mensis Decembris die x. exeunte Indictione xii. Caprul. Promittens promitto Ego Angelus Marino Presbyter electus domino juvante futurus Episcopus Caprullanæ Ecclesiæ vobis Domino meo Angelo Barotio Venerabilis Sanctæ Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ egregio Patriarchæ, & Dalmatiæ Primati & vestris successoribus, ut a modo in antea semper & ubique fidelis esse debeam Sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis, vestrisque successoribus, & Ecclesiam, cui preesse debeo, de jure & subjectione Sanctæ Gradensis Ecclesiæ, & ibi presidentium Pontificum nunquam subtrahere debeam, sed juste & honeste Domino juvante juxta meam conscientiam regere debeam. Promitto etiam, ut per annorum curricula omni anno in festivitate Sancti Hermachore, & ad vestram Sinodum quandocumque mandatum direxeritis michi, occurrere debeam; sicut ceteri confratres mei Episcopi sine impedimento Dei, aut vestri vestrorumque successorum licentia. Promitto etiam per unumquemque annum suprascriptæ Sanctæ matri Gradensi Ecclesiæ & vobis, vestrisque successoribus solvere pro Cathedratico solidos denariorum nostre monete quinque secundum antiqua statuta sine omni occasione. Receptionem vestram, vestrorumque missorum honorifice tractare promitto semper in eundo, & redeundo. Itemque promitto, ut in omni obedientia juxta normam canonicam & insinuacionem vestri magisterii vobis obedire paratus esse debeam, sicut decet sancto Patri, & nostro Patriarchæ. Statum etiam & honorem Sanctæ Gradensis Ecclesiæ integre retinere, & adjuvare ad retinendum pro posse meo promitto. Et omnes appellationes, quæ super aliqua causa a presentia mea ad audientiam vestram factæ fuerint suscipiam, & negotia super quibus appellatum ad vos fuerit, ad vos transmittam. Et quicquid exinde statueritis vel difiniendo ipsas causas, vel inobedientes personas puniendo, fideliter observabo & nullum prejuditium, aut injustitiam contra suprascriptam nostram matrem Gradensem Ecclesiam aut contra vos, vel vestros successores facere presumam. Possessiones vero ad mensam Caprulani Episcopatus vel modo, vel in futurum pertinentes sine licentia vestra, vel successorum vestrorum non alienabo, nec pignorabo, neque de novo infeudabo, unde jurata voce dico, per sancta quatuor Evangelia & Crucem Domini Nostri Jesu Christi, & corpora Sanctorum, quæ in suprascripta Ecclesia Gradensi requiescunt, quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum, & honorem suprascriptæ sanctæ Gradensis Patriarchalis Ecclesiæ retinendum & vobis, vestrisque successoribus, & nunquam contra hanc promissionis cartam obvius ero. Quod si quocunque tempore contra hujus promissionis cartam ire presumpsero, tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi, ac distringendi, & hæc

promis-

promissionis carta, quam propria subscribendo manu confirmavi, maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ.

✠ Ego Angelus Marinus Presbiter electus Episcopus Caprullanæ Ecclesiæ ss.

✠ Ego Dominicus.... Presb. & Canon. ejusdem Ecclesiæ tt. ss.

✠ Ego Dominicus Rossanus Presb. & Canon. ejusdem Ecclesiæ tt. ss.

L.S. Ego Natalis datumba Diac. & Not. complevi, & roboravi.

Natalis electus Episcopus Caprularum jurat subjectionem Angelo Barocio Patriarchæ Gradensi.

1226. 8. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto die octavo intrante mensis Martii Indictione quartadecima Rivoalti. Promittens promitto Ego quidem Natalis Presbyter electus Domino juvante futurus Episcopus Caprulanæ Ecclesiæ vobis Domino meo Angelo Barrocio Ven. Sanctæ Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ egregio Patriarchæ & Dalmatiæ Primati, & vestris successoribus. Ut amodo in antea semper & ubicumque fidelis esse debeam Sanctæ Matri meæ Gradensi Ecclesiæ & vobis vestrisque successoribus, & ecclesiam, cui preesse debeo, de jure & subjectione Sanctæ Gradensis Ecclesiæ, & ibi presidentium Pontificum nunquam subtrahere debeam, sed juste & honeste Domino juvante juxta meam conscientiam regere debeam. Promitto etiam per annorum curricula omni anno in festivitate S. Hermachore, & ad vestram Sinodum quandocumque mandatum direxeritis mihi occurrere debeam, sicut ceteri confratres mei Episcopi sine impedimento Dei, aut vestri vestrorumque successorum licentia. Promitto etiam per unumquemque annum supradscriptæ sanctæ matri Gradensi Ecclesiæ & vobis, vestrisque successoribus solvere pro cathedratico solidos denariorum nostræ monetæ quinque secundum antiqua statuta sine omni occasione. Receptionem vestram, vestrorumque missorum honorifice tractare promitto semper in eundo & redeundo. Itemque promitto ut in omni obedientia juxta normam canonicam & insinuationem vestri magisterii vobis obedire paratus esse debeam sicut decet sancto Patri & nostro Patriarchæ. Statum etiam & honorem Sanctæ Gradensis Ecclesiæ integre retinere, & adjuvare ad retinendum pro posse meo promitto. Et omnes appellationes, quæ super aliqua causa a presentia mea ad audientiam vestram factæ fuerint, suscipiam, & negotia super quibus appellatum ad vos fuerit ad vos trasmittam, & quicquid exinde statueritis vel diffiniendo ipsas causas, vel inobedientes personas puniendo, fideliter observabo, & nullum prejudicium aut injustitiam contra suprascriptam nostram matrem Gradensem ecclesiam, aut contra vos, vel vestros successores facere presumam, possessiones vero ad mensam caprulani Episcopatus vel modo, vel in futurum pertinentes sine licen-

tia vestra, vel successorum vestrorum non alienabo, nec impignabo, neque de novo infeudabo. Unde jurata voce dico, per sancta quatuor Evangelia & Crucem D. N. J. C. & corpora Sanctorum, quæ in suprascripta Ecclesia Gradensi requiescunt, quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum & honorem suprascriptæ sanctæ Gradensis Patriarchalis Ecclesiæ retinendum & vobis, vestrisque successoribus, & nunquam contra hanc promissionem obvius ero. Quod si quocunque tempore contra hanc promissionis cartam ire præsumpsero, tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi, ac distringendi, & hec promissionis carta, quam propria subscribendo manu, confirmavi, maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ.

✠ Ego Natalis Presbyter Electus Episcopus Caprulanæ Ecclesiæ manu propria subscribo.
✠ Ego Vitalis Presb. Caprulanus Canonicus tt. ss.
✠ Ego Angelus Presb. & Canon. Caprulan. tt. ss.

L. S. ..... Ecclesiæ S. Silvestri Presb. & Not. complevi, & roboravi.

Dominicus Silvus Episcopus Clugiensis jurat subjectionem Angelo Barotio Patriarchæ Gradensi.

G 2.

1235. 22. Septembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi Anno Domini 1235 die 8. exeunte mense Septemb. Indictione IX. Rivoalti. Presentibus Domino L. (a) Primicerio S. Marci & Pleb. S. Bartholomei, & S. Blasii, & Presb. Albertone, ac Stephano Diacono cappellanis D. Patriarchæ Gradensis, & aliis multis. D. Dominicus Silvus Dei gratia Clugien. Episcopus juravit fidelitatem in hac forma Dom. A. Dei gratia Sanctæ Gradensis Ecclesiæ, & Dalmatiæ Primati Ven. Patriarchæ. Ego Dominicus Silvius Clugien. Episc. ab hac hora in antea fidelis ero & obediens Sanctæ Matri meæ Gradensi Ecclesiæ Dominoque meo Angelo Barotio Dei gratia Patriarche Gradensi, ejusque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio, neque in facto, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione, consilium quod michi per se, aut per litteras manifestabunt ad eorum dampnum nulli pandam. Patriarchatus Gradensis Ecclesiæ & regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum salvo meo ordine contra omnes homines. Vocatus ad Sinodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione, ipsum Dominum meum & successores suos, & legatum sive missum eorum, quem certum legatum vel missum ipsorum esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Gradensem Ecclesiam in festivitate S. Hermachore singulis annis visitabo sine Dei impedimento, vel nisi eorum absolvar licentia. Censum quinque solidorum pro cathedratico singulis annis solvam juxta

(a) Leonardus Quirinus Primicerius Sancti Marci assumptus deinde ad Patriarchatum Gradensem.

ta morem antiquum. Hæc autem omnia prædicta bona fide observabo, sic Deus me adjuvet & hæc sacrosancta Dei Evangelia.

✠ Ego Dominicus Silvus Dei gratia Episcopus Clugiensis m. m. ss.
✠ Ego ..... Justinianus Diaconus & Canon. Clugien. tt.
✠ Ego Egidius Busso Diaconus & Canon. Clugiens. tt.

L. S. Ego Marcus Malcetius Diacon. & Not. hiis intersui & de mandato suprascripti D. Dominici Episcopi Clugiens. Scripsi, complevi & roboravi.

Wido Episcopus Clugiensis jurat fidelitatem Angelo Baroccio Patriarchæ Gradensi.

H 2.

1236. 11. Septembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto die undecimo intrante mensis Septembris Indictione decima in Monasterio S. Mariæ de Galiaca. Præsentibus D. Jo: Priore S. Mariæ de Caritate, Paulo Presb. Capellano D. Patriarchæ Gradensis, & Bartholomæo Clerico & aliis multis. D. Wido Dei gratia Clugiensis Episcopus promittens juravit fidelitatem in hac forma Domino A. Dei gratia Sanctæ Gradensis Ecclesiæ & Dalmatiæ Primati Ven. Patriarchæ. Ego Wido Clugiæ Episcopus ab hac ora in antea fidelis ero & obediens sanctæ matri meæ Gradensi Ecclesiæ Dominoque meo Angelo Baroccio Dei gratia Patriarchæ Gradensi, ejusque successoribus canonice intrantibus, non ero in conscilio neque in facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione conscilium, quod mihi per se, aut per litteras manifestabunt ad eorum dampnum nulli pandam Patriarchatum Gradensis Ecclesiæ & regulas Sanctorum patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum salvo modo ordine contra omnes homines vocatus ad synodum veniam nisi præpeditus fuero canonica præpeditione ipsum Dominum meum & successores suos, & legatum sive missum eorum, quem certum legatum, vel missum ipsorum esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Gradensem Ecclesiam in festivitate S. Hermacoræ singulis annis visitabo sine Dei impedimento, vel nisi eorum absolvar licentia. Censum quinque solidorum pro cathedratico singulis annis solvam juxta morem antiquum. Hæc autem omnia prædicta bona fide observabo sic Deus me adjuvet, & hæc sacrosancta Dei Evangelia.

✠ Ego Wido Dei gratia Episcopus Clugiensis m. m. ss.
✠ Ego Zacharias Canonicus Clugiensis & Plebanus Pelestrinæ Diaconus tt. ss.
✠ Ego Merlus Justinianus Diaconus & Canonicus Clugiensis tt. ss.

Ego Petrus Dasano Presb. & Not. prædictis omnibus intersui, & de mandato suprascripti D. Widonis Episcopi Clugiæ scripsi, complevi & roboravi.

An-

Angelus Baroccius Patriarcha Gradensis concedit Fr. Bellino Monasterium S. Georgii de Pineto,

12.

1236. 8. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto, octavo die intrante Augusti Indictione nona Rivoalti In presentia Dominici Plebani Sancti Blasii, & Presbyteri Albizoni, & Presbyteri Bonfilii capellanis Reverendissimi Patris Dom. Angeli Barocii Dei gratia Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarchæ; Dominus Angelus Dei gratia Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarcha, & Dalmatiæ Primas investivit Fratrem & Presbyter. Belinum & dedit ei parabolam intrandi in possessionem de Ecclesia, & Prioratu Ecclesiæ Sancti Georgii de Pineto cum omnibus possessionibus juribus & aquis, quæ sunt de jure & pertinentia dicti Monasterii, quæ habet tam in diocesi Equilina, quam in Pirano sive in loco qui dicitur Sancta Barbara apud territorium quod dicitur Cassinarum, que est in districtu Paduano; ut tam in Ecclesia supradicta, quam in omnibus prædictis possessionibus suis habeat plenam & liberam amministrationem tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Ipse vero prædictus Prior post investicionem juravit fidelitatem Dom. Patriarchæ & successoribus ejus sub hac forma. Ego Presbyter Belinus Prior Sancti Georgii de Pineto vobis Dom. Angelo Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarchæ & Dalmatiæ Primati, & successoribus vestris promitto esse fidelis, & obediens, & quod Sanctam Gradensem Ecclesiam singulis annis in festo Sanctorum Hermachoræ & Fortunati visitabo, nisi impeditus fuero justo impedimento, aut de licentia vestra data mihi remansero, aut Ecclesia vestra vacaverit, vos autem & nuncios vestros in eundo & redeundo promitto recipere decenter per meum possibile. Omnia supradicta observabo bona fide, sic Dominus me adjuvet & Sancta Dei Evangelia. Actum in Palacio Patriarchatus.

Ego Petrus Dafrinus Presb. & Not. prædictis interfui, & de mandato dicti D. Patriarche scripsi, complevi & roboravi.



Ven-

Vendraminus Plebanus S. Archidani de Constantinopoli jurat subjectionem Leonardo Quirino electo Patriarchæ Gradensi.

K 2.

1250. 28. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Æterni Amen Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo mensis Augusti die quarto exeunte Indictione octava Rivoalti, in presentia Thome Arimundo Primicerii Gradensis, & Leonardi Quirino de confinio S. Pauli, atque Johanis Gastaldii Dom. electi Gradensis, & aliis. Vendraminus Presb. & Plebanus Sancti Aquindani de Constantinopoli in scriptis sic juravit dicens: Ego Vendraminus Presb. & Plebanus S. Aquindani juro supra Sancta Dei Evangelia, quod fidelis ero vobis Dom. meo Leonardo Quirino Dei gratia Sanctæ Gradensis Ecclesiæ electo & Dalmatiæ Primati, & vestris successoribus canonice intrantibus omnibus diebus vitæ meæ, & ecclesiam prædictam Sancti Aquindani, quam mihi regendam commisistis ad honorem Gradensis Ecclesiæ & vestrum, vestrorumque successorum adjuvante Domino tractare curabo, hæc omnia attendam bona fide, sine fraude. Actum est hoc in Palacio Patriarchatus.

L. S. Ego Petrus Alberto S. Silvestri Presb. & Not. interfui, scripsi, complevi & roboravi.



L. Abbas S. Ilarii, ejusque Collega Deputati a Gerardo Tripolitano Episcopo Legato Apostolico citant L. electum Gradensem ad respondendum Plebano S. Silvestri super appellatione Decreti Patriarchalis.

L 2.

1251. 10. Martii.

Ex Autographo in Archivo S. Silvestri Venetiarum.

ANno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo indictione nona die veneris decimo intrante marcio. In presentia horum testium rogatorum, videlicet Benicognuti de ca contarino, Davidis tergitatoris, Zordani filii grarlanti de torcello & aliorum. In Venetiis in Patriarchatu in quodam camerino. Henricus Contarenus Plebanus Ecclesiæ S. Silvestri presentavit, & dedit Domino L. Dei gratia Electo Gradensi litteras sigillatas sigillis cereis Domini L. Abbatis Sanctorum Yllarii & Benedicti Castellane Diocesis & Magistri Manfredini canonici torcellani, & ex parte ipsorum hunc tenorem habentes. Venerabili in Christo Patri & D. L. Dei gratia Gradensi Electo. L. Abbas Sanctorum Yllarii & benedicti Castellane Diocesis, & Magister Manfredinus canonicus tarvisinus reverentiam cum salute. Noverit vestra paternitas reve-

renda nos a Domino G. de Monte Longo Tripolitano electo Apostolicæ Sedis legato (a) hujus tenoris litteras recepisse. G. de Monte Longo Dei & Apostolica gratia tripolitanus electus apostolice Sedis legatus Viro Religioso.. Abbati Sanctorum Yllarii & benedicti Castellane Diocesis & dilectis filiis Marco Presbytero Castellano & Magistro Manfredo Torcellano Canonicis salutem in Domino. Sua nobis plebanus Ecclesie S. Silvestri insinuatione monstravit, quod licet Ven. in Christo Pater Gradensis electus ei sine rationali causa preceperit, ut quosdam palos in terra quadam ad ipsam Ecclesiam pertinente per eum positos removeri faceret, & insuper poni in arcu positos super quadam terra ipsius ecclesie quosdam trabes, quos inde pro utilitate ipsius fecerat amoveri, idem tamen metuens ne hac occasione ipsi ecclesie prejudicium proveniret, & prefatus electus malitiose procederet, contra eum ad nostram duxit audientiam appellandum. Quo circa discretioni vestre, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam & fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint cogatis per censuram ecclesiasticam veritati testimonium perhibere quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse duo vestrum, ea nihilominus exequantur. Datum Ferrarie IIII. Nonas Marcii. Verum, quia sicut publicum est & notorium, quod dictus noster tercius conjudex est absens ita quod cognitioni hujus cause ad presens interesse non potest, & dicti Domini legati mandatum nos exequi oporteat, ut tenemur vobis qua fungimur auctoritate in hac parte, ut cum reverentia vestri loquamur precipiendo mandamus quatenus decima die inclusive ab harum presentatione coram nobis in claustro Sancti Gregorii per vos, vel sufficientem nuntium comparere velitis dicto plebano plenarie responsuri & dicturi, si quid volueritis contra ipsum, quem terminum pro tribus edittis, & uno termino peremptorie, ut parcatur partium laboribus & expensis vobis duximus statuendum, alioquin in ipsa causa procedemus justicia mediante, & si terminus in diem occurrerit feriatam sequenti die pre feriata sit terminus ipse statutus. Quas litteras dictus plebanus posuit super lecto, in quo jacebat dictus Dom. Electus coram eo.

Ego Albertus Gaja sacrii palacii notarius interfui, & rogatus scripsi.

(a) Gerardus de Monte Longo Tripolitanus Episcopus translatus postea fuit ad Ecclesiam Patriarchalem Aquilejensem. De eo Ughell. Tom. V. in Patr. Aquilejens. & in hujus operis decade 2. pag. 192.



Pascha-

Paschalis Bollani promittit censum Jacobo Belligno electo Patriarchæ Gradensi pro quadam terra posita in Constantinopoli.
M 2.

1255. 7. Martii.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1255. Die 7. intrante Mensis Marcii Indictione XIII. Constantinopoli. Promittens promitto Ego Pascalis Bollani habitator in Constantinopoli cum meis heredibus, vobis Jacobo Belligno Archidiacono, qui electus estis in Patriarcham Gradensem, & Capitulo Gradensis Ecclesiæ, quod debeam per me, vel per meum missum dare & deliberare nuncio, vel procuratori vestro hic in Constantinopoli per singulos annos usque ad viginti novem annos sex yperpera perfecti ponderis, medietatem scilicet in singulis Kalendis Marcii, & reliquam medietatem in singulis Kalendis Septembris excepto incendio & publica violentia secundum hujus Civitatis consuetudinem pro illa videlicet pecia de terra, quæ est extra murum Civitatis Constantinopoli in pertinentiis de prima; & firmat uno capite in scala majore, & alio firmat in via publica; uno latere firmat in via, que discurrit ad mare, & alio firmat in edificio Demetrii Sulimani, & habet per suam longitudinem pedes triginta duos, & per latitudinem pedes quindecim, quam mihi dedit & concessit D. Henricus Archipresbyter Gradens. Ecclesiæ per virtutem & potestatem unius commissionis cartæ factæ anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1253. mense Septembris die quarto intrante Indictione duodecima Rivoalti, usque ad suprascriptum terminum secundum tenorem unius concessionis cartæ, quam ipse michi fecit hic in Constantinopoli hoc suprascripto anno & mense die sexto intrante Indictione suprascripta & cetera, ut in ea legitur. Finito vero suprascripto termino Ego vel mei heredes promissionis cartam similem huic in omnibus facere & dare debeam hic in Constantinopoli nuncio, vel curatori vestro omni occasione remota. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptavero, tunc emendare debeam cum meis heredibus vobis, & vestris successoribus auri libras quinque, & hæc promissionis carta in sua permaneat firmitate.

✠ Ego Pasqualis Bollani m. m. ss.
✠ Ego Filippus Bennato tt. ss.
✠ Ego Leonardus Feolo tt. ss.

L.S. Ego Michael Adamo S. Cassiani Presb. & Not. complevi, & roberavi.

Nicolaus Baseglo promittit Jacobo Belligno electo Patriarchæ Gradensi censum pro quadam terra posita in Constantinopoli.

N. 2.

1255. 13. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto die terciodecimo intrante mensis Aprilis Indictione terciadecima Constantinopoli. Promittens promitto Ego Nicolaus Baseglo habitator in Constantinopoli cum meis heredibus vobis Jacobo Belligno, qui electus estis in Patriarcham Gradensem, & Capitulo Gradensis Ecclesiæ, quod debeam per me, vel per meum missum dare & deliberare procuratori vestro hic in Constantinopoli per singulos annos yperpera auri recti ponderis sex, medietatem scilicet in singulis Kalendis mensis Marcii, & reliquam medietatem in singulis Kalendis Mensis Septembris, excepto incendio & publica violentia secundum hujus Civitatis consuetudinem, pro una videlicet pecia de terra, quæ est de jure Patriarchatus Gradensis, quæ firmat uno capite in via publica, & alio suo capite firmat in terra vacua, que discurrit super mare. Uno suo latere firmat in edificio heredum Stephani de tumba, & alio suo latere firmat in edificio Demetrii Sisulimani Monovasioti, & est posita extra murum Civitatis, quam mihi dedit & concessit Dom. Henricus Archipresb. Gradensis Ecclesiæ per virtutem & potestatem unius commissionis cartæ factæ anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi 1253. Mense Septembris die quinto intrante Indictione XII. Rivoalti usque ad suprascriptum terminum secundum tenorem unius concessionis factæ hoc suprascripto anno die sexto intrante mense Marcii Indictione suprascripta Constantinopoli, & cetera, ut in ea plenius continetur. Finito vero suprascripto termino Ego vel heredes mei, sive illi, quibus interim concessero, similem huic in omnibus promissionis cartam vestro nuncio, vel procuratori, qui tunc erit facere & renovare debeamus omni occasione remota. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptavero, tunc emendare debeam cum meis heredibus vobis, & vestris successoribus auri libras quinque, & hæc promissionis carta in sua permaneat firmitate. Signum suprascripti Nicolai Baseglo, qui hec rogavit fieri.

✠ Ego Angelus Stenus tt. ss.
✠ Ego Andreas Adamo tt. ss.

L.S. Ego Michael Adamo S. Cassiani Presb. & Not. complevi & roboravi.

Pascha-

Pascalis & Johannes Bernardo promittunt censum pro terra posita in Constantinopoli Jacobo Belligno Electo Patriarchæ Gradensi.

O 2.

1255. 7. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Æterni Amen Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi 1255. die 7. intrante mensis Junii Indictione XIII. Constantinopoli. Promittentes promittimus Nos Paschalis & Johannes Bernardo ambo fratres habitatores in Constantinopoli cum nostris heredibus vobis Dom. Jacobo Belligno, qui electus estis in Patriarcham Gradensem, & Capitulo Gradensis Ecclesiæ, quod debeamus per nos, vel per nostrum missum dare & deliberare vobis, vel vestro misso hic in Constantinopoli procuratori vestro yperpera auri recti ponderis sex per singulos annos usque ad vigintinovem annos; medietatem scilicet in singulis Kalendis Marcii, & reliquam medietatem in singulis Kalendis Septembris excepto incendio & publica violentia secundum hujus civitatis consuetudinem pro illa, vid. pecia de terra extra murum Constantinopoli posita, que firmat uno capite in via publica & alio firmat in terra, que discurrit super stane. Uno suo latere firmat in ædificio Johannis Ferro, & alio firmat in edificio Vitalis Bugari, quam utique terram nobis dedit & concessit Dominus Henricus Archipresbiter Gradensis Ecclesiæ per virtutem & potestatem unius commissionis carte facte Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi 1253. Mensis Septembris die 4. intrante Indictione XII. Rivoalti secundum tenorem unius concessionis carte, quam ipse nobis fecit hoc eodem anno die 6. intrante mensis Marcii Indictione suprascripta Constantinopoli &c. ut in ea plenius continetur. Finito vero suprascripto termino Nos vel heredes nostri similem promissionis cartam in omnibus procuratori Vestro, qui tunc erit renovare & dare debeamus omni occasione remota. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptaverimus, tunc emendare debeamus cum nostris heredibus vobis, & vestris successoribus auri libras quinque, & hec promissionis carta in sua permaneat firmitate. Signum suprascriptorum Paschalis & Johannis, qui hæc rogaverunt fieri.

✠ Ego Andreas .... tt. ss.
✠ Ego Stephanus Comen tt. ss.

L.S. Ego Michael Adamo Sancti Cassiani Presb. & Not. complevi, & roboravi.

Hen-

Henricus Episcopus Clugiensis jurat fidelitatem Laurentio Patriarchæ Gradensi.

P 2.

1290. .....

Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi Nomine Amen. Anno ejusdem MCCXC. Indictione tertia die Dominico xxiv. Mensis .... Promittens promitto ego quidem Fr. Henricus Dei & Apostolica gratia Ecclesiæ Clugiensis Episcopus tibi Domino meo Laurentio Dei gratia Venerabili Sanctæ Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ Patriarchæ Dalmatiæque Primati, & vestris successoribus, ut amodo in antea semper & ubique fidelis ero Sanctæ Matri meæ Gradensi Ecclesiæ, & vobis vestrisque successoribus, & Ecclesiæ, cui præesse debeo .... & ibi præsidentium Pontificum nunquam subtrahere debeam, sed juste & recte secundum meam conscientiam regere debeam. Promitto etiam, ut per annorum curricula .... in festo S. Hermagore & ad vestram Synodum quandocunque mihi mandatum direxeritis occurrere .... Episcopi sine impedimento Dei, aut vestra licentia, possessiones vero ad mensam Episcopalem pertinentes non vendam, neque donabo, neque pignori obligabo, neque de novo infeudabo, vel alio quocunque modo ...... unumquemque annum supradictæ Sanctæ Matri Gradensi Ecclesiæ & vobis, vestrisque successoribus ...... denariorum parvorum quinque secundum antiqua statuta sine omni occasione. Receptionem vestram, vestrorumque missorum honorifice tractare promitto semper in eundo & redeundo. Item promitto, ut in omni obedientia juxta normam canonicam & sinuationem vestri magisterii vobis paratus esse debeam, sicut decet sancto patri & nostro Patriarchæ. Ecclesiæ etiam S. Matthæi Evangelistæ positæ in nostra Diocesi .... quæ est proprietas nostræ Matris Gradensis Ecclesiæ nullam vim facere, inferre ..... ei expectere. Appellationes reverenter suscipiam ..... inobedientes puniendo, vel obedientes absolvendo secundum justiciam, secreta quæ mihi celanda commiseritis nulli pandam, nisi ad utilitatem vestram. Statum etiam & honorem Sanctæ Gradensis Ecclesiæ integre retinere, & juvare ad retinendum pro posse meo promitto. Et nullum præjudicium, aut injustitiam contra suprascriptam nostram Sanctam Matrem Gradensem Ecclesiam, aut contra vos, vel successores vestros facere præsumam. Unde viva voce juro, & promitto per sancta Dei quatuor Evangelia, & Crucem Domini nostri Jesu Christi, & corpora Sanctorum, qui in Ecclesia Gradensi requiescunt, quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ... suprascriptæ sanctæ Gradensi Ecclesiæ Patriarchali retinendum & vobis, vestrisque successoribus, & nunquam contra hanc promissionis cartam obvius ero, quod si quocunque tempore contra hujusmodi cartam ire præsumpsero, tunc potestas vobis maneat me vobis transgressorem, ac reum perjurii canonice judicandi, ac distringendi, & hæc promissionis carta, quam propria subscribendo manu firmavi, maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ. Actum Venetiis in Ecclesia S. Sylvestri Presentibus Ven. Patre D. Fr. Guilelmo Dei gratia Episcopo Equilino (*a*) Ven. Patre D. Fr. Augustino Episcopo Civitatis novæ Ven. Patre D. Nicolao Dei gratia ..... testibus vocatis & rogatis.

(*a*) De his Episcopis Vide Tom. X. Italiæ Sacræ.

Lau-

Laurentius Patriarcha Gradensis locat Vitali Grita quasdam aquas sui juris positas in Diœcesi Equilina.

Q 2.

1292. 3. Maii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi Nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo Indictione Quinta die Sabati tercio intrante mense Maii Veneciis in palatio Patriarchali Gradensi. Presentibus Fratre Egidio Parmen. de ordine Fratrum humiliatorum, Magistro Rodulfo Parmensi familiaribus Dom. Patriarchæ Gradensis, & aliis. Ven. Pater Dom. Frater Laurencius Dei, & Apostolica gratia Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarcha. Dalmaciæque Primas per se, & suos subcessores dedit, concessit, & locavit afictum Dom. Vitali Grita de confinio S. Nicolai de Mendicolis de Veneciis quasdam aquas sui juris, que vocantur Mergonus sitas in Diocesi Equilina quantecunque sint in hac concessione permaneant, & consistant nominatim ad fictum eidem reddendum & prestandum de cetero annuatim infra festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi hinc ad quatuor annos proximos duo paria bonorum avium, & amodo dictus Dom. Vitalis Grita & ejus heredes, & cui dederit has teneat, & possideat predictas aquas qualiter superius legitur, ex eis faciat una cum acessibus & ingressibus cum superioribus & inferioribus suis, cum omni jure, actione, & racione, usu, consuetudine, & cunctaque utilitate ipsarum aquarum per totum quicquid voluerit salvo dicto ficto faciat sine alicujus contradicione prædicti locatoris, & ejus subcessorum ei dedit, cessit, atque mandavit omnia sua jura directa, & utilia, realia & personalia competentia, & competitura in dictis aquis salvo dicto ficto, seu nomine, vel occasione ejusdem constituendo ipsum Procuratorem, ut in rem suam, & se possessorem pro eo, & ejus nomine dando sibi licentiam, & potestatem Intrandi in tenutam, & corporalem possessionem de ipsis aquis sua auctoritate & standi salvo dicto ficto. Qui aquisitor promittit eidem locatori dare, & solvere, & prestare de cetero annuatim hinc ad quatuor annos proximos dictum fictum in termino suprascripto, cum omnibus dampnis, & expensis, & interesse factis & habitis pro predicto ficto recuperando sub pena dupli. Promittens eciam non petere libellum, nec exemplum cartæ, nec oponet aliquam exceptionem, vel defensionem nocitivam huic contratui. & quod non pacietur litem contestari, sed condempnaciones recipiet ad voluntatem ipsius locatoris in pena & sub pena decem librarum parvorum.

L. S. Ego Petrus Rabolinus Parmensis Imperiali auctoritate Not. hiis omnibus presens interfui, & ea rogatus scripsi, complevi & roboravi.

Lau-

Laurentius Patriarcha Gradensis absolvit ab excommunicatione Fr. Gulielmum Episcopum Equilinum, qua tenebatur ob inobedientiam.

R 2.

1294. 20. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi Nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis 1294. Indictione VII. die Sabbati 20. intrante mense marcii Veneciis in palacio Patriarchali Gradensi. Presentibus Venerabil. Patre D. Fratre Augustino Dei gratia Episcopo Civitatis Nove, Domino Jacobo Gausono Archidiacono Castellano, Fratre Florio de Verona Priore Conventus Fratrum Prædicatorum de Veneciis, Fratre Rustigello de Padua de ordine Fratrum Prædicatorum, & aliis testibus rogatis, Venerabil. Pater Dominus Frater Guilielmus Dei gratia Episcopus Equilinus coram Venerabili Patre Domino Fratre Laurentio Dei & Apostolica gratia Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarcha Dalmacieque Primate personaliter constitutus, humiliter & devote peciit ab ipso Domino Patriarcha se absolvi ab excommunicationis vinculo, quo tenebatur astrictus propter suam contumaciam, inobedientiam & contemptum pro eo quod legitime monitus, ut infra certum tempus sibi statutum per ipsum Dominum Patriarcham ad Ecclesiam suam deberet accedere, pro residentia ibidem secundum quod jura vellent & decernerent facienda facere hoc contempsit, & pro eo eciam, quod a presentia ipsius Domini recessit, & se contumaciter absentavit. Qui Dom. Patriarcha recepto prius ab ipso Dom. Episcopo juramento, & prestito corporaliter tactis sacris scripturis de stando super predictis mandatis Ecclesiæ, ac ejusdem Dom. Patriarche juxta formam ecclesiæ ipsum Episcopum a dictæ excommunicationis vinculo absolvit, & restituit communioni fidelium, & Ecclesiasticis Sacramentis Patriarchæ.

L.S. Ego Petrus Rabolinus Parmensis Imperiali auctoritate Notarius hiis omnibus presens interfui & eis rogatus scripsi.



Boni-

Bonifatius VIII. eximit Palatium Patriarchale Gradense ab omni subjectione Episcopi Castellani.

S 2.

1299. 16. Novembris.

Ex Archivo Patriarchali.

HOC est exemplum seu transumptum cujusdam privilegii, seu quarumdam litterarum Apostolicarum bulla plumbea more Romanæ Curiæ ad cordulam serici pendentis munitarum, non viciatarum, non abrasarum, non corruptarum, nec in aliqua sui parte suspectarum, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentium, quarum tenor infra per omnia talis est. Bonifacius Episcopus servus servorum Dei Ven. Fratri Ægidio Patriarchæ Gradensi salutem, & apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur, & congruum, Ut apostolica Sedes, cujus nobile membrum existis, te, ac Gradensem Ecclesiam condignis attollat honoribus, & favoribus muniat opportunis. Ex tenore siquidem tuæ peticionis accepimus, quod Gradensis Civitas non est locus adeo ydoneus & insignis, quod Patriarchæ Gradenses, qui sunt pro tempore, ibi valeant residere decenter, & ea quæ ad ipsorum spectare noscuntur officium exercere. Propter quod in palacio, quod eadem ecclesia in Venetiis Castellanæ Diocesis tuæ Provinciæ obtinet, ut plurimum commorantur. Nos autem tibi & eidem Ecclesiæ specialem in hac parte gratiam facere intendentes, tuis supplicationibus inclinati, palacium ipsum cum omnibus pertinentiis suis ab omni jurisdictione & potestate Ven. Fratris Nostri Episcopi Castellani suffraganei tui Apostolica auctoritate prorsus eximimus, & Patriarchali Sedi Gradensi nullo subicimus mediante auctoritate predicta tibi, tuisque successoribus concedentes, ut in eodem pallacio, tu & successores prædicti, nec non tui & ipsorum successorum officiales, possitis publice pro tribunali sedere, causas quarum cognitio, & decisio ad Sedem pertinent supradictam audire, & etiam terminare, & omnia alia, quæ ad tuum & successorum eorumdem spectant oficium libere exercere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis subjectionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XVII. Kalendas Decembris Pontificatus Nostri anno quinto.

In Christi Nomine Amen Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo sesagesimo quarto. Indictione secunda die vigesimo septimo mensis Aprilis Venetiis in Patriarchali palacio Gradensi presentibus providis Viris Nicolao Verde de Veneciis, & Angelo de Eugubio notariis publicis infrascriptis, & Venerabilibus Viris Dom. Marino Michaele Canonico Ravenens. Presbitero Theodoro Plebano Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Muriano Torcellanæ Diocesis, Presbitero Lodoyco Sancti Felicis de Venetiis Castellanæ Diocesis, & aliis pluribus testibus vocatis specialiter & rogatis. Hoc exemplum seu transumptum sumptum ex dictis papalibus originalibus litteris, seu privilegio antedictis veris bullis plumbeis more Romanæ Curiæ bullatis, coram Venerabili Viro Dom. Johane de Civitate Belluni Canonico Bellunensi licentiato in jure canonico Reverendissimi in Christo Patris & Domini Dom. Ursi permissione divina Patriarchæ Gradensis, Veneciis, Dalmaciæque Primatis, Vicario generali in dicto Patriarchali pallacio ad bancum juris solitum pro tribunali seden-

sedente insinuatum fuit, & in ejus presencia per me ipsum notarium, & infrascriptos Angelum, & Nicholaum notarios cum ipsis autenticis litteris asscultatum. Et cum idem Dom. Vicarius cognoverit illud cum ipsis autenticis per ordinem concordare, ut adhibeatur eidem exemplo velut dictis originalibus & autenticis litteris de cetero plena fides, suam auctoritatem ordinariam interposuit, & decretum mandans illud sui Vicariatus sigilli appensione muniri, & dictis infrascriptis Angelo & Nicolao Notariis, ut eidem exemplo, seu transumpto se subscribant.

L.S. Et Ego Nicolaus Verde de Veneciis Castellanæ Diocesis publicus imperiali auctoritate Notarius presens exemplum, seu transumptum una cum infrascriptis Notariis, scilicet Angelo, & Bartholomeo, ex autenticis litteris suprascriptis vera bulla plumbea more Romanæ Curiæ bullatis coram prefato D. Johane Vicario diligenter & fideliter abscultavi, & quia utrumque concordare inveni, de ipsius D. Vicarii mandato ad ejusdem exempli plenam fidem, & testimonium me subscripsi, signoque meo consueto signavi.

L.S. Et Ego Angelus condam Lucæ de Eugubio Clericus Tervisinus publicus apostolica, & imperiali auctoritate Notarius, & Patriarchalis Curiæ Gradensis scriba præsens exemplum, seu transumptum una cum prescripto Nicolao, & infrascripto Bartholomeo notariis ex autenticis litteris suprascriptis vera bulla plumbea more Romanæ Curiæ bullatis coram prefato D. Johane Vicario diligenter & fideliter auscultavi, & quia utrumque concordare inveni, de ipsius Dom. Vicarii mandato ad ejusdem exemplum plenam fidem, & testimonium, me subscripsi, signoque meo consueto signavi.

L.S. Et Ego Bartholomeus de Ferraris de Parma publicus imperiali auctoritate Notarius, atque scriba Curiæ Patriarchalis Gradensis hoc exemplum seu transumptum, ex autenticis papalibus litteris supradictis vera bulla plumbea more Romanæ Curiæ bullatis fideliter sumpsi, & mea manu scripsi, & postmodum in presencia dicti Dom. Vicarii una cum suprascriptis Nicolao Verde, & Angelo Notariis diligenter & fideliter cum ipsi autenticis papalibus litteris supradictis ascultavi, & quia dictum exemplum, seu transumptum cum dictis autenticis papalibus litteris concordare inveni de verbo ad verbum, ut eidem exemplo, seu transumpto adhibeatur de cetero plena fides, velut eisdem papalibus litteris de ipsius Dom. Vicarii mandato in ejusdem exempli, seu transumpti testimonium cum signo meo solito me subscripsi in robore & fide omnium premissorum, & sigilli Vicariatus ejusdem D. Vicarii appensione munivi.



Egidio

Egidio Patriarchæ Gradensi Marcus Dandulo restituit littora posita inter Caprulum, & Gradum statuto vitalitio censu.
T 2.

1300. 6. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo trecentesimo Indictione tertiadecima die sexto intrante mense Junii. Presentibus Domino Presbitero Semblante Ecclesiæ Sancti Silvestri, Raynerio de Bononia Notario, Presbitero Luciano Ecclesiæ Sancti Jacobi de Luprio, Johane de Boatheis de Ferraria, & aliis testibus ad hoc vocatis specialiter & rogatis. In presentia Venerabilis ac Reverendissimi in Christo Patris Dom. Fratris Egidii miseratione divina Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarchæ, Dalmatiæque Primatis. Nobilis & discretus Vir Dom. Marcus Dandulo filius olim Dom. Johannis Danduli incliti Ducis Veneciarum per se, suosque heredes, ac successores de certa scientia, & quieto animo non per errorem, vel metum, sed pure, libere, simpliciter & irrevocabiliter, cessit, resignavit, restituit, ac penitus refutavit in manibus & coram predicto Venerabili Patriarcha omnia & singula littora, quæ sunt tota inter Caprulium & Gradum quæ quidem littora affictavit ipse Dominus Marcus Dandulo pro decem soldis & grossis annuatim Symeoni Venero de Capruleo & fratribus suis spectantia & pertinentia cum omnibus & singulis juribus spectantibus & pertinentibus prædictæ Gradensi Ecclesiæ, eidemque Dom. Patriarchæ, quæ litora sepedicta dictus Johannes Dandulo pater dicti D. Marci, antequam esset Dux Veneciarum, per Magnum Episcopum tenuerat, & hoc tantum nomine affictationis, sive concessionis ad tempus a Patriarchis, qui fuerunt temporibus illis, & ipse D. Marcus eodem modo tenuit dicta littora a quatuor Patriarchis, videlicet Domino Johanne de Ancona, Domino Fratre Guidone, Domino Fratre Laurentio, ac Domino Fratre Egidio supradicto nomine affictationis & pensionis, pro quibus tenebatur dare dicto Domino Patriarchæ de quinquennio in quinquennium unum falconem pro affictu & pensione. Resignavit igitur predictus Dominus Marcus & restituit supradicta littora coram prelibato Domino Patriarcha promittens per se, suosque heredes ac successores predicto Venerabili Patri, ac successoribus suis in perpetuum de non petendo causa, modo aliquo, vel ingenio littora supradicta. Sed renuntians omnibus & singulis supradictis promisit stipulacione sollempni predicta omnia & singula firma, & rata habere perpetuo, ac tenere, ut dicta sunt superius, nec contra ea, vel aliquod eorum per se, vel per alium aliquando facere, vel venire, seu aliquod attentare exceptione aliqua, seu causa sub pena & obligatione.....

Qua Pena vero soluta, vel non, nichilominus premissa in sua permaneant firmitate. Quibus predictis renunciatione, cessione, restitutione, ac refutatione, sic benigne libere & irrevocabiliter factis, Ipse Dominus Patriarcha consideratis beneficiis, & favoribus, quæ & quos prestitit pater ipsius Domini Marci Dandulo Gradensi Ecclesiæ, & ipse Dominus Marcus inposterum paratus est exhibere promisit, & se obligavit dare sepedicto Domino Marco Dandulo in vita sua tantum annuatim in festo Resurrectionis Domini

ni ante, vel post per octo dies solidos denariorum Venetorum grossorum duodecim. Si eosdem voluerit postulare. Actum Venetiis in Patriarchali Palatio Gradensi.

Ego Nicolaus Pleb. Umagi Imperiali auctoritate ac Gradensis Curiæ publicus Not. his omnibus, & singulis interfui rogatus scripsi, & roboravi.

Robertus electus Clugiæ Episcopus jurat subjectionem Egidio Patriarchæ Gradensi.

V 2.

1303. xv. Februarii.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativit. 1303. Indictione prima die xv. mensis Februarii presentibus Dom. Fratribus Florio Priori S. Johannis & Pauli de Venet. Nicolino Berardo de Urbino, Philippino de Ferino Ordinis Prædicat. Presbitero Semblante S. Silvestri de Venetiis, & D. Petro D. Guilli de Ferraria, & aliis. Promittens promitto ego quidem Frater Robertus (a) Dei & apostolica gratia Ecclesiæ Clugiensis Episcopus vobis namque Dom. Fratri Egidio Dei gratia venerabili Sanctæ Metropolitanæ Gradensis Ecclesiæ, dignissimo Patriarchæ Dalmatiæque Primati, & vestris successoribus, ut amodo in antea semper, & fidelis ubique esse debeam Sanctæ Matri meæ Gradensi Ecclesiæ, & vobis vestrisque successoribus, & Ecclesiæ, cui preesse debeo, de jure Sanctæ Gradensis Ecclesiæ & ibi præsidentium Pontificum nunquam subtrahere debeam, sed juste & honeste Deo juvante juxta meam conscientiam regere debeam. promitto etiam, ut per annorum curricula omni anno in festivitate Sanctorum Hermacore & Fortunati, & ad vestram Synodum quandocunque mihi in mandatum direxeritis, occurrere debeam, sicut ceteri confratres Episcopi sine impedimento Dei, & vestra licentia, possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes, non vendam, nec donabo, nec pignori obligabo, neque de novo infeudabo, vel alio modo alienabo. Promitto etiam per unumquemque annum supradictæ Sanctæ Matri Gradensi Ecclesiæ, & vobis vestrisque successoribus persolvere pro Cathedratico solidos denariorum parvorum quinque secundum antiqua statuta, sine omni occasione. Receptationem vestram, vestrorumque missorum honorifice tractare promitto, semper in eundo, & redeundo. Item promitto, ut in omni obedientia juxta normam canonicam, & sinuationem vestri magisterii vobis paratus esse debeam, sicut decet sancto Patri & nostro Patriarchæ. Ecclesiæ etiam S. Mathæi Evangelistæ positæ in nostra Diocesi videlicet in Clugia minore quæ est proprietas nostræ matris Gradensis Ecclesiæ nullam vim facere, inferre debeam, neque aliquam pro debito subjectionem ei expetere. Appellationes reverenter suscipiam, & servabo, & quas statueritis personas inobedientes puniendo, vel obedientes absolvendo observari faciam. Consilia, quæ mihi celanda commiseritis, nulli pandam, nisi ad utilitatem vestram. Statum etiam & honorem Sanctæ Gradensis Ecclesiæ integre retinere, & juvare ad retinendum pro posse meo pro-

(a) Robertus ex Ordinis Heremitarum S. Augustini alumno Episcopus Clugiensis electus a Bonifacio VIII. 1302. Kal. Oct. *Ughell. T. V. Edit. Ven. col.* 1351.

promitto, & nullum prejuditium aut injustitiam contra supradictam nostram matrem Gradensem Ecclesiam, vel contra vos, vel vestros successores facere presumam. Unde viva voce juro ad Sancta Dei Quatuor Evangelia, & Crucem D. N. J. C. & corpora Sanctorum suprascripta, quæ in Ecclesia Gradensi requiescunt, quod fidelis & obediens ero omnibus diebus vitæ meæ ad statum & honorem supradictæ sanctæ Gradensis Ecclesiæ patriarchalis retinendum & vobis, vestrisque successoribus, & nunquam contra hanc promissionis cartam obvius ero, quod si quocunque tempore contra hanc cartam ire presumpsero, tunc potestas vobis maneat me velut transgressorem ac reum perjurii canonice judicandi, ac distringendi, & hæc prmissionis carta, quam propria subscribendo manu firmavi, maneat in sua firmitate omnibus diebus vitæ meæ. Actum Veneciis in Patriarchali Palatio Gradensi.

L.S. Ego Johannes de Bonateriis de mandato Notarius publicus Imperiali auctoritate prædictis omnibus interfui, & tunc dicti Dom. Patriarchæ Scriba, & rogatus scribere scripsi.

Fr. Zaninus Zane Episcopus Caprulanus jurat subjectionem Fr. Egidio Patriarchæ Gradensi.

X 2.

Sine data .... circa annum 1318.

Ex Archivo Patriarchali.

EGO Fr. Zaninus Zane Caprulanus Episcopus promitto, quod ab hac hora in antea fidelis ero, & obediens Sanctæ Matri meæ Ecclesiæ Gradensi, ac vobis meo D. Fr. Egidio permissione divina ipsius Ecclesiæ Patriarchæ, vestrisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdatis, aut membrum, aut captus sitis mala captione. Consilium quod mihi per se, aut per litteras sive per nuncium manifestabitur ad eorum damnum nulli pandam. Patriarchatum & regulas Sanctorum Patrum adjuvabo ad deffendendum, & retinendum contra omnes homines salvo meo ordine, vocatus ad concilium, vel ad capitulum vestrum veniam, nisi fuero prepeditus canonica prepeditione, vel vestra vestrorumque successorum absolvar licentia. Legatum seu nuncios vestros, quo certos esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Gradensem Ecclesiam in festivitate SS. MM. Hermacoræ & Fortunati singulis annis visitabo sine Dei impedimento. Et quod omnes appellationes qu.... de cetero super aliqua causa, vel causis, quæ a presentia mea ad audientiam vestram, vestrorumque successorum factæ fuerint, juxta Lateranensis Concilii statuta suscipiam, & negotia super quibus appellatum fuerit, ad vos transmittam, & quicquid exinde statueritis definiendo ipsas causas, vel inobedientes personas puniendo .... observabo. Censum quinque solidorum pro cathedratico singulis annis solvam juxta morem antiquum. Possessiones & bona immobilia pertinentes, & pertinentia ad mensam Episcopalem non alienabo, nec de novo infeudabo, vel impignorabo per me, vel per alium, & hæc omnia oservabo bona fide sine fraude ad Sancta Dei Evangelia.

Fra-

Frater Frigdianus Episcopus Civitatis Novæ jurat subjectionem Dominico Patriarchæ Gradensi.

Y 2.

1329. 2. Julii.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

IN Christi nomine amen Ven. in Christo Pater D. Frater Frigdianus Dei, & Apostolica gratia Episcopus Civitatis Novæ constitutus coram Ven. in Christo Patre D. Dominico miseracione divina Sanctæ Gradensis Ecclesiæ Patriarcha Venetiarum Dalmaciæque Primate juravit in hac forma. Ego Frater Frigdianus Dei, & apostolica gratia Episcopus Civitatis Novæ promitto ab hac hora in antea, quod fidelis ero & obediens Sanctæ matri meæ Ecclesiæ Gradensi, ac Domino meo Dominico Dei gratia Patriarchæ Gradensi, Veneciarum, Dalmaciæque Primati, suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione; consilium vero, quod mihi credituri sunt, aut manifestabunt per se, aut per nuncios, seu per litteras ad eorum dampnum nemini pandam, Patriarchatum Gradensis Ecclesiæ & regulas Sanctorum Patrum adjuctor ero ad defendendum contra omnes homines salvo ordine meo, ipsum D. Patriarcham & successores suos & legatum sive nuncios eorum, quem certum legatum, vel nuncios eorum esse cognovero; in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo; vocatus ad Synodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Gradensem Ecclesiam in festivitate SS. Martirum Hermacoræ & Fortunati singulis annis visitabo, sine Dei impedimento, vel nisi eorum absoluta licentia appellationibus quæ a presentia mea ad audienciam ipsorum factæ fuerunt deferam juxsta constitucionem a D. Inocentio III. editam in Concilio generali. Possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo. Censum vero quinque solidorum pro Cathedratico singulis annis solvam juxta morem antiquum. Hec autem prædicta bona fide observabo; sic Deus me adjuvet, & hæc sacrosancta Dei Evangelia. Actum Veneciis in Patriarchali palacio in capella omnium Sanctorum ante altare 1329. Indictione XII. die secundo mensis Julii. Presentibus Presb. Paulo de ...... Capellano dicti D. Patriarchæ, & Magistro Gerardo de Bocha.... Not. Curiæ Gradens. testibus & aliis.

L.S. Ego Nicolaus de Ripa filius q. Dom. Jacobi de Ripa de Venet. Imperiali auctoritate Not. & prædicti Dom. Patriarche Scriba prædictis omnibus interfui, & rogatus scripsi, & in hanc formam publicam redegi, meoque solito signo signavi.

Domi-

Dominicus Patriarcha Gradensis, & alii Episcopi ad Synodum Gradi convocati elargiuntur Indulgentias erogantibus eleemosinam ad constructionem Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ prope Valvasonum in Diœcesi Concordiensi.

Z 2.

1330. 15. Julii.

Ex Autographo in Archivo S. Mariæ Servorum de Venetiis.

DIvina miseratione Dominicus Sanctæ Sedis Gradensis Patriarcha Venetiarum Dalmaciæque Primas, Frater Bartholomæus Torcellanus, Petrus Equilinus, Andreas Clugiensis, Georgius Arbensis, Lompradius Veglensis, Angelus Castellanus, Frater Fridianus Civitatis Novæ Ecclesiarum Episcopi. Universis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam. Omnipotens Deus, cujus munere venit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur de suæ pietatis abundantia, quæ supplicum excedit merita, & vota, humiliter servientibus multo majora tribuit, quam valeant promereri. Et pia mater Ecclesia de salute animarum sollicita, devotionem fidelium per quædam spiritualia munera, remissiones, & indulgentias invitare non desinit ad debita famulatus obsequia, & honorem Deo, & Sanctis sedibus impendendi, ut quanto crebrius, & devocius illuc confluit populus Christianus, assiduis præcibus, Salvatoris gratiam & Sanctorum Civium suffragia implorando, tanto celerius delictorum suorum veniam & gloriam consequi mereantur æternam. Nos igitur in sacro Concilio existendo, cupientes nostros subditos & alios, quos possumus, de consensu tamen & voluntate Diœcesanorum suorum, ad hujusmodi Sanctorum suffragia & cœlestia præmia jugiter invitare, & locum sive Ecclesiam ad honorem Sancti Joannis Evangelistæ in Diœcesi Concordiensi prope Valvesonum nuperrime construendum nostrorum indulgentiis, & spiritualibus beneficiis honorare, ut per hæc voluntas hominum ad largiendum in Domino largius inducatur; Omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad construendam dictam Ecclesiam Sancti Johannis de suis bonis aliquid dederint, miserint, vel legaverint, seu alias quomodolibet manus porrexerint adjutrices, de Omnipotentis Dei misericordia, & Virginis gloriosæ Mariæ Matris ejus, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non Beatorum Hermachore & Fortunati Patriarcharum & Martyrum meritis & auctoritate confisi, & singuli nostrum singulas dierum quadragenas de injunctis eisdem pœnitentiis indulgentes misericorditer in Domino relassamus. In cujus rei testimonium & noticiam clariorem præsentes nostras indulgentiarum litteras ad supplicationem & Instantiam Venerab. in Christo Patris Domini A. Dei gratia Concordiensis Episcopi (*a*) nobis ad hoc per suas patentes litteras sub data VII. Julii Indictione XIII. Supplicantis fieri jussimus, & nostrorum sigillorum Pontificalium appensione muniri. Datum Gradi die XV. Mensis Julii sub annis Domini 1330. Indictione XIII. (*b*)

(*a*) Articus ex Frangipania familia Ep. Concor. de quo additiones ad Ughell. in Episc. Concordiensibus.

(*b*) Documentum hoc a Cl. & Eruditissimo Viro P. Mansio allatum Tom. III. col. 431. in supplem. ad Conc. Labbeana, hic quoque exhibeo ut nonnulli errores in eo intermixti corrigantur.

An-

Andreas Patriarcha Gradensis transcribi jubet Pontificium Diploma, quo Alexander IV. concedit plura privilegia Patriarchæ Gradensi, ac præcipue ut in Ecclesiis Venetorum positis in Constantinopolitano Imperio Episcopum ordinet.

A 3.

1256. 14. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi Nomine Amen Hoc est exemplum cujusdam Privilegii Apostolici Domini Alexandri Papa IV. extractum, seu transumptum de ipso originali privilegio præfati Summi Pontificis, vera & patenti ejus bulla plumbea bullato, in filo serico per me Vandinum quondam f. Rialti notarium infrascriptum mandato & auctoritate expressis intervenientibus & decretis accedentibus infrascriptornm Patrum & Dominorum DD. Episcoporum. Cujus privilegii tenor talis est.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fr. Patriarchæ Gradensi ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Apostolicæ officium dignitatis, & creditæ nobis dispensationis debitum utiliter exequi comprobamur; Cum collatam unicuique Ecclesiæ dignitatem provida sollicitudine custodimus, & singulis ecclesiis jura sua illibata studemus, & integra conservare. Sicut enim non est concedendum alicui, quod injuste requirit, ita nemini quod sui juris est, a nobis convenit denegari. Ea propter Venerabilis in Christo Frater Angele Patriarcha tuis justis postulacionibus grato concurrentes assensu, Gradensem Ecclesiam, cui Deo Auctore preesse dinosceris, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Igitur predecessorum nostrorum fel. mem. Pelagii, Alexandri, Urbani II. Adriani, Alexandri, Jutii, Urbani III. Clementis, Innocentii III. vestigiis inhærentes, illius precipue constitutionis tenorem servantes, quam predecessor noster Leo IX. Papa sancivit, & sinodali judicio & privilegii pagina confirmavit, tibi tuisque successoribus canonice substituendis Patriarchalem concedimus dignitatem, & magisterium Gradensis Ecclesiæ gerendum in his tantum finibus confirmamus, qui per supradictos predecessores nostros eidem noscuntur Ecclesiæ constituti, Episcopalium preterea Cathedrarum Urbes, idest Castellum, Torcellum, Mathemaucum, Caprulum, Civitatem Novam, Equilinum, Veglam, Arbem, & Auserum memoratæ Gradensi tanquam suæ metropoli ad exenplar fel. record. Anastasii Papæ Predecessoris nostri subjectas esse decernimus. Crucem quoque ante te ferendam esse concedimus, nisi cum Romæ fueris, aut in presentia, vel comitatu Romani Pontificis. Pallium etiam plenitudinem vid. Pontificalis officii fraternitati tuæ ex Apostolicæ Sedis liberalitate largimur, quo interea ecclesiam tuam ad Missarum solemnia celebranda uti memineris eis diebus, quibus prædecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet in Nativitate Domini, Epiphania, ypopanti, tribus festivitatibus Sanctæ Mariæ, Cena Doni, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecoste, in natalicio Sancti Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, in festivitatibus quoque Sancti Marci, Sancti Protomartyris Stephani, Sancti Laurentii, Sancti Martini, in solemnitate omnium Sanctorum, & principalibus Ecclesiæ tuæ festi-

festivitatibus. Nec non Ecclesiarum Episcoporum, & ceterorum Clericorum consecrationibus, & anniversario consecrationis tue die. Adicimus autem, ut preter hec in Dominica in Ramis Palmarum, in festivitatibus Sanctorum Silvestri, & Canciani valeas pallio ipso uti, cujus itaque dignitatem in bonis per omnia te volumus vendicare, ut vid. in corrigendis subditis plus apud te possit ratio quam potestas, atque te boni dulcem, mali vero pium sentiant correctorem; personas diligas, & subjectorum vitia persequaris, ne si aliter agere forte volueris transeat in crudelitatem correctio, & perdas, quos desideras emendare, sicque vulnus debes abscindere, ut non possis, quod sanum est ulcerare, ne si ferrum plusquam res exigit imprimatur, noceat cui prodesse festinas. Sed sic alterum condiatur ex altero, quatenus & boni habeant amando quod caveant, & mali metuendo quod diligant. Preterea ne commissa regimini & dispensationi tuæ præfata Gradensis Ecclesia, quæ de benignitate Apostolicæ Sedis prerogativa gaudet honoris ex brevitate Patriarchatus inferior & abjectior valeat apud simpliciores haberi ad ampliandam dignitatem ipsius, Prioratum ei super Jadertinum Archiepiscopatum, & Episcopatus ipsius Apostolica auctoritate concedimus, & tam te, quam successores tuos Jadertinum Archiepiscopo, & Episcopis ejus, qui pro tempore fuerint dignitate Primatus statuimus præsidere, & consecrationis munus eidem Archiepiscopo impartiri; Romano quidem Pontifici traditione pallei reservata. Ceterum tam devotioni tuæ, quam honori & utilitati Gradensis Ecclesiæ, cui auctore Domino preesse dinosceris, deferre volentes bonæ memoriæ Adriani Papæ prædecessoris nostri vestigiis inherentes tibi, & successoribus tuis auctoritate Apostolica duximus concedendum, ut in Constantinopolitana Urbe, & aliis itidem civitatibus in Constantinopolitano Imperio dumtaxat constitutis, in quibus Veneti plures habent Ecclesias, ubi videlicet eorum multitudo consuevit assidue convenire, liceat vobis Episcopum ordinare, & absque alicujus contradictione munus ei consecrationis impendere. Statuimus etiam, ut quæcunque bona, quascunque possessiones eadem Gradensis Ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum justis modis poterit adipisci, Deo propitio firma tibi, tuisque successoribus & illibata permaneant. Porro Ecclesias a religiosis viris canonice ipsi Gradensi Ecclesiæ oblatas per Episcopatus tuos constitutas tibi, tuisque successoribus libere confirmamus, ita ut nulli Episcopo absque tuo assensu in eis liceat consecrationes celebrare, aut sacerdotibus in eisdem Dom. servientibus donec in locis ipsis fuisset divina officia prohibere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; Salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & ea sacratissimo corpore & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini Nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus ss.

✠ Ego Odo Tusculanus Episcopus ss.

✠ Ego Stephanus Prenestinus Episcopus ss.
✠ Ego Fr. Joannes tt. Sancti Laurentii in Lucina Presb. Card. ss.
✠ Ego Fr. Ugo t. Sanctæ Sabinæ Presb. Card. ss.
✠ Ego Riccardus Sancti Angeli Diac. Card. ss.
✠ Ego Octavianus Sanctæ Mariæ in Via lata Diac. Card. ss.
✠ Ego Petrus Sancti Georgii ad velum aureum Diac. Card. ss.
✠ Ego Ottobonus Sancti Adriani Diac. Card. ss.
✠ Ego Johannes S. Nicolai in carcere Tulliano Diac. Card. ss.

Datum Anagniæ per manum Magistri Rolandi S. R. E. Vice cancellarii II. Id. Julii Indict. XIIII. Incarnationis Dominice anno M.CC.LVJ. Pontificatus vero D. Alexandri Papæ IIII. Anno secundo.

Cum nos Petrus Equilinus, Fr. Fredianus civitatis novæ, & Fr. Andreas Caprulanus Dei gratia Episcopi, ac Joannes de Cipro Archidiaconus Castellanus Doctor decretorum Vicarius Venerabilis in Christo Patris Dom. Nicolai Dei gratia Episcopi Castellani suprassertum privilegium vera bulla præfati Summi Pontificis bullatum exacta diligentia viderimus, & in manibus habuerimus, legerimus, & examinaverimus, & nihil erroris vel falsitatis cujusquam, vel vicio, seu nota alicujus rasuræ, vel interlineaturæ idem privilegium cum bulla & signis ejusdem possit reprehendi, cum verum in sui forma existat, ad petitionem & requisitionem Reverendiss. in Christo Patris, & Domini Dom. Andreæ Dei, & Apostolica gratia Patriarchæ Gradensis præsentis, & expresse petentis mandavimus id per Vadinum Notarium infrascriptum transcribi & exemplari, ac in publicam formam redigi cum subscriptionibus infrascriptorum Notariorum de Civitate Venet. nobis notorum, & fide dignorum, & in possessione tabellionatus officii consistentium, & sic habitatorum & per nos reputatorum ad majorem cautelam, & ipso exemplato & transumpto, seu transcripto in presenti instrumento per ipsum Vadinum idem privilegium auscultavimus diligenter de verbo ad verbum cum hoc transcripto, sive exemplo & ipsum privilegium cum eodem transumpto autentico, seu exemplo concordare invenimus omni ambiguitate, vel falsitate semota, diligenti etiam per nos examinatione, & causæ cognitione super ipso factis asserentes non vidisse Dom. Dom. Patriarchas Gradenses esse & fuisse in possessione, & quasi conferendi cum vacavit personis idoneis Episcopatum venecomponen. promissi privilegii fretos auctoritate & maxime Dom. Dominicum olim Patriarcham Gradensem contulisse ipsum Episcopatum venecomponen. nostris temporibus olim venerabili & religioso viro Domino Fratre Arthico de Trivisio ordinis prædicatorum, ac post mortem dicti Dom. Fr. Artichi Venerabili Viro Domino Marco Theonisto olim venecomponen. Episcopo. Quibus insinuationi transumpto, seu exemplo premissis cognitione habita nostram interposuimus auctoritatem & judiciale decretum ut veritas per facti evidentiam pateat, & eam vim & auctoritatem præmissum exemplum, & autenticum transumptum habeat & obtineat in judicio, & extra, prout ipsum originale habet, quod non potest absque grandissimo periculo, & viarum discrimine extra provinciam Gradensem transmitti vel deferri, mandantes etiam subscriptiones infrascriptorum notariorum cum nostris sigillis presenti instrumento apponi in testimonium veritatis. In præmissis omnibus per nos factis speciali licentia, & expresso consensu supradicti D. Episcopi Castellani Civitatis venet. diocesani legitime intervenientibus &c.

Ego Nicolaus de Rippa filius quond. D. Jacobi de Rippa de Venet. Imperiali

ri auctoritate notarius suprascriptum exemplum privilegii apostolici sumptum & exemplatum ex autentico privilegio seu principalibus litteris, quam communita vidi principali bulla in filo serico omni prorsus suspicione carentibus suprascripti Dom. Alexandri Summi Pontificis per Vandinum quond. s. Riali Notarium infrascriptum coram suprascriptis Patribus & Dominis D. D. Episcopis Equilino Civitatis Novæ & Caprulano, ac Vicario Dom. Episcopi Castell. ad ipsa auctentica fideliter & diligenter ausculavi una cum dicto Vandino, & Marco Notario infrascripto, & utrisque in omnibus & per omnia de verbo ad verbum concordare repertis de mandato prefatorum Episcoporum, & Vicariorum suam huic exemplo auctoritatem interponentium & judiciale decretum, ut eisdem exemplo, seu transumpto adhibeatur de cætero plena fides, me in testem subscripsi signumque meum, & nomen apposui consuetum de anno Domini Indictione die mense loco & testibus infrascriptis.

Subscriptio

Ego Marcus filius s. mei de Thociis Imperiali auctoritate notarius & testis ausculavi &c.

Ego Vandinus quond. s. Riali de Thuschis de Forlivio Imperiali auctoritate notarius me subscripsi &c. anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi MCCCXLII. Indictione x. Die XXII. Mensis Martii &c.



Gregorius XI. Thomam Patriarcham Gradensem laudat, & hortatur ut in reformatione Monasteriorum Sanctimonialium suæ Provinciæ perseveret.

B3.

1374. 29. Januarii.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei: Venerabili Fratri Thomæ Patriarchæ Gradensi Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad nostri Apostolatus auditum nuper grate perduxit expositio fide digna, quod Tua Fraternitas noviter promota ad Gradensem Ecclesiam personas ecclesiasticas utriusque sexus tuæ Provinciæ sic invenit multiplicis dissolutionis vitiis laborare, quod jam incepit in eis visitationis officium exercere, de quo tuos zelum, & sollicitudinem plurimum in Domino commendamus; te Apostolicis exhortationibus exhortantes, quatenus inchoata hujusmodi perseveranti studio prosequaris, & ut ipsa eo efficacius exequi valeas, quo majori fueris potestate munitus, tibi per te, vel aliam, seu alias personas honestas, & providas, Deum timentes, ac zelum reformationis Ecclesiastici status, & salutis animarum habentes hujusmodi visitationis, nec non reformationis, correctionis & punitionis officium in Ecclesiis, Monasteriis, & locis, ac personis utriusque sexus exemptis, & non exemptis dictæ Provinciæ, cujuscumque sint dignitatis, status, & ordinis præter religiosos mendicantes, etiamsi Monasteria, & loca hujusmodi Cisterciense, Cluniacense, Camaldulense, & Beatæ Claræ,

& Monialium existentium sub cura Fratrum Prædicatorum existant, plenarie faciendi, ac contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, & invocandi ad hoc si opus fuerit, auxilium brachii sæcularis; non obstantibus exemptionibus, & quibuscumque aliis privilegiis, & litteris Apostolicis ordinibus præfatis, seu personis eorumdem ab apostolica Sede concessis, ac statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi contrariis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, etiamsi de eis, ac ipsorum ordinibus, & locis, ac nominibus, cognominibus propriis esset plena, & expressa ac de verbo ad verbum in præsentibus mentio facienda; seu si eisdem ordinibus, & personis eorum, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a dicta Sede sit indultum, quod locum, & personæ ordinum ipsorum per alios visitari, quam per personas suorum ordinum, & tam ipsæ personæ, quam alii prædicti suspendi, vel excommunicari seu ipsi, & dictorum ordinum loca interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam tuæ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quæ quo ad hoc ipsis nolumus aliqualiter suffragari, plenam concedimus tenore præsentium facultatem præsentibus post biennium minime valituris. Datum Avinioni IIII. Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno quarto.



Urbanus VI. Urbano Patriarchæ Gradensi comittit reformationem Monasteriorum Sanctimonialium Castellanæ, Torcellanæ, & Clugiensis Diœceseos.

C 3.

1383. 30. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

URbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Patriarchæ Gradensi Salutem & Apostolicam benedictionem. In vinea Domini Sabaoth quamquam insufficientibus meritis speculatores positi, & custodes non possumus æquo animo tollerare, cum eam intelligimus in aliqua sui parte fœdari, sed tunc acerbiori dolore persodimur, cum ubi speciosior & ornatior esse debet, ibi enormius diffamatur non sine vicinarum partium detrimento. Nuper siquidem ad nostrum non sine mentis turbatione fide dignorum relatione pervenit auditum, quod in Castellana, Torcellana, & Clugiensi Civitatibus & Diœcesibus sunt quamplurima monasteria Monialium tam Sanctorum Benedicti, & Augustini, quam etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Camaldulensis, & Sanctæ Claræ Ordinum, quorum quidem monasteriorum quædam sub cura Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinum esse noscuntur, & in quibus, seu eorum aliquibus Moniales in eis degentes vitam ducunt adeo enormiter dissolutam, quod nonnulli Clerici, & personæ Ecclesiasticæ tam religiosæ, quam sæculares inhoneste plurimum conversantur in eis commit-

mittentes ibidem enormia crimina & sceleratos excessus in animarum suarum periculum, Divinæ Majestatis offensam & grave scandalum Christifidelium plurimorum. Nos igitur attendentes, quod nostra interest super his de opportuno remedio providere, fraternitati tuæ de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ad prædicta Monasteria, & quæcumque alia loca monialium prædictarum Civitatum, & Dioecesum, sive prædictorum, sive quorumcumque aliorum Ordinum existant, ac eorum singula personaliter accedens, & habens præ oculis solum Deum illa ac vice auctoritate nostra visites, tam in capitibus, quam in membris, & ea quæ ibidem correctionis, seu reformationis officio noveris indigere, eadem auctoritate corrigere, & reformare procures, prout de jure fuerit faciendum; contradictores quoslibet, & rebelles cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, vel condictionis existant, etiamsi Pontificali, vel quavis alia dignitate præfulgeant, & etiamsi fuerint dictorum Prædicatorum, vel Minorum, aut cujusvis alterius, etiam mendicantium Ordinum, professores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indultis, litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, etiamsi de illis & totis eorum tenoribus esset in præsentibus mentio facienda; & aliis quibuslibet, quæ tuæ possent in hac parte jurisdictioni, aut potestati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium cucurri non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum (a) Neapoli apud Majorem ecclesiam Neapolitanam secundo Kal. Marcii Pontificatus nostri anno sexto.

(a) Urbanus VI. ad evitandum pestilentiæ periculum, quæ per Italiam grassabatur, initio hujusce anni Tibur petiit, & deinde Neapolim adiit.



Boni-

Bonifatius IX. remissiones peccatorum indulget visitantibus Ecclesiam Sancti Silvestri & ad ejus instaurationem eleemosynas erogantibus.

D 3.

1391. 18. Septembris.

Ex Autographo in Archivo Ecclesiæ Sancti Silvestri.

Bonifatius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis Salutem & apostolicam benedictionem. Licet de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne & laudabiliter serviatur, de abundantia sue pietatis que merita supplicum excedit & vota bene servientibus sibi multo majora retribuat, quam valeant promereri, nichilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem, & bonorum operum sectatorem fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus indulgentiis videlicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia Sancti Silvestri de Venetiis Castellanæ Diocesis congruis honoribus frequentetur, & etiam conservetur, & ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem Ecclesiam & ad ejus conservationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus & confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epyphanie, Resurrectionis, Ascensionis, & Corporis Domini Nostri Jesu Christi, & Penthecostes, ac Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis beate Marie Virginis, ac Nativitatis beati Johannis Baptiste, & beatorum Petri & Pauli predictorum, ac sanctorum Hermacore & Fortunati, & dedicationis ipsius ecclesie festivitatibus ac in celebritate omnium sanctorum, nec non per ipsarum Nativitatis, Epyphanie, Resurrectionis, Ascensionis, & Corporis Dumini, ac Nativitatis, & Assumptionis beate Marie, & Nativitatis beati Johannis Baptiste, ac Apostolorum Petri & Pauli predictorum festivitatum Octavas & per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes, ecclesiam ipsam devote visitaverint, annuatim & manus porrexerint adjutrices singulis videlicet festivitatum & celebritatis Septem Annos & totidem Quadragenas, Octavarum vero & sex dierum predictorum diebus quibus ecclesiam ipsam visitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut prefertur, Centum dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem quod si alias visitantibus ipsam ecclesiam, vel ad ejus fabricam, seu conservationem manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia inperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes litteræ nullius existant roboris, vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIIII. Kal. Octobris Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Ja: de Bononia.

Mar-

Marcus Lando Episcopus Castellanus significat per Vicarium suum Johanni Patriarchæ Gradensi non posse ipsum Patriarcham consecrare Ecclesiam Sancti Silvestri, ac deinde ad ejus preces tribuit ei facultatem ipsam Ecclesiam consecrandi.

E 3.

1422. 20. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi Nomine Amen. Anno ab ejusdem Nativitate milesimo quadringentesimo vigesimo secundo Indictione quintadecima die Jovis vigesima mensis Augusti. Pateat omnibus evidenter hoc presens publicum instrumentum inspecturis. Quod cum ad aures & noticiam Reverend. in Christo Patris & Domini Domini Marci Lando Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Castellani diebus precedentibus pervenisset, quod Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dom. Johannes miseratione divina Patriarcha Gradensis vellet Ecclesiam Sancti Silvestri de Veneciis Castellanæ Diocesis in die Dominicho proxime tunc immediate sequenti auctoritate propria, ipso Dom. Episcopo insciente, contra & preter jura communia & pacta, quæ extant inter Sedem Gradensem, & Episcopatum Castellanum solemniter consecrare. Quare cupiens prædictus Reverend. Pater, & Dominus Dom. Episcopus quemadmodum tenetur jura & jurisditiones sui Episcopatus manutenere, & conservare, & maxime ne videatur Episcopatum suum Castellanum protectore & defensore carere, neque dicatur eumdem Dominum Episcopum jura, jurisdictiones ejusdem sui Episcopatus postergare. Animadvertens nec non quod malum, cui non resistitur, aprobare videtur, nolens hujusmodi injuriam oculis conniventibus pertransire, mandavit Venerab. & egregio Decretorum doctori Domino Nicolao de Palearis de Cremona Abbati Monasterii Sancti Laurentii de Cremona (a), ac in spiritualibus Vicario suo quatenus ipsius Domini Episcopi nomine deberet se ad prefatum Dom. Patriarcham personaliter conferre, ac eidem Dom. Patriarchæ notificare & preponere ne modo aliquo ipsam Ecclesiam Sancti Silvestri Castellanæ Diocesis, nec aliquam aliam prædictæ Diocesis auctoritate propria consecrare deberet. Quod si facere recusaret, & predictis obtemperare & aquiescere nollet; deberet ipse Dominus Vicarius nomine ipsius Dom. Episcopi prefato Dom. Patriarche protestari de damnis expensis & penis contentis, & descriptis in pactis initis, & per Sedem Apostolicam aprobatis inter Sedem predictam Gradensem & Episcopatum Castellanum suprascriptum, qui quidem Dom. Vicarius existens in presentia

ipsius

(a) Monasterium Sancti Laurentii prope muros Cremonæ antiquitus excultum fuit a Monacis Ordinis Sancti Benedicti, indeque transiit ad Camaldulenses, deductum fuit inde in commendam, postremo concessum fuit Monacis Congregationis Montis Oliveti. Sæculo XII. Abbas fuit in hoc Monasterio Beatus Johannes de Surdis, qui Vicentiæ factus Episcopus obiit Martyr Cognitionem causæ Maryri stat m ab ejus obitu peractam, ad obtinendam ejus apotheosim & in processus redactam, mihi datum fuit aspicere inter schedas Cl. V. Joannis Brunaccii Abbatis eruditissimi Ecclesiæ Patavinæ Historici.

ipsius Reverendissimi Dom. Patriarchæ, sibique Dom. Patriarchæ dictis, & propositis, quæ de mandato ultrascripti Dom. Episcopi Castellani dicere & proponere habebat. Ipse Reverendissimus in Christo pater & Dominus Dom. Johanes Patriarcha Gradensis antedictus auditis, dictis, & propositis per ipsum Dominum Vicarium respondit, quod prima facie credebat se consecrare posse auctoritate propria dictam Ecclesiam Sancti Silvestri, maxime cum sit de Ecclesiis mense sue supositis; Verum quia deinde viderat pacta, quæ sunt inter Sedem Gradensem, & Episcopatum Castellanum, clare percipiebat ipsam ecclesiam Sancti Silvestri, nec aliquam aliam Ecclesiam dictæ Diocesis Castellane posse aliquo modo auctoritate propria consecrare, & quod nullo modo intentionis suæ erat ponere falcem in messem alienam sine licentia Domini messis. Sed ex maxima devotione sua in quantum esset de beneplacito prefati Reverendissimi in Christo Patris, & Domini Dom. Marci Episcopi Castellani, cui consecrationem omnium Ecclesiarum Castellanæ Diocesis, tam de jure communi, quam vigore pactorum predictorum spectare & pleno jure pertinere dixit, cupiebat ipsam Ecclesiam S. Silvestri perlibenter consecrare, & in quantum ipse Dominus Episcopus daret sibi licentiam, ipsam Ecclesiam Sancti Silvestri consecrandi ab ipso Domino Episcopo tanquam a vero Domino, & plenissimam potestatem habente ipsam licentiam habuisse reputaret & recognosceret.

Actum Venetiis in palatio Gradensi super principaliori salla ipsius palatii presentibus Venerabili in Christo Patre Dom. Fratre Marino Priore Cruciferorum de Venetiis Castellanæ Diocesis, & Venerabilib. Viris Dominis Presbiteris Gasparo condam Thome de Monte Rubiano Canonico Castellano, & Laurentio intitulato presbitero in Ecclesia S. Severi de Venetiis dictæ Diocesis, & aliis testibus ad premissa vocatis & rogatis.


Eisdem millesimo mense Indictione, & die, & coram infrascriptis testibus. Suprascriptus Rev. in Christo Pater & Dominus Dom. Marchus Lando Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Castellanus, visa commissione quam ipse Dominus Episcopus fecit Venerabili Decretorum Doctori Domino Nicolao Vicario, ut in precedenti instrumento apparet & visa responsione facta per suprascriptum Reverendiss. in Christo Patrem & Dominum Dom. Johanem Patriarcham Gradensem antedictum, nec non videns ac considerans desiderium, & voluntatem dicti Dom. Patriarchæ cupientis ex devotione ecclesiam Sancti Silvestri de Venetiis Castellanæ Diocesis consecrare, ad complacentiam & preces ipsius Dom. Patriarchæ dedit, & concessit licentiam, auctoritatem, & potestatem dicto Dom. Patriarchæ consecrandi eandem Ecclesiam Sancti Silvestri dictæ Castellanæ Diocesis, non prejudicando, nec derogando alicui juri predicti sui Episcopatus, nec pactis, & conventionibus existentibus inter Sedem Gradensem, & Episcopatum suum Castellanum, quam licentiam concessam per ipsum Dominum Episcopum Castellanum eidem Dom. Patriarchæ, licet tunc absenti, Dom. Vicarius predictus de mandato ipsius Domini Episcopi sepedicto Dom. Patriarche notificavit, & quam licentiam ipse Dom. Patriarcha in presentia mei notarii & testium suprascriptorum in dicto suo palatio Gradensi existens gratanter, jocunde atque alacriter acceptavit.

Actum Venetiis in Episcopali palatio Castellano presentibus Rev. in Christo Patre Domino Antonio de Cataneis (a) Dei gratia Episcopo Caprularum, & Venerabili Viro Dom. Presbitero Marco Placentino Ecclesiæ San-

(a) Tom. V. Ital. col. 1340. Vocatur *de Caturcis*.

Sanctorum Apostolorum de Venetiis dictæ Castellane diocesis Plebano, & aliis testibus ad prædicta vocatis & rogatis.

L.S. Ego Gasparinus Marci de Venetiis publicus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius ac notarius Curiæ Episcopalis Castellanæ predictis mandato commissioni, propositioni, & responsioni, peticioni, auctoritatis dationi, acceptationi, & omnibus aliis & singulis, dum, sicut predicitur, coram prefatis Reverendis in Christo Patribus & Dominis D. D. Patriarcha Gradensi & Episcopo Castellano separatim agerentur & fierent, una cum prenominatis testibus presens fui, & ea sic fieri vidi & audivi, ideo hoc presens publicum instrumentum in se prædicta continens rogatus per eosdem Rev. Dominos Patriarcham Gradensem, & Episcopum Castellanum a quolibet ipsorum expresse scripsi & publicavi, & me in testimonium premissorum subscripsi, Signumque meum apposui consuetum.



Eugenius IV. confirmat Blasio Molino Patriarchæ Gradensi omnia privilegia Summorum Pontificum concessa Ecclesiæ Gradensi.

F 3.

1433. 29. Septembris.

Ex Archivo Patriarchali.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Dum præclara Venerabilis Fratris Nostri Blasii Patriarchæ Gradensis Apostolicam Cancellariam ex mandato nostro regentis, merita debite considerationis acie revolvimus, ducimur non immerito, ut illis per que Ecclesiæ Gradensis cui præesse dinoscitur statui, & indemnitatibus consulitur concessa desuper a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus innovando votis gratiosius annuamus. Hinc est, quod nos ad instantiam dicti Patriarchæ quasdam fel. record. Anastasii Papæ IIII. prædecessoris nostri in ipsa Cancellaria litteras inspici examinarique diligenter, & earum cum incipiant vetustate consummi tenorem signis, & caracteribus ommissis de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus qui talis est. Anastasius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Henrico Patriarchæ Gradensi ejusque successoribus regulariter substituendis inperpetuum. In Apostolicæ Sedis specula disponente Domino constituti Fratres nostros Episcopos tam vicinos, quam longe positos sincera in Domino charitate diligere & ecclesiis sibi a Deo commissis suam debemus dignitatem & justitiam conservare. Quapropter Venerabilis in Christo Frater Henrice Patriarcha tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Gradensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dinosceris, presentis scripti patrocinio communimus. Igitur prædecessorum nostrorum Pelagii, Alexandri, Urbani secundi, & Innocentii auctoritatem sequentes illius precipue constitutionis tenorem servantes, quam prædecessor noster Leo IX. Papa sancivit, & sinodali judicio & privilegii pagina confirmavit, tibi tuisque successoribus canonice substituendis Patriarchalem concedimus dignitatem, & magisterium Gradensis Ecclesiæ gerendum in his tantum finibus confirmamus, qui

per supradictos prædecessores nostros eidem noscuntur Ecclesiæ constituti. Et pallium preterea Cathedrarum Urbium idest Castellum, Torcellum, Metamaucum, Equilum, Caprulim, Civitatem Novam, Veglam, Arbem, & Auserum memoratæ Gradensis Ecclesiæ tanquam metropoli suæ subditas esse decernimus. Crucem quoque ante te ferendam esse concedimus, nisi cum Romæ fueris aut in presentia, vel comitatu Romani Pontificis. Palleum etiam Fraternitati tuæ plenitudinem videlicet Pontificalis officii ex Apostolicæ Sedis liberalitate largimur, quo intra Ecclesiam tuam ad missarum solemnia celebranda, uti memineris eis diebus, quibus predecessores tuos usos fuisse non ambigimus videlicet in Nativitate Domini, Epiphania ypopanti, tribus festivitatibus S. Mariæ, Cena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecoste, in Natalicio Sancti Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, in festivitatibus quoque Sancti Marci, Sancti Prothomart. Stephani, Sancti Laurentii, Sancti Martini, in solemnitate Omnium Sanctorum, & Principalibus Ecclesiæ tuæ festivitatibus. Nec non in Ecclesiarum Episcoporum & ceterorum Clericorum consecrationibus & anniversario consecrationis tue die. Statuimus etiam, ut quecunque bona, quascunque possessiones Gradensis Ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum justis modis poterit adipisci firma tibi, tuisque successoribus & illibata permaneant. Porro Ecclesias a religiosis viris eidem Gradensi Ecclesiæ oblatas per parochias ejusdem Provinciæ constitutas, tibi tuisque successoribus libere confirmamus. Ita ut nulli Episcopo liceat absque tuo assensu in eis consecrationes celebrare, aut Sacerdotibus in eisdem Domino servientibus donec in locis ipsis fuerint divina officia prohibere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; Salva nimirum Apostolicæ Sedis auctoritate in omnibus. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem sua jura servantibus ejusdem Ecclesiæ sit pax D. N. J. C. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. Presb. Card. & Cancellarii VI. Kal. Junii Indictione secunda Incarnationis Dominicæ anno MCLIIII. Pontificatus vero Dom. Anastasii Papæ IIII. Anno Primo. Nos ipsius Patriarchæ supplicationibus inclinati litteras & tenorem hujusmodi auctorite Apostolica presentium serie innovamus, & presentis scripti Patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod sit, tantummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostræ innovationis, communitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio Kal. Octob. Pontificatus nostri anno tertio.

Gratis p. D. regente Canc.

G. de Callio.

Euge-

Eugenius IV. litteras Adriani IV. in favorem Patriarchatus Gradensis plene confirmat.

G 3.

1433. 1. Octobris.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex suscepte servitutis officio ad ea quæ pro singularum Ecclesiarum presertim Patriarchalium salubri incremento a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus rite gesta prospicimus Apostolicæ innovationis ope libenter interponimus solicitudinis nostræ partes. Hinc est, quod nos ad instantiam Venerabilis Fratris Nostri Blasii Patriarchæ Gradensis Apostolicam Cancellariam de mandato nostro regentis quasdam fel. record. Adriani Papæ IV. prædecessoris nostri litteras in ipsa Cancellaria inspici examinarique diligenter, & earum cum incipiant vetustate consumi tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, qui talis est. Adrianus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Episcopis & dilectis filiis Ven. D. D. Duci, & universo populo Veneciæ Salutem & Apostolicam benedictionem Venerab. Fr. Nostrum Henricum Gradens. Patriarcham, sicut eum, quem vera in Domino affectione diligimus, & sincere caritatis brachiis amplexamur, ad Sedem Apostolicam venientem, ea qua decuit benignitate, recepimus, & honorem ei debitum impendentes ipsum in postulationibus suis tum pro suæ honestate ac probitate personæ, & pro commisso sibi dignitatis officio tum pro eo quod vos & Civitatem vestram, sicut nobilem & famosam diligimus & intendimus honorare, quibus modis secundum Deum potuimus, curavimus exaudire. Quem ad vos tanquam ad speciales & devotos filios cum Apostolicæ Sedis benedictione, & nostræ gratiæ plenitudine præsentialiter remittentes, Universitati vestræ ipsum attentius commendamus per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eum honorifice recipiatis, honeste tractetis, & ei tanquam spirituali Patri, & animarum vestrarum rectori, debitam in omnibus subjectionem & reverentiam impendatis. Ad hæc discretioni vestræ presentium significatione volumus innotescat, quod Frater Noster Jadrensis Archiepiscopus in nostra & fratrum nostrorum presentia memorato Fratri nostro Patriarchæ ejusque successoribus obedientiam tanquam Primati suo spontanea voluntate promisit, & nos promissionem ipsam in publicum fecimus redigi instrumentum. Vos autem sicut viri strenui & famosi ad dilatandos terminos Gradensis Ecclesiæ matris vestræ modis omnibus laboretis, atque ad ejus augmentum eficaciter studeatis. Nos enim temporis opportunitate accepta eandem Ecclesiam, quibus modis cum Deo poterimus curabimus honorare, atque exaltationi, atque utilitati ipsius attentius providere. Datum Laterani Idus Junii. Nos itaque ipsius Patriarchæ supplicationibus inclinati litteras & tenorem hujusmodi Apostolica presentium serie innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus Per hoc autem nullus jus alicui acquiri volumus de novo, sed antiquum, si quod sit, tantummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, communitionis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit in-

dignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo tertio Kalendas Octobris Pontificatus nostri Anno tertio.



Eugenius IV. Alexandri IV. privilegia Patriarchatui Gradensi concessa confirmat.

H 3.

1433. 1. Octobris.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ad Apostolicæ dignitatis apicem superna dispositione vocati circa quarumlibet Ecclesiarum presertim Patriarchalium statum dante Domino prospere dirigendum nostri partes ministerii libenter inpendimus, & ea quæ desuper a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus provide facta comperimus, ne temporum successu pereant oblivionis quoquomodo dispendiis, renovationis ac restaurationis presidio solidamus. (a) Hinc est, quod nos ad instantiam Venerab. Fratris Nostri Blasii Patriarchæ Gradensis (b) Cancellariam Apostolicam de mandato nostro regentis, quasdam fel. record. Alexandri Papæ IIII. prædecessoris nostri in ipsa cancellaria litteras inspici examinarique diligenter, & earum cum incipiant vetustate consumi, tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, qui talis est. Alexander Episcopus servus servorum Dei Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis religiosarum domorum prelatis in patriarchatu Gradensi constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Sicut Venerabilis Fr. Noster Gradensis Patriarcha sua nobis insinuatione monstravit, cum aliquis in Gradensem Patriarcham assumitur vos ei de consuetudine aprobata apud vos tenemini lectos singulos exhibere, quocirca universitatem vestram ad instar fel. record. Innocentii Papæ predecessoris nostri rogandam duximus & monendam, per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus eidem Patriarchæ lectos ipsos, prout consuevistis, hactenus

(a) Non ea tantummodo, quæ superius allata sunt precessorum suorum diplomata ad dignitatem Patriarchalis Gradensis Ecclesiæ pertinentia *renovationis præsidio ad instantiam Blasii Patriarchæ solidavit* Eugenius IV. sed & amplissimas Clementis III. epistolas ad Joannem Signolum Patriarcham Gradensem anno MCXC. Laterani datas, queis jura Gradensis Sedis a Summis Pontificibus, & præcipue a Leone IX. in Romana Synodo sancita renovato privilegio confirmat, & auget, eo quod *vetustate jam consumi* incepissent, ipsius Blasii Patriarchæ *supplicationibus inclinatus auctoritate apostolica* novi diplomatis *serie innovavit*, & Pontificii *scripti patrocinio communivit*.

(b) Apostolicæ Clementis epistolæ Eugenii diplomati insertæ Gradensis Cathedræ juribus adeo favorabiles, cum nos penitus laterent, in enarratione Ecclesiæ Sancti Silvestri ubi de Joanne Signolo, & de Blasio Molino verba fecimus prætermissæ fuerunt, eas modo inter schedas hæredum ipsius Blasii Patriarchæ propitia sorte, dum monumenta ad Patriarchas Gradenses spectantia adhuc sub prælo essent, inventas operæ pretium duxi hic exhibere.

nus sine difficultate qualibet exhibere curetis, alioquin sententiam, quam idem propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Anagniæ Id. Julii Pontificatus Nostri anno secundo. Nos itaque ipsius Blasii Patriarchæ supplicationibus inclinati litteras & tenorem hujusmodi auctoritate Apostolica tenore presentium innovamus, & presentis scripti patrocinio communimus per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum si quod sit tantummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, communicionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attempare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo tricesimo tercio Kal. Octob. Pont. Nostri anno tertio.

Gratis persona D. regentis t.

R. de Galentia.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam Apostolice solicitudinis cura propensior, ut ad ea quæ pro singularum & presertim Patriarcharum ecclesiarum statu prospere salubriterque dirigendo processisse comperimus, illa etiam restaurando, & innovando nostri partes ministerii solertius impendimus hinc est quod nos ad instantiam venerabilis fratris nostri Blasii Patriarchæ Gradensis Apostolicam Cancellariam de mandato nostro regentis quasdam felicis recordationis Clementis Papæ III. prædecessoris nostri litteras in Cancellaria Apostolica inspici examinarique diligenter & earum cum incipiant vetustate consumi tenores signis & caracteribus omissis de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus qui talis est. Clemens Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri Johanni Gradensi Patriarchæ ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Apostolice offitium dignitatis & credite nobis dispensationis debitum utiliter exequi comprobamur cum collatam unicuique Ecclesiæ dignitatem provida sollicitudine custodimus, & singulis ecclesiis jura sua illibata studemus & integra conservare. Sicut enim non est concedendum alicui quod injuste requirit ita nemini quod sui juris est a nobis convenit denegari. Ea propter Venerabilis in Christo frater Johannes Patriarcha tuis postulationibus grato concurrentes assensu Gradensem Ecclesiam cui auctore Deo præesse dignosceris sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. Igitur prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Pelagii, Alexandri, Urbani II. Adriani, Alexandri, Lucii & Urbani III. vestigiis inhærentes illius præcipue constitutionis tenorem servantes quarum prædecessor noster Leo IX. Papa sancivit, & synodali juditio & privilegii pagina confirmavit tibi, tuisque successoribus canonice substituendis Patriarchalem concedimus dignitatem, & Magisterium Gradensis Ecclesiæ gerendum in hiis tantum finibus confirmamus qui per supradictos prædecessores nostros eidem noscuntur ecclesiæ constituti. Crucem quoque ante ferendam esse concedimus nisi cum Romæ fueris aut in presentia, vel comitatu Romani Pontificis. Palleum etiam plenitudinem videlicet Pontificalis offitii fraternitati tuæ ex Apostolicæ Sedis liberalitate largimur quo intra Ecclesiam tuam ad missarum sollemnia celebranda uti memineris eis diebus quibus prædecessores tuos usos fuisse cognoscis, Videlicet, in Nativitate Domini, Epiphania ypopanti, tribus festivitatibus Sanctæ Mariæ, Cena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione

ne Domini, Ascensione, Pentecoste, in Natalitio Sancti Johannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, in festivitatibus quoque Sancti Marci, Sancti Protomartyris Stephani, Sancti Laurentii, Sancti Martini, in solemnitate Omnium Sanctorum & principalibus Ecclesiæ tuæ festivitatibus, nec non Ecclesiarum Episcoporum, & ceterorum clericorum consecrationibus Anniversario consecrationis tuæ die. Cujus utique dignitatem in bonis per omnia te volumus vendicare, ut videlicet in corrigendis subditis plus apud te possit ratio quam potestas, atque te boni dulcem mali vero pium sentiant correctorem, personas diligas, & subjectorum vitia prosequaris ne si aliter agere forte volueris transeat in crudelitatem correctio & perdas quos desideras emendare. Sicque vulnus debes abscidere ut non possis quod sanum est ulcerare ne si ferrum plusquam res exigit imprimatur noceat cui prodesse festinas sed sic alterum condiatur ex altero quatenus & boni habent amando quod caveant & mali metuendo quod diligant. Præterea ne commissa regimini & dispensationi tuæ prefata Gradensis Ecclesia quæ de benignitate Apostolicæ Sedis prerogativa gaudet honoris ex brevitate Patriarchatus inferior & abjectior valeat apud simpliciores haberi ad ampliandam dignitatem ipsius Prioratum ei super Jadertinum Archiepiscopatum & Episcopatus ipsius Apostolica auctoritate concedimus & tam te, quam successores tuos Jadertinensi Archiepiscopo & Episcopis ejus qui pro tempore fuerint dignitate primatus statuimus presidere & consecrationis munus eidem Archiepiscopo impertiri. Romano quidem Pontifici traditione pallei reservata. Statuimus etiam ut quæcunque bona quascunque possessiones eadem Gradensis Ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci firma tibi, tuisque successoribus & illibata permaneant, Porro Ecclesias a religiosis viris ipsi Gradensi Ecclesiæ oblatas per Episcopatus tuos constitutas tibi, tuisque successoribus libere confirmamus ita ut nulli Episcopo absque tuo assensu in eis liceat consecrationes celebrare, aut Sacerdotibus in eisdem Domino servientibus donec in locis ipsis fueris divina officia prohibere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones aufferre, vel ablatas retinere minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura Salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo tertiove commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini Nostri Jesu Christi quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia æternæ pacis inveniant. Amen Amen. Datum Laterani per manum Moysi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi vicemagentis Cancellarii. Tertiodecimo Kalendas Junii Indictione octava Incarnationis Dominicæ anno MCXC. Pontificatus vero Domini Clementis Papæ III. Anno Tertio. Nos itaque ipsius Patriarchæ supplicationibus inclinati litteras & tenorem hujusmodi auctoritate Apostolica præsentium serie innovamus, & presentis scripti patrocinio communimus per hoc autem nullum jus alicui de novo acquiri volumus sed antiquum si quod sit tantummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis,

nis, confirmationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio Kalendas Octobris Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Usque ad annum MCCCCXXXIII. titulo Patriarchæ Gradensis appellatur Blasius in apostolicis litteris, qui deinceps Patriarcha Hierosolimitanus nuncupatur; ad quam sedem, vel anno MCCCCXXXIII. exeunte, vel ineunte anno MCCCCXXXIV. adlectus fuit, siquidem in superius allato Diplomate die 1. Octobris anni 1433. Patriarcha Gradensis dicitur, anno vero sequenti 1434. die XXIII. Martii Jerosolimitanus Patriarcha nuncupatur in Apostolicis supralaudati Eugenii Epistolis, quibus *Conventui Monasterii Beatæ Mariæ de Moniacis Ordinis Sancti Benedicti Montisregalis Diœcesis* per *Apostolica scripta* committitur, ut Blasium Patriarcham Jerosolimitanum, & Danielem Episcopum Concordiensem tanquam administratores dicti Monasterii (de quo Pirrus in Sicilia Sacra & Lubin in Abbatiis Italiæ) *grato admitterent honore*.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis .... Conventui Monasterii Beatæ Mariæ de Maniacis ordinis Sancti Benedicti Montisregalis Diocesis Salutem & Apostolicam benedictionem. Romanus Pontifex cui Ecclesiarum & Monasteriorum omnium solicitudo incumbit illorum prout potest dispendiis obviat, & de ipsorum regimine illud ydoneis committendo personis disponit, ac eisdem personis providet sicut illorum statui & indemnitatibus conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum & Monasteriorum quorumlibet imposterum vacaturorum per promotiones de prelatis eorum ubilibet constitutis ad alias ecclesias & Monasteria tunc vacantia, & in antea vacatura per nos faciendas ordinationi, & dispositioni nostræ reservavimus decernentes ex tunc irritum & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari. Cum itaque postmodum Monasterium vestrum cui dilectus filius Nicolaus electus Panormitanus tempore promotionis per nos de persona sua ad Ecclesiam Panormitanam, tunc pastore carentem facte prefuit per promotionem hujusmodi vacavisset, & vacaret tunc nullusque de illius provisione preter nos ea vice se intromittere potuerat sive poterat reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Nos tam dicto Monasterio de Gubernatoribus secundum cor nostrum utilibus & ydoneis per quos circumspecte regi, & salubriter dirigi valeret quam etiam venerabilibus fratribus nostris Blasio Patriarchæ Jerosolimitano, & Danieli Episcopo Concordiensi, ut ipsorum decentium statum tenere possent de alicujus subventionis auxilio providere volentes motu proprio non ad dictorum Patriarchæ & Episcopi, vel alicujus eorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate Monasterium prædictum cujus fructus redditus & proventus Octingentorum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut accepimus non excedunt sic vacans cum omnibus juribus & pertinentiis suis Patriarchæ & Episcopo præfatis, & per Patriarcham una cum Jerosolimitano ac per Episcopum una cum Concordiense quibus præesse dinoscuntur, & aliis quibus ipsos præsidere contingerit, ceterisque Ecclesiis Monasteriis Prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus officiis Canonicatibus, & prebendis, nec non aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura, & sine cura secularibus, ac regularibus quæ etiam in commendam & alias obtinent, ac in quibus & ad quæ eis jus competeret quæcunque, quotiescunque, qualia-

liacunque forent usque ad Apostolicæ beneplacitum Sedis communiter tenendum, regendum, & gubernandum auctoritate apostolica commendavimus curam regimen, & administrationem ipsius monasterii prefatis Patriarchæ & Episcopo in spiritualibus, & temporalibus plenarie committentes, ac sperantes quod dictum monasterium per ipsorum laudabile studium providentiæ dextera Domini eis assistente propitia votivis congratulabitur eventibus, ac continuum in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementum. Volumus autem quod propter commendam hujusmodi cultus divinus, ac solitus Monacorum & Ministrorum numerus in dicto Monasterio nullatenus minueretur quodque debitis, & consuetis ipsius Monasterii, ac vestris supportatis oneribus de residuis fructibus redditibus & proventibus prefati Monasterii disponere & ordinare libere, ac licite valerent sicut veri Abbates ipsius Monasterii qui pro tempore fuerunt de illis disponere, & ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt alienatione tamen bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium dicti Monasterii eis penitus interdicta. Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus eosdem Patriarcham & Episcopum tanquam administratores dicti Monasterii grato admittentes honore, & exhibentes ipsis obedientiam, & reverentiam debitas ac devotas eorum salubria monita, & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam quam ipsi Patriarcha & Episcopus hujusmodi durante commenda rite tulerint in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo quarto Decimo Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno Quinto.

Cum autem Daniel Scotus Concordiensis Episcopus Anno MCCCCXLIII. die xv. Julii Patavii ex hac vita migrasset, Eugenius IV. die xxiv. ejusdem mensis Monasterii supradicti regimen & administrationem Blasio Patriarchæ Jerosolymitano ex integro commendavit.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Blasio Patriarchæ Jerosolymitano salutem & Apostolicam benedictionem Romani Pontificis providentia circumspecta ecclesiis, & Monasteriis singulis quæ vacationis incommoda deplorare noscuntur ut gubernatorum utilium præsidio fulciantur prospicit diligenter, ac personis ecclesiasticis presertim Patriarchali dignitate præditis prout est decens & congruum de subventionis auxilio providet opportuno. Dudum siquidem Monasterium beatæ Mariæ de Maniachis Ordinis Sancti Benedicti Montisregalis Diocesis tunc certo modo vacans & cujus provisio antea dispositioni Apostolicæ reservata fuerat tibi, & bonæ memoriæ Danieli Episcopo Concordiensi per vos quoad viveretis tenendum, regendum, & gubernandum per alias nostras litteras commendavimus prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque postmodum prædictus Episcopus extra Romanam Curiam fuerit vita functus, Nos sperantes quod ipsum Monasterium sub tuo felici regimine duntaxat votivos in spiritualibus & temporalibus continget eventus motu proprio non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ peticionis instantiam Monasterium prædictum sic vacans cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, tibi per te una cum Jerosolimitano cui præesse dinosceris & aliis ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, & prebendis, cæterisque beneficiis ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus quæ etiam in commendam & alias obtines & expectes,

pectes, nec non in quibus & ad quæ jus tibi competit, nec non cum quibuscunque pensionibus tibi super quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus ecclesiasticis assignatis quæ omnia quæcunque, quotcumque, & qualiacunque sint eorumque, nec non dicti Monasterii fructuum, reddituum, & proventuum veros valores annuos ac hujusmodi pensionum quantitates præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis quoad vixeris tenendum, regendum, & etiam gubernandum auctoritate Apostolica commendamus illius curam, regimen, & administrationem tibi in eisdem spiritualibus, & temporalibus plenarie committentes. Ita quod debitis & consuetis Monasterii prædicti ac dilectorum filiorum Conventus ejusdem oneribus supportatis de residuis fructibus, redditibus, & proventibus ipsius monasterii disponere, & ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt alienationem tamen quorumcunque bonorum imobilium & pretiosorum mobilium ejusdem Monasterii tibi penitus interdicta. Volumus autem quod propter posteriorem comendam hujusmodi divinus cultus ac solicitus Monachorum, & Ministrorum numerus in ipso Monasterio nullatenus minuatur. Quo circa Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus curam regimen & administrationem hujusmodi per te, vel alium, seu alios sic geras sollicite, fideliterque, & prudenter, quo Monasterium ipsum utili gubernatori & fructuoso administratori gaudeat se commissum tuque preter æternæ retributionis premium & humanæ laudis preconium qui provide merebaris nostram & Apostolicæ Sedis benedictionis & gratiam merito consequi merearis. Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio Non. Kalendas Augusti Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ex chronicis notis hujus epistolæ ad Blasium Patriarcham datæ corrigendus venit Ughell. Tom. v. Ital. Sac. col. 1154. ubi asserit Blasium *cum præfuisset Gradensi utilissime annis fere* 12. mortuum esse anno gratiæ Evangelicæ 1439. eoque anno datum ei fuisse successorem Marcum Condulmerium Eugenii IV. nepotem. Verisimile est eo anno 1439. oneri renuntiasse; attamen adhuc in vivis degisse anno 1443. superius allato documento comprobatur, quinimo usque ad annum 1447. vitam produxisse ex Apostolicis Nicolai V. epistolis innotescit, quibus ipse Pontifex Martino Episcopo Corfiensi mandat ut causam inter Blasium Patriarcham ex una, & nonnullos Tarvisinos Cives ex altera parte vertentem debito fine decidat. Datæ fuerunt Romæ Pontificiæ epistolæ anno MCCCCXXXXVII. die tertia Junii, in quibus controversiæ series fusius exprimitur.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri Martino Archiepiscopo Corfiensi in loco Venetiarum Castellanæ Diocesis residenti Salutem & Apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Blasii Patriarchæ Jerosolimitani petitio continebat quod cum bonæ memoriæ Daniel Episcopus Concordiensis tempore sui obitus ipsi Patriarchæ Mitram, jocalia libros vasa argentea pecuniarum summas pannos laneos, aliaque res, & bona diversa sibi per dictum Patriarcham concessa restituere teneretur, ac sufficientia de quibus restauratio hujusmodi fieri potuisset per eundem Episcopum dicto tempore relicta & ad personam suam spectantia bona ad dilectos filios Victorem & Andream dictos de Malascotis Cives Tervisinos universales ipsius Episcopi in prefatis relictis bonis hæredes pervenissent quia prædicti Cives eidem Patriarchæ restitutionem hujusmodi contra justiciam facere recusarant eatenus pariter & recusabant, Apostolicas ipse Patriarcha super hiis ad Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Tarvisinum ejus proprio nomine non expresso in communi forma litteras impetravit, dictosque Cives qui tempore impetrationis earum, & etiam tunc

in hujusmodi recusatione persistebant super hoc petendo ipsos condemnari, & compelli ad faciendum sibi restitutionem prædictam coram Venerabili fratre nostro Hermolao Episcopo Tervisino fecit ad judicium evocari, ac idem Episcopus in hujusmodi causa ad aliquos actus inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat prefatus Episcopus a Civitate Tervisina frequenter absens sit ipsaque causa faciliter in loco Venetiarum Castellanæ Diocesis decidi valeret pro parte dicti Patriarchæ nobis fuit humiliter supplicatum ut ei super hiis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur presentibus ipsius statum causæ pro expresso habentes illamque ad nos advocantes & hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus vocatis Civibus prædictis & aliis qui fuerint evocandi causam ipsam in statu debito resumens illam ulterius audias, debitoque fine decidas faciens quod decreveris per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio, vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Non obstantibus felicis recordationis Bonifatii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quibus cavetur nequis extra suam Civitatem, vel Diocesim certis exceptis casibus & in illis ultra unam dietam a fine suæ Diocesis ad judicium evocetur. Se ne Judices a Sede Apostolica deputati extra Civitatem & Diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere sive alii, vel aliis vices suas committere præsumant & aliis apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscunque. Aut si Civibus prefatis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem Sede indultum existat quod interdici suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo Tertio Nonas Junii Pontificatus nostri anno Primo.

Superius enuntiato anno ad finem vergente Blasius Patriarcha mortalitatem exuit, siquidem die XXI. Novembris ejusdem anni Nicolaus V. datis ad Jeronymum de Molinis Blasii nepotem Apostolicis litteris nuncupativum Blasii testamentum irritum fecit & abolevit iis præsertim de causis, quæ late in ipso Diplomate exhibentur.

NIcolaus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Jeronymo de Molinis Clerico de Venetiis Castellanæ Diocesis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Romanus Pontifex, qui cunctorum fidelium curam gerit inter cæteras providentias suas inordinata ad debitum ordinem reducit ac deceptis subvenit decipientibus resistendo. Sane sicut accepimus cum bonæ memoriæ quondam Blasius Patriarcha Jerosolymitanus gravatus infirmitate, de qua decessit solicitaretur ut de bonis suis disponeret super quo a nobis licentiam habuerat certum asseritur fecisse testamentum nuncupativum sine scriptis præsentibus Notario & testibus in quo post nonnulla legata dicitur instituisse heredes pro equalibus partibus te nepotem suum ex fratre carnali genitum & Jacobum Bigneti Cancellarium Ecclesiæ Carnotensis familiarem suum ac pauperes Christi, & quia sicut veridice informati sumus tempore factæ dictæ institutionis prefatus Blasius aliquando in memoria vacillabat dictaque institutio fiebat præfato Jacobo interrogante & prius verba proferente postea dicto Blasio respondente & annuente quodque in absentia ipsius Jacobi interrogatus ipse quondam Blasius qualiter volebat de hæredis institutione ordinare nominato sibi dicto Jacobo nihil respondit, sed videbatur velle quod illud reli-

que-

quebat arbitrio dilecti filii Ludovici titulo Sancti Laurentii in Damaso Præsbyteri Cardinalis Patriarchæ Aquilegensis & Camerarii nostri per ipsum Blasium dicti Executoris suæ ultimæ voluntatis nec est verisimile quod dictus Blasius in sua firma memoria fuisset quod voluisset equaliter instituere dictum Jacobum qui auxilio & opera ipsius Blasii fuit alias assecutus nonnulla beneficia ecclesiastica ac officium Abreviatoris ex quibus competenter potest vivere & se sustentare & te nepotem suum. Nos itaque præmissis consideratis, attento etiam quod percepimus te juris Civilis studium continuare, nec alias de bonis patrimonialibus possis dictum studium & vitam tuam decenter sustentare attento insuper quod ex nostra & Sedis Apostolicæ mera liberalitate præfatus Blasius licentiam & facultatem habuit testandi, ita quod ad nos primo & principaliter bonorum quondam suorum dispositio pertinet & spectat ex certa scientia, & auctoritate Apostolica cassamus & annullamus dicti Jacobi institutionem, & ipsam haberi volumus pro infecta ac volumus, & ordinamus quod ipsa tertia pars bonorum dicti quondam Blasii sit tua, & tibi tradatur perinde, ac si tu non nominato dicto Jacobo in ipsis duabus partibus institutus per ipsum quondam Blasium fuisses decernentes irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Et ne ipse Jacobus qui eidem Blasio longo tempore servivisse dicitur, & executor testamenti per ipsum etiam fuit electus ab ipsis bonis ipsius quondam Blasii totaliter sit exclusus volumus quod dentur sibi de bonis ipsius in pecunia numerata, vel in rebus extimatis, vel extimandis usque ad centum florenos de Camera. Non obstantibus dicta institutione & aliis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cassationis, annullationis, ordinationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrario. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo undecimo Kal. Decembris Pontificatus nostri anno primo.

Nec satis visum fuit Pontificiæ Pietati Jeronymum ad ampliorem hæreditatis partem in patrui bonis evocare, sed jura ad ipsum *tam ratione personæ suæ, quam hæreditatis hujusmodi* spectantia a detentorum fraude, & violentia vindicari præcepit, siquidem anno MCCCCIIL. die xiv. Maii Divo Laurentio Justiniano tunc Episcopo Castellano per Apostolica scripta mandavit, ut occultos detentores bonorum prædictorum ad debitam restitutionem per monitionem, & excommunicationis sententiam impelleret.

NIcolaus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri .... Episcopo Castellano Salutem & Apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectus filius Jeronymus de Molino Clericus Castellanæ Diocesis bonæ memoriæ Blasii Patriarchæ Jerosolymitani in bonis & rebus ad eum ratione personæ suæ spectantibus heres quod nonnulli iniquitatis filii quos prorsus ignorat decimas census, fructus, redditus, proventus, possessiones, domos, terras, ortos, campos, prata, pascua nemora silvas molendina equos, jumenta, boves, vaccas, porcos, oves, jocalia, vasa argentea, erea, cuprea, stannea, lignea, ferrea, libros, cruces, calices, ornamenta ecclesiastica, litteras auctenticas, instrumenta publica, contractus, documenta, cedulas, scripturas, ceræ, vini, olei, grani frumenti, ligni, lanæ, lini, auri, argenti monetati, & non monetati quantitates debita legata pecuniarum summas & nonnulla alia mobilia & immobilia bona ad dictum Jeronymum tam ratione personæ suæ, quam hæreditatis hujusmodi legitime spectantia temere & malitiose occulta-

re, & occulte detinere præsumunt non curantes ea presato Jeronymo exhibere in animarum suarum periculum ipsiusque Jeronymi non modicum detrimentum super quæ idem Jeronymus Apostolicæ Sedis remedium imploravit. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus omnes hujusmodi occultos detentores decimarum censuum, fructuum, redditunm, proventuum, & aliorum bonorum prædictorum ex parte nostra publice in Ecclesiis coram populo per te, vel alium moneas ut infra competentem terminum qui eis presixus est præfato Jeronymo a se debita restituant & revelent, ac de ipsis plenam & debitam satisfactionem impendant, & si id non adimpleverint infra alium competentem terminum quem eis ad hoc peremptorie duxeris presigendum ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas, & eam facias ubi, & quando expedire videris usque ad satisfactionem condignam solempniter publicari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo Pridie Idus Maii Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mapheus Gerardus Patriarcha Venetiarum assentiente Capitulo Castellano livellat *sodalitio S. Rochi Venetiarum Patriarchium Gradense apud Ecclesiam S. Silvestri positum.*

13.

1486. 23. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

✠ Jesus ✠

In Christi Nomine Amen. Cunctis pateat evidenter presens publicum Instrumentum inspecturis, qualiter Reverendiss. in Christo pater & Dominus D. Mapheus Girardo Miseratione divina Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas per se, & successores suos, cum consensu Venerandi Capituli sui, ut instrumento publico apparet, volens meliorem facere conditionem infrascriptæ proprietatis sive domus Patriarchalis jurisdictionis suæ cum animo & intentione habendi debitas licentias tam a Sede Apostolica, quam ab Illustrissimo Ducali Dominio Venetiarum, dedit, cessit, livellavit, & emphitheoticavit in perpetuum livellum & emphitheosim eximio juris consulto D. Andreæ de Bolzano tanquam Guardiano Magno Schole S. Rochi Venetiarum & Sociis suis egregiis viris s. Jacobo da Siario Vicario, s. Baptistæ Leuli Vardiano, s. Ludovico Galturi, & s. Hieronymo de Marsilio decanis medii anni, & s. Marco de Musto, & s. Hieronymo Cahena, & s. Michaeli Bondi, & s. Marco Petri, & s. Andreæ Joannis decanis totius anni ibi presentibus, recipientibus, & stipulantibus, & acceptantibus nomine & vice dictæ Scholæ, ac omnium & singulorum dictæ Scholæ & Successorum suorum vigore partis inter eos captæ presentibus die & millesimo, cujus tenor talis est: 1486. *adi 23. Avrile in Capitolo Generale Parte, che mette mes. el Vardiano de consentimento dei soi compagni: Che el ditto mes. el Vardiano habia libertà de concludere e torre a livello da mes. lo Patriarcha el Patriarchato di S. Silvestro, e supplicare dove sia bisogno, e per poderse partire di quì, e fare circa de zò quello, che*

che parerà al ditto mes. lo Vardiano utile e necessario a simele cosa. Fo in capitolo homeni num. 123. della Parte de sì, num. 121. de nò num. 2. & e prexa. Ac dat igitur, & cedat, livellat, & emphitheoticat prefatus Reverendiss. Dom. Patriarcha suprascriptis omnibus, nomine quo supra, omnem & totam proprietatem sive domum appellatam Patriarchatum contrate & parochie Sancti Silvestri Venetiarum cum omnibus thalamis, salis, & quibuscunque aliis habentiis & pertinentiis spectantibus dicto Patriarchatui, & maxime quas in presentiarum tenet ad affictum Lazarus de Peteno conductor dictæ domus, ac cum quibuscunque aliis sibi spectantibus & spectare valentibus, ac etiam cum quibuscunque jurisdictionibus, auctoritatibus, & facultatibus prefati Reverendiss. D. Patriarchæ, ad habendum tenendum, gaudendum, usufructuandum, meliorandum, & non deteriorandum; & quicquid prædictis & eorum successoribus deinceps perpetuo placuerit faciendum, & hoc pro annuo livello sive canone ducatorum quinquaginta auri persolvendorum per dictos Dominos deputatos, & successores suos de bonis dicte schole prefato Reverendiss. D. Patriarchæ & successoribus suis canonice intrantibus omni & singulo anno. Hoc tamen declarato ex tunc, & eo cauto presens instrumentum & livellatio antedicta habeat & sortiri debeat effectum suum, quando per Summum Dominum Nostrum D. Innocentium divina providentia Papam VIII. vel alium habentem ad hoc potestatem concessa, & impertita fuerit licentia de taliter livellando, ut supra. Et similiter quando per excelsum Ducale Dominium Venetiarum fuerit concessa talis licentia de taliter livellando. Intelligendo, quod expensæ quæ fient, tam pro habenda licentia Apostolica, quam prefati Illustrissimi Ducalis Dominii Venetiarum, pro livellatione prædicta fienda persolvantur per dictum D. Guardianum & sotios dicte schole. Quæ omnia & singula in presenti instrumento contenta prædictæ partes una alteri, & altera uni, nominibus quibus supra, vicissim sibi promiserunt semper & perpetuo rata, grata, & firma habere, tenere, attendere, & observare, & in nullo contrafacere, vel venire aliqua ratione vel causa, de jure, vel de facto, sub pena refectionis damnorum, & expensarum, & interesse litis &c. Qua pena soluta, vel non, rata tamen & firma remaneant omnia & singula suprascripta, sub ypoteca & obligatione pro parte Reverendiss. D. Patriarchæ omnium sui Patriarchatus bonorum, & pro parte dictorum deputatorum & sociorum dictis nominibus omnium bonorum dicte schole mobilium, & immobilium presentium & futurorum. Renuntiantes omnibus & singulis privilegiis, juribus, legibus, ordinibus, commotionibus, & oppositionibus, quibus contra premissa conveniri possent, super quibus omnibus & singulis dictæ partes rogaverunt me notarium & Cancellarium infrascriptum, ut de predictis publicum conficiam instrumentum. Actum Venetiis in Patriarchali palatio in camera cubiculari. Anno Dominicæ Nativitatis MCCCCLXXXVI. Indictione IIII. die vero XXIII. Aprilis: presentibus D. Presb. Melchiore de Malaquinis, & Laurentio de Tortona Camerario prefati Reverendissimi D. Patriarche testibus vocatis, & rogatis.

Die 28. Junii 1486.

In Christi Nomine Amen.

Retulit Presb. Johannes Rugi Sacrista Ecclesiæ Venetiarum se de mandato Rev. Patris eximii doctoris D. Antonii Saracho Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopi Corinthiensis & Archidiaconi Ecclesiæ Venetiarum citasse omnes Dominos Canonicos per hoc mane pro infrascriptis specialiter peragendis in quo quidem capitulo interfuerunt, Ipse Reverendiss. D. Antonius Saracho Archidiaconus.

D. Gregorius Polo Archipresbiter.

D. Victor Rizo Primicerius.

D. Jo: Rulte Canonicus.

D. Bar-

D. Bartholomeus Johannis Canonicus.
D. Paulus Rosa Canonicus.
D. Paschalis de Ambrosiis Canonicus.

In Christi Nomine amen Anno Nativitatis ejusdem 1486. Indictione 4. die 17. Junii Convocato & congregato Capitulo Venerabilium Dominorum Canonicorum Ecclesiæ Venetiarum..... per Presb. Jo. Rugiam Sacristam de mandato ipsius Rev. D. Archidiaconi. In quo intersuerunt .... Dom. Canonici...... se reperientes. Qui unanimes & concordes, nemine ipsorum discrepante, prebuerunt assensum Reverendiss. Dom. Patriarchæ Venetiarum possendi auctoritate sibi concessa per Dom. Judices delegatos livellare & in emphitheosim ... concedere Dominis Guardiano, & sotiis Schole Batutorum S. Rochi domum sive proprietatem Patriarchatus S. Silvestri, illam videlicet partem, quam tenuit ad affictum Lazarus de Peteno cum suis structuris & edificiis thalamis & cameris &c.

Actum in Sacristia Ecclesiæ Venetiarum Præsentibus Presb. Jo. Rugia Sacrista dictæ Ecclesiæ, & Presb. Jo. de Curia Nova Mansionario in eadem Ecclesia testibus vocatis, & rogatis.

Nicolaus Franco Episcopus Tarvisinus Legatus Apostolicus committit duobus Subdelegatis Apostolicis, ut examinent, & inde approbent Emphitheosim Palatii Patriarchalis ad Sanctum Silvestrum concedendum Scholæ Sancti Rochi.

K 3.

1486. 26. Maii.

Ex Archivo Patriarchali.

NIcolaus Franco Episcopus Tarvisinus Legatus Apostolicus cum potestate Legati Cardinalis de latere per universum Venetorum Dominium. Venerabilibus nobis in Christo dilectis S. Crucis & S. Hieremiæ Venetiarum Plebanis Salutem in Domino. Ex injuncto nobis legationis officio ab Apostolica Sede libenter ad ea intendimus, que singularum Ecclesiarum presertim Cathedralium utilitas procuratur, ut illa optatum sortiatur effectum cum a nobis petitur Apostolico munimine roboramus. Dudum siquidem a felic. mem. Paulo Papa II. emanarunt litteræ tenoris subsequentis. Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus judiciis sit rectitudo justitiæ, & conscientiæ puritas observanda, id multo magis in commissionibus alienationum rerum Ecclesiasticarum convenit observari, in quibus de Christi patrimonio & dispensatione pauperum non de proprio ære, aut peculio agitur, aut tractatur. Quapropter oportet, ut in examinandis hujusmodi alienationum causis, que a Sede Apostolica in forma si in evidentem utilitatem cedant oneratis Ecclesiasticorum Judicum conscientiis delegantur. Nihil favor usurpet, nihil timor extorqueat; nulla expe....... justitiam, conscientiamque subvertat. Monemus igitur, ac sub interminatione divini juditii omnibus commissariis & delegatis hujusmodi districte precipimus, ut caute & diligenter attendant causas in litteris Apostolicis per supplicantes expressas, illasque solicite examinent, atque discutiant testes, & .... supernarratas veritate recipiant, & solum Deum pre oculis habentes omni favore, aut timo-

timore deposito ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in lesionem, aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant. Si quis aut Delegatus, aut Commissarius conscientiæ suæ prodigus in gravamen, aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam timorem, vel sordes alienationi consenserit, aut decretum, vel auctoritatem interposuerit, Inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat. Episcopus vero aut superior ab executione officii per annum noverit se suspensum ad examinationem detrimenti Ecclesiæ illati nihilominus condemnatur. S..... quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in divinis, irregularitatis laqueo se involvet, a quo non nisi per Summum Pontificem poterit liberari; Is vero qui dolo vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procuraverit aut per sordes, vel impressum alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurrerit, a qua non nisi per Romanum Pontificem possit absolvi, ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus quandocunque de premissis constiterit..... Volumus autem quod delegati & commissarii predicti de..... constitutionis nostre specifice moneantur, & in quibuscunque litteris commissionum hujusmodi hoc statutum nostrum inseratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum monitionis, precepti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1465. Idibus Maii Pontificatus Nostri Anno primo. Et deinde sicut exhibita nobis nuper pro parte Rev. Patris Domini Maphei Girardo Patriarchæ Venetiarum, & dilectorum in Christo filiorum Guardiani & sociorum suorum Confraternitatis, seu Schole S. Rochi Venetiarum petitio continebat. Quod ipse D. Patriarcha, olim cupierit Ecclesiæ & mense sue Patriarchalis conditionem efficere meliorem, quandam domum, Patriarchatum nuncupatam, sitam in contrata S. Silvestri Venetiarum ad dictam mensam suam Patriarchalem lege pertinet, ex qua domo annis quibus dicta domus locabatur pro affictu 44. ducatos dictus D. Patriarcha percipiebat Guardiano & sociis dictæ fratalee tunc existentibus sub certo meliori annuo censu ad perpetuam emphitheosim interveniente, tam consensu Capituli majoris Ecclesiæ Patriarchalis Venetiarum cum pacto hujusmodi concessionem juribus non subsistere, nisi prius habita auctoritate a Sede Apostolica concessit, Ut in quodam publico instrumento desuper confecto plenius dicitur contineri. Quare pro parte Domini Patriarchæ & Guardiani, & Sociorum præmissorum nobis fuit supplicatum Concessionem ad perpetuam emphitheosim hujusmodi auctoritate apostolica confirmare, & approbare dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes & dicte domus confinia & rerum valorem pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre tenore presentium auctoritate Apostolica a Summo D. N. D. Innocentio Papa VIII. nobis concessa jure legationis nostræ mandamus, Quatenus servata premissarum litterarum dicti D. Pauli firma super premissis dicta auctoritate vos diligenter informetis, & si per informationem hujusmodi ita esse, & concessionem ad perpetuam emphitheosim hujusmodi in ejusdem utilitatem mense prædicte cedere reperieritis, dictam concessionem ad perpetuam emphitheosim, seu livellum cum omnibus jam secutis dicta auctoritate approbetis, confirmetis, & roboretis. Supplentesque omnes & singulos defectus, si qui forte intervenerint. Datum Venetiis apud .... die 26. mensis Maii 1486. Pontificatus prefati Sanctiss. D. N. Papæ anno II.

Pleba-

Plebani S. Crucis, & S. Hieremiæ Subdelegati Apostolici approbant emphitheosim factam per Maphеum Gerardum Patriarcham Venet. de antiqua domo Patriarchatus Gradensis ad S. Silvestrum Scolæ S. Rochi.

L 3.

1486. 13. Junii.


Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi Nomine Amen. Nos Ludovicus Spirono Sanctæ Crucis & Nicolaus Riga Sancti Hieremie Ecclesiarum Plebani Judices Commissarii, & executores specialiter deputati a Reverendissimo in Christo Patre & Domino Dom. Nicolao Franco Episcopo Tervisino & Legato Apostolico cum potestate Cardinalis legati de latere per universum Dominium, terras, & loca Illustrissimi Ducalis Dominii Venetiarum, prout apparet ex suis patentibus litteris publicatis & registratis in Curia Patriarchali Venetiarum. Volentes causam livellationis & emphiteosis nobis spetialiter delegatam tandem modo debito expedire in executionem mandati nobis facti per dictum Reverendiss. D. Legatum, visa prius commissione dicti Domini Legati cum insertione constitutionis alias edite per bonæ memoriæ Paulum secundum sub certo suo sigillo impresso in quadam capsula ferata pendenti ad cordam rubeam ejusque toto tenore & forma bene considerato, & animadverso, maxime circa modum traditum in hujusmodi livellationibus fiendis. Visa presentatione nobis de ipsa facta per Egregium Virum D. Franciscum de Pace Decretorum doctorem, & Ecclesiæ S. Jacobi de Rivoalto Rectorem, tanquam procuratorem Reverendissimi in Christo Patris, & Domini Dom. Maphei Girardo miseratione divina Patriarchæ Venetiarum, Dalmatiæque Primatis una cum eximio doctore Dom. Andrea de Bulzano Guardiano Magno Scolæ & Fraternitatis S. Rochi, ac etiam £ Jacobo de Datiariis Vicario, & aliis sociis. Visa petitione producta per supradictum Dom. Franciscum Procuratorem una cum capitulis suis ad probandum, talem livellationem, si fieret, cedere & cessuram fore in evidentem utilitatem Patriarchatus Venetiarum, & mensæ ipsius. Visis & bene consideratis dictis & attestationibus omnium, & singulorum testium examinatorum super dictis capitulis ad probandum qualitatem & conditionem dicti loci, habitaque superinde matura deliberatione & demum cum personaliter contulerimus nos ad locum prædictum appellatum juxta vulgare *el Patriarcato*, Illumque & omnes ipsius partes, salas, porticus, cameras, & quæcunque alia bona, & minute examinaverimus, itaque clare, & oculata fide nobis constiterit dictam domum Patriarchalem, & quæcunque loca sua fore, & esse dirupta conquassata ex veteribus lapidibus & lignis corosis impresentiarum constructa, propter antiquam ejus fabricationem, itaque timendum sit omnia de brevi coruere, & deveniri ad ruinam. Propterea in Christi nomine repetito sedentes pro tribunali in domo prædicta super sala magna posita a parte interiori versus Canale magnum, quem locum pro idoneo elegimus ad hanc nostram sententiam proferendam in his scriptis auctoritate nobis delegata, ex qua fungimur in hac parte; Dicimus, sententiamus, exequimur, & difinimus fuisse & esse multum utile, & proficuum Patriarchatui Venetiarum, & mensæ ipsius dare & in perpetuum emphiteosim concedere partem domus Pa-

Patriarcalis situatæ in contrata Sancti Silvestri Venetiarum, quam alias tenuit, & tenet ad affictum quidem Lazarus Depenteno presfacte Schole Batutorum S. Rochi offerenti se ipsam acceptaturam ad livellum pro ducatis quinquaginta de anno in anno pro annuo Canone, & censu. Ipsamque livellationem si fieret, cedere & cessuram fore in evidentem utilitatem & commodum prefati Patriarchatus Venetiarum, & mensæ ipsius, & ita auctoritate suprascripta, & in hac parte nobis concessa damus, & impertimur liberam licentiam facultatem, & potestatem prefacto Reverendissimo Domino Patriarchæ, ut libere possit & valeat dictam partem domus dare, & in perpetuum emphiteosim concedere prefacte Scole S. Rochi sub annuo censu & canone Ducatorum quinquaginta confirmando, & approbando, prout per hanc nostram sententiam confirmamus, probamus & ratificamus quodcunque Instrumentum & scripturam aliam, que sequetur & fiet per dictum Reverendissimum Dominum Patriarcham cum dicta Schola. Quod quidem instrumentum fiendum ipsa schola teneat accipere a Reverendissimo Domino Patriarcha ad majorem declarationem concedendorum per ipsum Reverendissimum Dominum Patriarcham; Et hæc dicimus, pronuntiamus, & difinimus, & exequimur hoc & omni alio modo, via, jure, & forma, quibus magis & melius potest, & possumus.

Lata & publicata dicta sententia die XVI. Mensis Junii, ut supra 1486.

Presentibus Ven. Viro Dom. Presb. Francisco Nigeo Sancti Panthaleonis, Et Dom. Presb. Benedicto de Sacilo.
f. Matheo de Arcusinis quondam Domini Johannis de confinio Sancti Felicis, Et f. Francisco quondam f. Egidii de Civitate Belluni habitator Venetiarum de contrata Sancti Pauli testibus habitis, vocatis, & rogatis &c.



Mapheus Girardo Patriarcha Venetiarum concedit in emphiteosim Scholæ Sancti Rochi domum Patriarchatus Gradensis ad Sanctum Silvestrum.

M 3.

1486. 18. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi Nomine Amen. Cunctis pateat evidenter presens publicum Instrumentum inspecturis. Qualiter Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dom. Mapheus Girardus miseratione divina Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas; Visa licentia sibi concessa per Venerabilem in Christo Patrem Dominum Nicolaum Franco Legatum Apostolicum a latere & visa licentia Illustrissimi Consilii De X. Volens hiis gratiis & licentiis uti ad debitum effectum deducere per se, & successores suos & nomine sue mense Patriarchalis Interveniente consensu Rev. Capituli sui nulloque ductus errore, sed sponte, libere, & ex certa animi sui scientia, & animo deliberato, ac omnibus melioribus modo, via, jure, & forma, quibus magis & melius de jure fieri potest

potest & debet, ad hoc ut ecclesia sua sive mensa Patriarchalis prædicta habeat & percipiat majorem & evidentiorem utilitatem, & locus infrascripti in meliorem conditionem redigatur, jure livelli sive emphitheosis perpetualis, inherendo publico instrumento, dedit, cessit, livellavit, & emphitheoticavit sub annuo censu, seu canone infrascripto. Nec non dat, cedit, livellat, & emphitheoticat insigni jurisconsulto Dom. Andreæ de Bolzano Guardiano Schole Sancti Rochi, & s. Jacobo quondam Nicolai de Datiariis Vicario dictæ scholæ presentibus, & pro se, & omnibus confratribus dictæ Scholæ Sancti Rochi presentibus & absentibus & futuris stipulantibus, recipientibus, & acceptantibus domum sive locum Patriarchatus Sancti Silvestri cum omnibus & singulis suis juribus & pertinentiis, quæ & quas habet, seu habere posset, quæ infra suos confines acceptos, & annotatos de commissione nostra continentur cum accessibus & egressibus, & cum omnibus & singulis, qui in se habet, omnique jure & actione, usu seu requisitione ipsi domui sive loco spectantibus, & pertinentibus ad habendum, tenendum, gaudendum, usufructuandum, fabricandum, & quicquid prædictis & Confratribus presentibus & futuris perpetuo placuerit faciendum. Constituens se prefatus Reverendissimus Dominus Patriarcha suo, & successorum nomine dictam domum sive locum livellatum, ut supra, possidere, donec & quousque prefati presidentes dictæ scholæ ejus & confratrum nomine livellariorum possessionem acceperint corporalem. Quam accipiendi & in se perpetuo retinendi, & eam propria auctoritate nanciscendi, & intrandi omnimodam facultatem & licentiam dedit & concessit. Promittens prefatus Reverendissimus Dominus Patriarcha per se, & successores suos, ac mensæ Patriarchalis predictæ nomine prædictis livellariis, & successoribus suis de predicta domo, seu loco livellato, ut supra nullam unquam litem, aut molestiam inferre, aut ullo unquam tempore movere, nec moventi vel inferenti consentire. Sed ipsos livellarios, & successores suos perpetuo guarentare, defendere, manutenere, auctorizare, & disbrigare ab omni communi collegio & universitate de jure tantum omnibus dictæ Patriarchalis mensæ sumptibus.

Et prefati Domini Andreas Guardianus, & s. Jacobus Vicarius & Confratres omnes dictæ Scholæ per se, & successores suos promiserunt prefato Reverendissimo Domino Patriarchæ presenti & pro se, ejusque successoribus, & nomine dictæ Patriarchalis mensæ recipienti & stipulanti antedictam domum sive locum, ut supra, sibi livellatum habere, tenere, regere, & gubernare, & omnia necessaria pro meliorando fieri facere ipsam domum sive locum in effectu meliorando prout de jure facere tenentur, & debent. Et pro censu sive canone, aut livello dare, solvere, & reddere debeant omni & singulo anno ipsi Reverendissimo Domino Patriarchæ, ejusque successoribus ducatos quinquaginta auri, & cunei Veneti de sex mensibus, in sex menses incipiendo dictam livellationem die hodierno, qui est XVIII. mensis Junii MCCCCLXXXVI. Et sic deinceps de tempore in tempus omni objectione, & oppositione remotis, hoc pacto addito quod si dicti livellarii, vel successores voluerint ullo unquam tempore jura dicti sui livelli vendere, Teneatur prius denuntiare ipsi Reverendissimo Domino Patriarchæ vel successoribus suis, & eo vel eis recipere volentibus eis dare & vendere pro uno ducato minus quam alteri personæ. Et si emere recusaverit pro dicta mensa Patriarchali, tunc & eo casu facta sibi denuntiatione prædicta post dies XV. elapsos vendere possint cuicunque voluerit. Salvo semper jure livelli, dummodo non vendant Domino militi servo Ecclesiasticæ personæ, aut cui de jure prohibitum

tum est, Sed solum legitimis personis & bene attendentibus, & solventibus dictum livellum annuatim, & omnia & singula in presenti instrumento contenta observantibus. Et si aliter fieret, quod omnis venditio facta de dicta domo sive loco, ut supra, livellato non valeat nec teneat, sed libere, & expedite in ipsum Reverendissimum Dominum Patriarcham, & successores suos, & ad dictam Patriarchalem mensam revertatur; quæ omnia & singula in presenti instrumento contenta partes prædictæ una alteri, & altera uni nominibus, quibus supra vicissim sibi promiserunt semper, & perpetuo rata, grata, & firma habere, tenere, attendere, & observare, & in nullo contrafacere, vel venire aliqua ratione, vel causa de jure, vel de facto sub pena refectionis damnorum expensarum, & interesse litis & expensis. Qua pena soluta vel non, rata tamen & grata remaneant omnia & singula suprascripta. Sub ypoteca & obligatione omnium utriusque partis dictis nominibus bonorum mobilium, & inmobilium presentium & futurorum. Renuntiantes insuper omnibus feriis, diebus feriatis, statutis, privilegiis, & juribus omnibus, quæ aliis legibus, ordinibus, constitutionibus, & oppositionibus, quibus quam premissa, vel eorum aliquod altera ipsarum partium posset contravenire, vel aliqualiter se tueri & specialiter legi .... generalem renuntiationem non valere nisi precesserit specialis. Super quibus omnibus & singulis dictæ partes rogaverunt me notarium & cancellarium infrascriptum, ut publicum conficiam instrumentum.

Actum Venetiis in Patriarchali palatio anno Dominicæ Nativitatis MCCCCLXXXVI. Indictione IIII. die 18. Junii Presentibus Venerabilib. Viris Presb. Benedicto de Lidure de Sacillo, & Presb. Merchiore de Malaquinis, & Laurentio de Tortona testibus vocatis, & rogatis.

L. S. Ego Philippus Ariminensis quondam Federici publicus Imperiali auctoritate Notarius ac Cancellarius prefati Reverendiss. Dom. Patriarchæ his omnibus & singulis rogatus interfui, & roboravi, & in fidem me subscripsi signumque meum apposui consuetum.



Innocentius VIII. committit Episcopo Spalatensi & Plebano Sancti Paterniani, ut detentores bonorum Ecclesiæ Sancti Silvestri ad restitutionem compellant.

N3.

1491. 31. Maii.

Ex Autographo in Archivo Ecclesiæ Sancti Silvestri.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Bartholomeo Episcopo Spalatensi Venetiis commoranti & dilecto filio plebano ecclesie Sancti Paterniani Venetiarum (a) Salutem & Apostolicam benedictionem Dilecti filii Aluisii Bagatti Plebani ecclesie Sancti Silvestri Venetiarum precibus inclinati presentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ea, que de bonis Plebanatus dicte ecclesie alienata inveneritis illicite, vel distracta ad jus & proprietatem ejusdem Plebanatus legitime revocare curetis. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellatis veritatis testimonium perhibere. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo nonagesimo primo Pridie Kal. Junii Pontificatus Nostri anno Septimo.
A. de Ballapanibus.

(a) Gasparinus Dardo, de quo ad Ecclesiam Sancti Paterniani.



Leo Papa X. concedit Indulgentias visitantibus Ecclesiam Sancti Silvestri statutis diebus, & eleemosinas erogantibus ad reædificationem Capellæ omnium Sanctorum unitæ, & incorporatæ Ecclesiæ Sancti Silvestri.

O3.

1518. 12. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Sancti Silvestri.

Leo Papa X.

UNiversis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Pastoris æterni, qui non vult mortem, sed conversionem peccatorum, vices, licet immeriti, gerentes in terris, gregem Dominicum curæ nostræ commissum ad vitam lucis eternæ, quantum cum Deo possumus,


mus, perducere desideramus; & juxta creditum nobis Apostolicæ servitutis officium fideles singulos, quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia, ad pia & meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus libenter inducimus, ut per eorumdem operum exercitium suorum abolita macula delictorum ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire mereantur. Cupientes igitur, ut Capella magna in Collegiata Ecclesia Sancti Silvestri Venetiarum, quæ Omnium Sanctorum nuncupabatur, ac a fel. rec. Alexandro Papa III. predecessore nostro consecrata fuit, propter terræmotum, & incendium, quod superioribus annis in Rivoalto ejusdem Civitatis fuit, ruinæ subjacet, & dudum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Silvestri unita, annexa, & incorporata extitit, a Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, & in debita veneratione habeatur, in suis structuris & edificiis debite reparetur, construatur, & manuteneatur, ac ejus campanile etiam combustum, quod separatione & edificatione non modica indiget, reparetur: ipsique Christifideles eo libentius devotionis causa ad eandem Ecclesiam Sancti Silvestri confluant; & ibi pro præmissis manus promptius porrigant adjutrices, quo exinde pro animarum salute majora munera spiritualia adipisci posse cognoverint. De Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pænitentibus & confessis, seu firmum propositum confitendi tempore congruo habentibus, qui Ecclesiam predictam a primis Vesperis festi Sancti Silvestri proxime futuri usque ad occasum Solis ejusdem festi, & a primis vesperis secundæ Dominicæ Quadragesimæ proxime futuri anni MDXVIIII. usque ad occasum Solis ejusdem Dominicæ inclusive devote visitaverint, & ad reparationem, & edificationem hujusmodi de bonis suis a Deo collatis manus porrexerint adjutrices, in loco seu capsa per dilectum filium Andream de Tebaldis illius Rectorem & plebanum deputanda posuerint, seu senes & valetudinarii ac mulieres, & alii legitimo impedimento detenti, qui etiam, ut prefertur, manus adjutrices per alios transmiserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem auctoritate Apostolica tenore præsentium in Domino elargimur. Quodque pia sufragia hujusmodi per eosdem Christifideles pro animarum parentum, affinium, & benefactorum pie eroganda etiam animabus Christifidelium defunctorum hujusmodi in purgatorio consistentium per modum suffragii de Thesauro spirituali sanctæ matris Ecclesiæ prodesse possint & valeant, perinde ac animabus ipsorum viventium, & elemosinas hujusmodi elargientium prosunt & prodesse possunt, dicta auctoritate concedimus. Et ut ipsi Christifideles ad Ecclesiam ipsam pro hujusmodi indulgentia consequenda accedente illum, Deo propitio facilius consequi possint, Andreæ Rectori prefato aliquos presbiteros idoneos seculares, vel cujusvis etiam mendicantium ordinis regulares, qui tempore indulgentiæ hujusmodi, & octo dies ante in ipsa Ecclesia seu Capella, & illius ambitu confessiones audire, & illis diligenter auditis, ipsos & eorum singulos ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantuncunque gravibus & enormibus, etiam si talia forent, propter quæ Sedes Apostolica merito consulenda foret, preterquam machinationis in personam Summi Pontificis, occisionis Episcoporum, aut aliorum superiorum prelatorum, & injectionis manuum violentarum in illos, aut alios prelatos, falsificationis Bullarum, & litterarum Apostolicarum, delationis Armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum & censurarum occasione aluminum tulphe, ac ab infidelibus ad fideles contra prohibitionem Rom. Pont. delatorum incursarum, & aliis contentis in bulla Cenæ Do-

Domini absolvere eisque penitentiam salutarem injungere. Vota vero quæcunque ultramarina, visitationis liminum Apostolorum Petri & Pauli de Urbe, Sancti Jacobi in Compostella, Sanctæ Mariæ de Laureto, castitatis & religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare facultatem & potestatem concedimus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis suspensionibus, revocationibus, & annullationibus similium, vel dissimilium indulgentiarum etiam pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & pro expeditione contra infideles factis & faciendis, quibus presentes nullatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi decernimus. Ceterisque contrariis quibuscunque, presentibus post festa prædicta minime valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XII. Novembris MDXVIII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Bembus.



DE



DE
ECCLESIA PAROCHIALI S. APOLLINARIS EPISCOPI ET MARTYRIS.

RAVENNA urbe Græci Exarchatus in Italia olim Principe, digressus quidam ex nobili familia Sciavola nomine Alexander, Venetias, ubi mansuram Sedem figeret, se se adduxit, ibique ad Rivoaltum Ecclesiam construxit anno humanæ salutis 1034. quam Divo Apollinari Martyri Ravennatum Patrono sacram esse decrevit.

Huic ædificationi auxilium præbuisse familiam Rampanam origine pariter Ravennatem asserunt duo Chronologi anonymi, & tertius pariter Anonymus Altinates qui sæculo XIII. floruit, incondite scribit, *Banipolli ipsi fecerunt Ecclesiam Sancti Apollinaris*.

Patriarchatus Gradensis Archipresbytero olim ad ejus inopiam sublevandam anno 1212. concessum fuisse hujusce Ecclesiæ Plebanatum, ex Innocentii Papæ III. Epistolis colligitur Tom. 2. pag. 704. editionis Parisiensis. Cum enim tanto tempore Plebanatus S. Apollinaris rectore vacasset, ut secundum Lateranensis Concilii statuta, ejus provisio jam esset ad Apostolicam Sedem

Sedem devoluta, Sicardus Casalenus Episcopus Cremonensis (Ital. Sacr. Tom. IV. col. 605.) qui ea tempestate Venetiis Pontificii Legati munere fungebatur, attendens redditus Archidiaconatus Gradensis penitus esse nullos, Plebanatum vacantem ipsi Archidiacono de Apostolicæ legationis authoritate concessit. Archidiaconus vero, ut Legati largitio firmior evaderet, Innocentium Pontificem dato supplici libello humiliter exoravit, ut concessionem eandem Apostolico dignaretur munimine roborare. Supplicis vota excepit Pontifex, datisque epistolis, Abbati SS. Felicis, & Fortunati de Ammiano, atque Archipresbytero Capitis Aggeris per Apostolica scripta mandavit, ut *inquisita plenius, & cognita veritate* si redditus Archidiaconatus ejusdem adeo *tenues* invenirent, *& exiles, quod non posset de ipsis dictus Archidiaconus congrue sustentari, Plebanatum prædictum* eidem sicut justum fuerit confirmarent, & ipsum Archidiaconum facerent pacifica ejusdem possessione gaudere.

„ Abbati Sancti Felicis, & Archipresbytero Capitis Aggeris „ Torcellanæ, & Clugiensis Diocesum. Significavit nobis Ar„ chidiaconus Gradensis, quod cum Plebanatus S. Apollinaris „ de Venetiis tanto tempore vacavisset, quod secundum Late„ ranensis Concili statuta ad nos ejus erat donatio devoluta, „ Venerabilis Frater noster Episcopus Cremonensis Apostolicæ „ Sedis Legatus attendens redditus Archidiaconatus ejusdem „ pene penitus esse nullos, Plebanatum præfatum sibi lega„ tionis authoritate concessit. Unde nobis humiliter supplica„ vit, ut concessionem eamdem Apostolico dignaremur munimi„ ne roborare. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scri„ pta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & „ inquisita plenius, & cognita veritate, si redditus Archidia„ conatus ejusdem adeo esse inveneritis tenues, & exiles, „ quod non possit de ipsis dictus Archidiaconus congrue su„ stentari, Plebanatum prædictum eidem, sicut justum fuerit, „ confirmetis, & faciatis ipsum pacifica ejusdem possessione gau„ dere, contradictores, si qui fuerint, per censuram Ecclesia„ sticam appellatione postposita compescentes.

„ Datum Laterani IV. Nonas Januarii Pontificatus nostri „ anno XV.

Sæcu-

Sæculo xvi ineunte Ecclesiam reædificatam fuisse, cum alia Ecclesiæ documenta non suppetant, ex pia supplicatione innotescit, quam Plebanus ipsius Ecclesiæ Marcus de Placentinis Divino cultui addictissimus sponte Eugenio IV. porrexit; in qua quidem exposuit nonnulla suæ Ecclesiæ beneficia redditus adeo tenues possidere, ut ipsi beneficiati ex eis se commode sustentare, & ibi inservire ut decebat, non possent, quapropter ipsum Pontificem exorabat ut apostolica authoritate tertiam partem redditum ad Plebanos pro tempore pertinentem in Cleri sustentationem perpetuo assignari decerneret. Divo Laurentio Justiniano tunc temporis Castellano Episcopo rem rite cognoscendam demandavit Eugenius, ei per apostolica scripta præcipiens, ut secundum Deum quidquid sibi videretur ad Divini cultus incrementa statueret. Cum vero, dum hæc agebantur, Plebanus ultra sexcentos argenteos, quos Veneti *Ducatos* vocant, ad Ecclesiæ reædificationem exposuisset, aliosque plures pro pietatis suæ instituto erogandos pararet, Sanctus Episcopus ex celesti, qua præditus erat, prudentia ita negotium temperavit, ut assignata ad Titulatorum alimoniam tertia parte fructuum mensæ Parochialis, juberet exinde decreti exequutionem ad obitum usque benemeriti Plebani prorogari. Ipso autem Marco Plebano viam universæ carnis ingresso, ex Episcopali D. Laurentii Decreto inter Franciscum de Sampsonibus, qui supralaudato Marco in Plebanatu successerat, & Clericos titulatos cum quæstio esset exorta, ex sententia ejusdem Sancti Episcopi, (cui pars utraque arbitria sua commiserat) statutum est, ut Franciscus Plebanus quotannis quamdiu Plebanatum ipsius Ecclesiæ obtineret, quadraginta argenteos, seu *Ducatos* inter Ecclesiæ Clerum dividendos exsolveret, eo vero decedente, tertia pars Parochialium redditum ad ipsos titulatos, ut jampridem statutum erat, illico deveniret. Francisco vita functo, in Ecclesiæ administratione surrogatur Antonius Graselli qui laudabili obedientia ab ipso sui regiminis exordio Divi Laurentii acta ex integro approbavit, tertiamque redditum partem *certo tempore* Titulatis & promisit, & solvit, eaque omnia Patriarcha Venetiarum Mapheus Girardus novo ordinariæ suæ authoritatis decreto roboravit. Ex annua ipsius portionis divisione nova subinde emerserunt dissidia, ad quæ perpetuo tollenda visum est prudenti sane consilio, authorita-

tem Apostolicam implorare, ut ex ipsius decreto Plebanatus bona per honestos viros æque in tres partes dividerentur, quarum duæ ad Parochialem mensam, tertia vero ad Titulatorum alimoniam assignarentur. Hæc autem omnia Pontificio Innocentii VIII. diplomate statuta per Mapheum Gerardum Venetum Patriarcham executorem, & Commissarium ad ea perficienda delegatum anno 1490. die XIV. mensis Junii fuerunt coram partibus dissidentibus solemni exequutioni demandata (A).

Ex antiqua hujus Ecclesiæ traditione quiescere dicitur in ea corpus S. Jonæ Prophetæ, cujus deductio unde, & quando peracta sit ignoratur: venerandum ejus caput ad aram lateralem marmoreo loculo includitur, reliqua vero lipsana ignoto loco recondita latent, cujus memoria vel ex temporum injuria, vel ex virorum desidia omnino deperiit. S. Sigismundi Regis, & M. Brachium, Divæ Catharinæ Alexandrinæ V. digitus, & nonnulla Bethleemitarum puerorum ossa Templum hoc locupletant, cui præcipuum decus confert Dominicæ Coronæ spina vivifico ejus cruore conspersa.

Ad annum MDCXXX. die 25. Julii Divo Jacobo Majori Apostolo sacra per manus Joannis Theupoli Patriarchæ Venetiarum consecrationis unctionem Ecclesia solemni ritu percepit; cujus memoria ut perennis duraret marmori insculpta fuit.

D. O. M.

„ Divoque Apolinari Ravenn. Episcopo Has Ædes Joannes „ Theupolus Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas Sacravit Dicavit. sub regimine Laurentii Arrigonii Templi „ Antistitis. Anno Domini MDCXXX. Nicolao Contareno Duce sub fœlicibus auspiciis Domini Horatii de Gaburiis Guardiani, ac Dom. Antonii de Cruce Avicarii, nec non Bartholomæi de Rozzetis Scribæ una cum sociis MDXCVII. „ die XV. Martii.

Index

Index Chronologicus Plebanorum Ecclesiæ Sancti Apollinaris.

1088. Dominicus Campulus, qui in inferius afferendo instrumento nominatur Archidiaconus, & Plebanus Sancti Apollinaris, cujus Ecclesiæ Archidiaconus fuerit, Venetæ an Gradensis, non constat. Terram, quæ olim de Ecclesia S. Silvestri fuerat, accepit a Vitali filio Rustici de reto (fortasse de Aretio) in Wadimonio. De voce Wadimonium, quæ fidejussio est, seu pignus fuse Cangius in Glossario Mediæ & Inf. Latin. Tom. vi. littera v.

" In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.
" Anno ab incarnatione ejusdem redemptoris nostri millesimo octuagesimo octavo mense octubrio indictione
" duodecima rivoalto. Breviarium rec. facimus Nos quidem Johanes Justinianus de rivo businiaco qui sum fi-
" dejussor & ego badovarius aurius judex misi eum in
" ipso Wadimonio. De ipso Wadimonio quod dedit vita-
" lis filius rustici de rezo nunc autem habitator hic in
" rivoalto per consensum ejusdem rustici patris sui ad
" dominicum campulum archidiaconum & Plebanum ec-
" clesie sancti apollenaris & ad ejus ecclesiam sancti apol-
" lenaris ante presentiam Vitalis Faletri dedoni Dom. no-
" stri ducis & imperialis protousevasto. De ipsa videlicet
" terra que olim fuit de vinea ecclesie Sancti Silvestri se-
" cundum quod est posita juxta ipsam terram que est de
" jamdicto dominico campulo archidiacono quam predi-
" ctam terram ipsi adquisiverunt de steffano candiano &
" ipsi eandem terram ab hac die in antea nec impigna-
" re, nec donare, nec venundare, nec commutare, nec
" alienare debent nisi tantum & ad jamdictum domini-
" cum campulum archidiaconum, vel ad ejus ecclesiam
" Sancti apollenaris per tale videlicet precium quale a
" bonis hominibus apreciata fuerit & valuerit, & istud
" Wadimonium semper firmum & stabile debet persiste-

„ re, & aliter corrumpi, vel frangi non debet nisi per
„ securitatis Cartulam.
„ ✠ Ego Vitalis Faletro dei gratia dux me presente datum
„ fuit suprascriptum Wadimonium.
„ ✠ Ego Justinianus de eo quod superius legitur fideijuxor sum.
„ ✠ Ego Badovario aurio judex m. m. ss.
„ Ego Tribunus clericus calvus & Notarius, complevi
„ & roboravi.

1182. Petrus Presbyter Plebanus S. Apollinaris. Ex donatione Henrici Danduli Ducis facta Ecclesiæ Gradensi cui subscripsit ut testis.

1212. N. Archidiaconus Gradensis. Ex superius allato diplomate Innocentii Papæ III.

1223. Petrus Sterminius Canonicus Ecclesiæ Patriarchalis Constantinopolitanæ. Hic dum adhuc esset Presb. Ecc. S. Apollinaris adlectus fuit die VIII. Maii anno MCCV. cum aliis undecim Venetis Sacerdotibus, ut Patriarcham Constantinopolitanum eligerent, quod & perfecerunt assumentes ad Patriarchalem Sedem Thomam Maurocenum Nobilem Venetum. *Andreas Maurocenus Aquisto di Constantinopoli lib.* III. *pag.* 217. Venetiis inde reversus electus fuit Ecclesiæ Divi Apollinaris Plebanus, atque anno MCCXXIII. suæ Ecclesiæ nomine soluto pretio emit a Joanne Contareno Plebano S. Silvestri quandam petiam de terra vacua in confinio S. Silvestri positam, venditionem confirmante Angelo Baroccio Gradensi Patriarcha.

„ In nomine domini dei & salvatoris nostri Jesu Christi. „ Anno Domini millesimo, ducentesimo, vigesimo tertio, mense octubrio, die duodecimo exeunte, indictione duodecima. „ rivoalti. Cum aliquid alicui venditur seu datur, dignum „ est ut scripture vinculo anotetur, ne decurrente tempore „ oblivioni tradatur. Quapropter nos quidem Johanes contareno plebanus ecclesie S. Silvestri cum sacerdotibus, & clericis ejusdem ecclesie quorum nomina infra scripta sunt, consentiente nobis domino angelo barocio dei gratia sancte gradensis ecclesie patriarcha & dalmatie primate, & nostris suc-

„ ces-

„ cessoribus ab hodie in antea in dei & christi nomine damus, „ vendimus, atque transactamus vobis petro sterminio presbitero. & plebano ecclesie S. Appollinaris nomine ipsius ecclesie, & vestris successoribus in perpetuum cunctam videlicet, „ & super totam unam peciam de terra vacua in confinio S. „ Silvestri positam que est de jure & pertinentiis suprascripte „ ecclesie S. Silvestri secundum quod firmat unum suum caput in calli que discurrit ad ecclesiam S. Appollinaris & ad „ ecclesiam S. Silvestri, & aliud suum capud firmat in calli „ publica unum suum latus firmat in calli suprascripte ecclesie S. Appollinaris, & aliud suum latus firmat in proprietate que quondam fuit de candianis, & nunc est de heredibus „ Johannis de.... Habet ipsa pecia de terra per suam latitudinem pedes duodecim & per suam longitudinem pedes octuaginta hanc autem terram, & supertotam suprascriptam & „ predesignatam peciam de terra vacua cum omni sua longitudine & latitudine cum capitibus & lateribus suis, cum „ callibus quoque & viis suis, cum accessu & egressu suo per „ terram, & per aquam, atque cum omnibus suis habentiis „ & pertinentiis, ac universis adjacenciis suis intus & foris, „ que tam subtus terram, quam supra terram ibidem adesse „ noscuntur & sicut a suprascripte nostre ecclesie S. Silvestri „ predecessoribus & a nobis, & a suprascripta nostra ecclesia „ dominata & retenta extitit ita eam vobis prefato plebano „ suprascripte ecclesie S. Appollinaris nomine ipsius ecclesie, „ & successoribus vestris damus, vendimus, & per omnia inde nos foris facimus, atque ipsam in vestra virtute & potestate plenissima transactamus amodo in antea intromittendi, „ habendi, tenendi, dandi, donandi, dominandi, vendendi, „ commutandi & inperpetuum possidendi, vel quicquid inde vobis placuerit faciendi cum omni vigore, & robore de omnibus cartis novis & veteribus ad ipsam pertinentibus nullo vobis homine contradicente. Precium autem placitum, „ completum, ac definitum exinde nobis dedistis libras denariorum venetorum centum quinquaginta. quas expendidimus „ in opere & utilitate suprascripte nostre ecclesie S. Silvestri. „ Quapropter plenam & irrevocabilem securitatem facimus nos „ suprascriptus Johannes contareno dicte Ecclesie S. Silvestri „ plebanus cum presbiteris, & clericis ejusdem ecclesie S. Sil-

„ ve-

„ vestri inferius subscriptis, & nostris successoribus vobis su-
„ prascripto petro sterminio presbitero & plebano dicte Eccle-
„ sie S. Appollinaris nomine suprascripte ecclesie vestre, & ve-
„ stris successoribus: quatenus amodo in antea tam de supra-
„ scripta, & predesignata pecia de terra, quam eciam & de
„ toto suprascripto ejus precio securi, & quieti permaneatis
„ inperpetuum. Nos nichil inde remansit unde vos amplius
„ requirere, aut compellere valeamus per ullum ingenium.
„ Si igitur contra hanc vendicionis, & securitatis cartam ire
„ temptaverimus tunc emendare debeamus cum nostris suc-
„ cessoribus vobis, & vestris successoribus totum suprascriptum
„ pretium in duplum & insuper auri libras quinque & hec ven-
„ dicionis, & securitatis carta in sua firmitate permaneat.

„ ✠ Ego Angelus barrocius dei gratia gradensis patriarcha
„ & dalmacie primas consencio & subscribo.
„ ✠ Ego Johanes contareno pleb. eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Johanes eccl. S. Silvestri presb. m. m. ss.
„ ✠ Ego Jacobus Gradonicus preb. eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Presb. Mattheus eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Mattheus clericus S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Petrus clericus eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Mattheus clericus eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Paulus clericus eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ Ego Andreas feulo presb. & Not. complevi, & roboravi.
„ ✠ Ego Johanes bonus Presb. & Pleb. Eccl. Sancte Ma-
„ rie Matris Domini rogat. tt. ss.
„ ✠ Ego Bartholomeus S. Pauli presb. rogatus tt. ss.
„ ✠ Ego Johannes de raynerio Presb. S. Pauli & Not. ut
„ vidi in matre testis sum in filia.
„ ✠ Ego Marcus Viadron Judex Examinatorum ut vidi in
„ matre testis sum in filia.

„ Ego Philippus S. Appollinaris Presb. & Not. hoc exem-
„ plum exemplavi anno ab Incarnatione D. N. J. C. mil-
„ lesimo ducentesimo octuagesimo primo mense octobri
„ die sextodecimo exeunte indict. decima rivoalti nichil
„ addens vel minuens quod sententiam mutet, comple-
„ vi & roboravi.

1288.

1288. Angelus Beaqua die VIII. Julii ut testis subscribit venditioni factæ Monasterio S. Antonii Abbatis de Torcello. Ex Catastico ejusdem Monasterii.

1348. Nicolaus de Rubeis de Tarvisio Legum Doctor Canon. Castellanus. Ex Chronico Caroldi.

1377. Simon Maurocenus Canon. Castell. Ex rog. Antonii de Belantinis Notarii.

1399. Franciscus de Pavonibus. Ex codice vulgo Matricola Sodalitii Magni S. Mariæ de Charitate.

1401. Morandus de Coronellis. Fuit prius Pleb. S. Geminiani. Ex Archivo Ecclesiæ.

1409. Jacobus de Campis. Fuit prius Pleb. S. Martialis. Ex catast. S. Mariæ Servorum de Venetiis.

1430. Marcus de Placentinis Judex super decimis exigendis constitutus a D. Laurentio Justiniano Episc. Castell. Ex Archivo Ecclesiæ.

1445. Franciscus de Sampsonibus. Ex Arch. Eccl.

1488. Antonius Graselli Sac. Theol. Professor, & Notarius. Ex rog. ejusdem.

1495. Jacobus Grassolarius Doctor, Notarius, & Aulæ Ducis Venetiarum Cancellarius, Canon. & Vicarius Ducalis Basilicæ, Archipresb. Congr. S. Mariæ Formosæ; Edidit constitutiones adjectas antiquo Ceremoniali Ecclesiæ S. Marci. Ex rog. ejusdem.

1534. Joannes Baptista de Electis Doctor, & Diaconus Titulatus S. Barnabæ, cujus meminit in suis epistolis Paulus Manutius, Canon. & Vic. Eccl. S. Marci, Archipreb. Congr. S. S. Hermagoræ, & Fortun. Obiit 22. Junii 1555. Ex Arch. Eccl.

1555. Joannes Baptista de Electis Junior antecessoris nepos Canonicus & Vicarius Ducalis, Archipresb. S. S. Herm. & Fortun. perorandi arte admirabilis edidit epistolas, & orationes, & nomenclaturam nominum Romanorum ordine alphabetico distinctam. Ob. 1584. die 21. Augusti. Ex Arch. Eccl.

1584. Julius Venturini Canon. Ducalis Archipresb. Cong. S. Mariæ Matris Domini. Ob. 28. Aprilis 1607. Ex lib. Ecclesiæ.

1607. Facinus Buora ex Presbytero Sancti Samuelis electus Ple-

banus,

„ vestri inferius subscriptis, & nostris successoribus vobis su-
„ prascripto petro sterminio presbitero & plebano dicte Eccle-
„ sie S. Appollinaris nomine suprascripte ecclesie vestre, & ve-
„ stris successoribus: quatenus amodo in antea tam de supra-
„ scripta, & predesignata pecia de terra, quam eciam & de
„ toto suprascripto ejus precio securi, & quieti permaneatis
„ inperpetuum. Nos nichil inde remansit unde vos amplius
„ requirere, aut compellere valeamus per ullum ingenium.
„ Si igitur contra hanc vendicionis, & securitatis cartam ire
„ temptaverimus tunc emendare debeamus cum nostris suc-
„ cessoribus vobis, & vestris successoribus totum suprascriptum
„ pretium in duplum & insuper auri libras quinque & hec ven-
„ dicionis, & securitatis carta in sua firmitate permaneat.

„ ✠ Ego Angelus barrocius dei gratia gradensis patriarcha
„ & dalmacie primas consencio & subscribo.
„ ✠ Ego Johanes contareno pleb. eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Johanes eccl. S. Silvestri presb. m. m. ss.
„ ✠ Ego Jacobus Gradonicus preb. eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Presb. Mattheus eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Mattheus clericus S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Petrus clericus eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Mattheus clericus eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ ✠ Ego Paulus clericus eccl. S. Silvestri m. m. ss.
„ Ego Andreas feulo presb. & Not. complevi, & roboravi.
„ ✠ Ego Johanes bonus Presb. & Pleb. Eccl. Sancte Ma-
„ rie Matris Domini rogat. tt. ss.
„ ✠ Ego Bartholomeus S. Pauli presb. rogatus tt. ss.
„ ✠ Ego Johannes de raynerio Presb. S. Pauli & Not. ut
„ vidi in matre testis sum in filia.
„ ✠ Ego Marcus Viadron Judex Examinatorum ut vidi in
„ matre testis sum in filia.

„ Ego Philippus S. Appollinaris Presb. & Not. hoc exem-
„ plum exemplavi anno ab Incarnatione D. N. J. C. mil-
„ lesimo ducentesimo octuagesimo primo mense octobri
„ die sextodecimo exeunte indict. decima rivoalti nichil
„ addens vel minuens quod sententiam mutet, comple-
„ vi & roboravi.

1288.

1288. Angelus Beaqua die VIII. Julii ut testis subscribit venditioni factæ Monasterio S. Antonii Abbatis de Torcello. Ex Catastico ejusdem Monasterii.
1348. Nicolaus de Rubeis de Tarvisio Legum Doctor Canon. Castellanus. Ex Chronico Caroldi.
1377. Simon Maurocenus Canon. Castell. Ex rog. Antonii de Belantinis Notarii.
1399. Franciscus de Pavonibus. Ex codice vulgo Matricola Sodalitii Magni S. Mariæ de Charitate.
1401. Morandus de Coronellis. Fuit prius Pleb. S. Geminiani. Ex Archivo Ecclesiæ.
1409. Jacobus de Campis. Fuit prius Pleb. S. Martialis. Ex catast. S. Mariæ Servorum de Venetiis.
1430. Marcus de Placentinis Judex super decimis exigendis constitutus a D. Laurentio Justiniano Episc. Castell. Ex Archivo Ecclesiæ.
1445. Franciscus de Sampsonibus. Ex Arch. Eccl.
1488. Antonius Grasselli Sac. Theol. Professor, & Notarius. Ex rog. ejusdem.
1495. Jacobus Grassolarius Doctor, Notarius, & Aulæ Ducis Venetiarum Cancellarius, Canon. & Vicarius Ducalis Basilicæ, Archipresb. Congr. S. Mariæ Formosæ; Edidit constitutiones adjectas antiquo Ceremoniali Ecclesiæ S. Marci. Ex rog. ejusdem.
1534. Joannes Baptista de Electis Doctor, & Diaconus Titulatus S. Barnabæ, cujus meminit in suis epistolis Paulus Manutius, Canon. & Vic. Eccl. S. Marci, Archipreb. Congr. S. S. Hermagoræ, & Fortun. Obiit 22. Junii 1555. Ex Arch. Eccl.
1555. Joannes Baptista de Electis Junior antecessoris nepos Canonicus & Vicarius Ducalis, Archipresb. S. S. Herm. & Fortun. perorandi arte admirabilis edidit epistolas, & orationes, & nomenclaturam nominum Romanorum ordine alphabetico distinctam. Ob. 1584. die 21. Augusti. Ex Arch. Eccl.
1584. Julius Venturini Canon. Ducalis Archipresb. Cong. S. Mariæ Matris Domini. Ob. 28. Aprilis 1607. Ex lib. Ecclesiæ.
1607. Facinus Buora ex Presbytero Sancti Samuelis electus Plebanus,

banus, Canonicus Ducalis 5. Januarii 1611. More Ven. Ex lib. Ecclesiæ.

1611. Laurentius Arrigoni. Obiit 1631. 14. Augusti. Ex lib. Ecclesiæ.

1631. Bartholomæus de Viduis Archipresbyter Congr. Sanctæ Mariæ Formosæ, Canonicus Ducalis. Ob. 22. Januar. 1660. M. V. Ex lib Eccl.

1660. Antonius de Michaelibus Canonicus Sancti Marci, Archipresbyter Congregationis Sancti Canciani. Obiit nonagenarius 14. Decembris 1709. Ex lib. Eccl.

1709. 18. Decembris Valentinus Campergher. Obiit 24. Feb. 1714. M. V.

1714. Angelus Tassis Prothonot. Apostolicus J. U. D. Archipr. Cong. S. Mariæ Matris Domini, Canonicus Ducalis. Ob. 13. Julii 1718.

1718. Petrus Cerchiari. Ob. 19. Octob. 1738.

1738. Joseph de Juliis Sac. Theol. Doctor, Prothonot. Apost. Ob. 10. Maii 1743.

1743. 14. Maii Aloysius Pezzius Sacr. Theol. Doctor Prothonot. Apostol. Canon. Castell.



Redi-

Redditus Ecclesiæ Parochialis Sancti Apollinaris Venetiarum dividuntur inter Plebanum, & Titulatos ejusdem Ecclesiæ. A.

1488. 31. Maii.

Ex Authographo in Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi Amen. Cunctis pateat evidenter divisionis & declarationis instrumentum visuris pariter, ac lecturis, qualiter anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo Indictione Octava die 14. Mensis Junii. Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dom. Mapheus Girardo Miseratione Divina Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas, tanquam Commissarius, & Executor Sanctissimi Domini Nostri Dom. Innocentii Papæ VIII. una cum alio Collega cum clausula alternativa ad infrascripta deputatus, prout constat litteris Apostolicis in forma brevis sub annulo piscatoris cum supplicatione inclusa signata tenoris subsequentis. Ven. Fr. Patriarchæ Venetiarum & Dilecto filio Dionysio Canonico Cerviensi Venetiis commoranti, vel eorum alteri Innocentius Papa Octavus Ven. Fr. & dilecte fili salutem & Apostolicam Benedictionem. Mittimus vobis supplicationem præsentibus introclusam manu dilecti Filii nostri A. Alumiensi in præsentia nostra signatam; volumusque & vobis committimus quatenus vos, vel alter vestrum vocatis vocandis ad illius executionem procedatis juxta ejus signaturam.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die secunda Aprilis 1490. Pontificatus Nostri anno septimo.

Joannes Crothoniensis.

Tenor vero introclusæ supplicationis signatæ sequitur, videlicet:

Beatissime Pater. Dudum fel. record. Eugenio Papæ IV. Prædecessori vestro pro parte tunc Plebani Ecclesiæ Sancti Appolinaris Venetiarum expositio continebat, quod fructus, reditus, & proventus nonnullorum perpetuorum beneficiorum in illa erant adeo tenues, & exiles, ut ipsi Beneficiati illorum se commode sustentare, & inibi inservire non possent, ut decebat, & propterea bonum erat, quod tertia pars fructuum & redituum, ac proventuum dictæ Ecclesiæ dividerentur & dictis Beneficiatis equis portionibus perpetuo dividerentur. Idem Eugenius Prædecessor Patriarchæ Venetiarum suis dedit litteris in mandatis, ut se de præmissis informaret, & in eis faceret, prout secundum Deum, & Divini cultus augmentum sibi videretur faciendum; & deinde quia idem Plebanus ultra sexcentos ducatos auri pro fabrica dictæ Ecclesiæ exposuerat, & alios exponere non desistebat. Idem Patriarcha de omnibus infrascriptis divisionem hujusmodi tertiæ partis fecit ita quod decedente ipso Plebano, tertia pars fructuum, redituum, & proventuum ejusmodi juxta ipsius Ecclesiæ consuetudines & prout decimæ personales inter eos dividi, & distribui consueverant perpetuo dividerentur, & distribuerentur, prout in litteris Apostolicis, & instrumentis desuper confectis, quorum tenores &c. plenius continetur. Postmodum vero tunc Plebano vita functo, & succedente quodam Francisco Sansono ipsius Ecclesiæ Plebano orta inter Beneficiatos ex una, & Franciscum prædictum super dicta tertia parte materia quæstionis ambæ partes in prædictum Patriarcham tanquam arbitrum, & arbitratorem, & amirabilem compositorem conpromiserunt, qui conpromisso hujusmodi in se sponte susce-

pto per suum laudum declaravit, ordinavitque quod dictus Franciscus quamdiu Plebanatum dictæ Ecclesiæ obtineret singulis annis de bonis illius quadraginta ducatos exbursaret, qui dividerentur inter Beneficiatos præfatos & ipso cedente, vel decedente dicti Beneficiati tertiam partem fructuum redituum, & proventuum hujusmodi perpetuo juxta ordinationem primam dictam percipere deberent, & prædictos beneficiatos in possessionem dictæ tertiæ partis induxit ex tunc Postmodum vero decedente dicto Francisco Antonius de Grassellis modernus Plebanus omnia prædicta aprobavit, & tertiam partem hujusmodi dictis beneficiatis solvere declaravit, & promisit, prout certo tempore solvit, quam ratificationem, omniaque alia præmissa modernus Patriarcha Venetiarum ordinaria sua auctoritate aprobavit & confirmavit, suumque decretum interposuit prout etiam in quibusdam publicis instrumentis desuper confectis quorum tenores &c. similiter plenius continetur. Cum autem Pater Sancte sit difficile singulis annis eisdem beneficiatis de manibus ipsius Plebani tertiam partem hujusmodi exigere, & propterea inter eos continue præmissorum variæ lites & dissensiones oriri possint. Supplicant humiliter Sanctitatem vestram prædicti beneficiati quatenus super hoc opportune providentes divisionem, & assignationem tertiæ partis hujusmodi approbare & confirmare dignetur cum opportuna, tam juris, quam facti suplectione, & ad obviandum litibus hujusmodi alicui, vel aliquibus probis viris in partibus illis commitere, & mandare dignemini, ut tot ex bonis dicti Plebanatus, sive Ecclesiæ eisdem beneficiatis assignent per eos & beneficiatos inibi pro tempore existentes perpetuo tenenda & possidenda quorum fructus hujusmodi tertiam partem ascendunt annuatim premissis, & constitutionibus, & ordinationibus apostolicis statutis quorum & consuetudinibus dictæ Ecclesiæ etiam juramento cæterisque incontrarium facientibus non obstantibus quibuscunque cum clausulis opportunis, & consuetis. In fine vero dictæ supplicationis cedulæ de alterius manu libera superiori penitus dissimili & diversa scripta erant hæc verba, videlicet:

Concessum quod committatur Ordinario in præsentia D. N. Papæ A. Cardinalis Alexiensis, ut cum absolutione a censuris ad effectum præsentium, & de approbatione & suppletione prædictis, & de mandato hujusmodi, & quod præmissorum omnium, & singulorum, & circa necessariorum major, ac verior specifica fieri possit in litteris, ac etiam dictæ litteræ melius exprimi Concessum ut supra.

Antonius Cardinalis Alexiensis. Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Julii Anno quinto.

Volens mandata apostolica cum omni diligentia & sinceritate, ut asseruit, exequi ad obviandum scandalis & contentionibus, quæ in dies oriebantur inter D. Plebanum & Capitulum supradictæ Ecclesiæ S. Appolinaris super hoc instante dicto capitulo personaliter se contulit ad præfatam Ecclesiam pro infrascripta divisione & assignatione facienda revocata prius per ipsum ad instantiam ipsius D. Plebani subdelegatione quam fecerat de hoc negotio in personam Reverendiss. D. Vicarii sui in spiritualibus generalis cum dubitaret posse illud per se ipsum expedire. Ubi coram Sua Reverendissima Dominatione constitutis Vener. D. D. Antonio de Grassellis Plebano, Petro Bagato, Natale Reggia, Aloysio de Fabenis Titulatis Presbyteris, ac Presb. Petro Bagato procuratorio nomine, ut dicitur, Ven. D. Aloysii Bagato Plebani S. Sylvestri Fratris sui in Romana Curia commorantis Diaconi, & Paulo de Tirenis Subdiacono dictæ Ecclesiæ S. Appolinaris, ut asseruerunt cum instantia prædicti Capituli fuit petitum, quod præfactus Reverendiss. D. Patriarcha Commissarius, & Executor devenire deberet ad divisionem, ac partitionem domorum, & possessionum dictæ Plebis, & Plebanatus assignando ipsi Capitulo tertiam partem eorum, ut dictum capitulum

ex

ex illis possit percipere & habere singulis annis suam tertiam partem & portionem introituum, & redituum domorum, & possessionum prædictarum juxta vim, formam, & tenorem prædictæ commissionis apostolicæ prædicta assignatione & divisione facienda Reverendissimo Patriarchæ directæ & alias eis præsentatæ quam de novo ipsi de capitulo præsentarunt instantes & petentes eis, & dicto Capitulo fieri, & provideri super præmissis juxta formam prædictam omnibus via, modo, jure, causa, & forma, quibus melius, & validius fieri possit producentes etiam litteras Apostolicas alias emanatas ab olim fel. rec. Eugenio Papa IV. pro hujusmodi tertia portione introituum assignanda dicto capitulo una cum declaratione & divisione eorum vigore facta per olim bon. mem. Laurentium Justinianum Episc. Castell. earumdem litterarum executorem tenoris infrascripti de verbo ad verbum videlicet:

Laurentius Justinianus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episc. Castell. nec non Sanctiss. D. N. Papæ ad infrascripta executor unicus specialiter delegatus.

Universis & singulis ad quos præsentes nostræ pervenerint salutem in Domino sempiternam. Noveritis qualiter nuper Ven. & circumspectus Vir Dom. Præsb. Marcus Placentinus Plebanus S. Appolinaris de Venetiis nostræ Castell. Dioec. nobis in præsentia Notarii publici & testium infrascriptorum legitime rogatorum exhibuit, & præsentavit litteras Sanctiss. in Christo Patris Domini Dom. Eugenii Divina providentia Papæ Quarti sanas quidem & integras non vitiatas, non maculatas, non suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes Bulla quidem plumbea ad cordulam canapis more Romanæ Curiæ impendenti munitas sanas quidem & integras, quarum quidem litterarum tenor qui sequitur de verbo ad verbum est talis videlicet:

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei Vener. Fr. Laurentio Episc. Castell. salutem & Apostolicam benedictionem. Ad ea ex Apostolicæ servitutis offitio libenter intendimus per quæ divinus cultus in Ecclesiis quibuslibet augeatur, & personis in eis Altissimo famulantibus ne rerum premantur inopia de opportunis succuratur Sane pro parte dilecti filii M. Placentini Plebani S. Appolinaris de Venetiis tuæ Dioecesis nobis nuper exhibita petitio continebat; quod ipse considerans quod fructus reditus, & proventus nonnullorum sine curæ beneficiorum perpetuorum dictæ Plebis adeo sunt exiles, quod dilecti filii Clerici perpetui inibi beneficiati beneficia hujusmodi pro tempore obtinentes ex eis commode substentari, & propterea in dicta Ecclesia deservire nequeant, ut decerет pro Divini cultus augmento quod tertia pars fructuum, redituum, & proventuum Plebanatus dictæ Plebis quam obtinet ab illo, segregetur & dictis beneficiis æquis portionibus concedatur, & perpetuo assignetur & applicetur. Quare pro parte dicti Marci asserentis quod dicti Plebanatus centum & septuaginta, nec non cujuslibet beneficiorum prædictorum decem florenorum auri fructus, reditus, & proventus secundum communem existimationem valorem annuum non excedunt; Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi segregationem nec non concessionem, assignationem, & applicationem hujusmodi alias tantum juxta illius Plebis statum, & consuetudines, & prout certa emolumenta personales decimæ nuncupatas inter ea distribui solent faciendi licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de prædictis omnibus & singulis auctoritate nostra te diligenter informes, ac facias in eis prout secundum Deum, & hujusmodi cultus augmentum tibi videbitur faciendum; non obstantibus constitutionibus Apostolicis ac prædictis statutis & consuetudinibus etiam jurejurand,

pto per suum laudum declaravit, ordinavitque quod dictus Franciscus quamdiu Plebanatum dictæ Ecclesiæ obtineret singulis annis de bonis illius quadraginta ducatos exbursaret, qui dividerentur inter Beneficiatos præfatos & ipso cedente, vel decedente dicti Beneficiati tertiam partem fructuum redituum, & proventuum hujusmodi perpetuo juxta ordinationem primam dictam percipere deberent, & prædictos beneficiatos in possessionem dictæ tertiæ partis induxit ex tunc Postmodum vero decedente dicto Francisco Antonius de Grassellis modernus Plebanus omnia prædicta aprobavit, & tertiam partem hujusmodi dictis beneficiatis solvere declaravit, & promisit, prout certo tempore solvit, quam ratificationem, omniaque alia præmissa modernus Patriarcha Venetiarum ordinaria sua auctoritate aprobavit & confirmavit, suumque decretum interposuit prout etiam in quibusdam publicis instrumentis desuper confectis quorum tenores &c. similiter plenius continetur. Cum autem Pater Sancte sit difficile singulis annis eisdem beneficiatis de manibus ipsius Plebani tertiam partem hujusmodi exigere, & propterea inter eos continue præmissorum variæ lites & dissensiones oriri possint. Supplicant humiliter Sanctitatem vestram prædicti beneficiati quatenus super hoc opportune providentes divisionem, & assignationem tertiæ partis hujusmodi approbare & confirmare dignetur cum opportuna, tam juris, quam facti suplectione, & ad obviandum litibus hujusmodi alicui, vel aliquibus probis viris in partibus illis committere, & mandare dignemini, ut tot ex bonis dicti Plebanatus, sive Ecclesiæ eisdem beneficiatis assignent per eos & beneficiatos inibi pro tempore existentes perpetuo tenenda, & possidenda quorum fructus hujusmodi tertiam partem ascendunt annuatim premissis, & constitutionibus, & ordinationibus apostolicis statutis quorum & consuetudinibus dictæ Ecclesiæ etiam juramento cæterisque incontrarium facientibus non obstantibus quibuscunque cum clausulis opportunis, & consuetis. In fine vero dictæ supplicationis cedulæ de alterius manu libera superiori penitus dissimili & diversa scripta erant hæc verba, videlicet:

Concessum quod committatur Ordinario in præsentia D. N. Papæ A. Cardinalis Alexiensis, ut cum absolutione a censuris ad effectum præsentium, & de approbatione & suppletione prædictis, & de mandato hujusmodi, & quod præmissorum omnium, & singulorum, & circa necessariorum major, ac verior specifica fieri possit in litteris, ac etiam dictæ litteræ melius exprimi Concessum ut supra.

Antonius Cardinalis Alexiensis. Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Julii Anno quinto.

Volens mandata apostolica cum omni diligentia & sinceritate, ut asseruit, exequi ad obviandum scandalis & contentionibus, quæ in dies oriebantur inter D. Plebanum & Capitulum supradictæ Ecclesiæ S. Appolinaris super hoc instante dicto capitulo personaliter se contulit ad præfatam Ecclesiam pro infrascripta divisione & assignatione facienda revocata prius per ipsum ad instantiam ipsius D. Plebani subdelegatione quam fecerat de hoc negotio in personam Reverendiss. D. Vicarii sui in spiritualibus generalis cum dubitaret posse illud per se ipsum expedire. Ubi coram Sua Reverendissima Dominatione constitutis Vener. D. D. Antonio de Grassellis Plebano, Petro Bagato, Natale Reggia, Aloysio de Fabenis Titulatis Presbyteris, ac Presb. Petro Bagato procuratorio nomine, ut dicitur, Ven. D. Aloysii Bagato Plebani S. Sylvestri Fratris sui in Romana Curia commorantis Diaconi, & Paulo de Tirenis Subdiacono dictæ Ecclesiæ S. Appolinaris, ut asseruerunt cum instantia prædicti Capituli fuit petitum, quod præfactus Reverendiss. D. Patriarcha Commissarius, & Executor devenire deberet ad divisionem, ac partitionem domorum, & possessionum dictæ Plebis, & Plebanatus assignando ipsi Capitulo tertiam partem eorum, ut dictum capitulum

ex

ex illis possit percipere & habere singulis annis suam tertiam partem & portionem introituum, & redituum domorum, & possessionum prædictarum juxta vim, formam, & tenorem prædictæ commissionis apostolicæ prædicta assignatione & divisione facienda Reverendissimo Patriarchæ directæ & alias eis præsentatæ quam de novo ipsi de capitulo præsentarunt instantes & petentes eis, & dicto Capitulo fieri, & provideri super præmissis juxta formam prædictam omnibus via, modo, jure, causa, & forma, quibus melius, & validius fieri possit producentes etiam litteras Apostolicas alias emanatas ab olim fel. rec. Eugenio Papa IV. pro hujusmodi tertia portione introituum assignanda dicto capitulo una cum declaratione & divisione eorum vigore facta per olim bon. mem. Laurentium Justinianum Episc. Castell. earumdem litterarum executorem tenoris infrascripti de verbo ad verbum videlicet:

Laurentius Justinianus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episc. Castell. nec non Sanctiss. D. N. Papæ ad infrascripta executor unicus specialiter delegatus.

Universis & singulis ad quos præsentes nostræ pervenerint salutem in Domino sempiternam. Noveritis qualiter nuper Ven. & circumspectus Vir Dom. Præsb. Marcus Placentinus Plebanus S. Appolinaris de Venetiis nostræ Castell. Dioec. nobis in præsentia Notarii publici & testium infrascriptorum legitime rogatorum exhibuit, & præsentavit litteras Sanctiss. in Christo Patris Domini Dom. Eugenii Divina providentia Papæ Quarti sanas quidem & integras non vitiatas, non maculatas, non suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes Bulla quidem plumbea ad cordulam canapis more Romanæ Curiæ impendenti munitas sanas quidem & integras, quarum quidem litterarum tenor qui sequitur de verbo ad verbum est talis videlicet:

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei Vener. Fr. Laurentio Episc. Castell. salutem & Apostolicam benedictionem. Ad ea ex Apostolicæ servitutis offitio libenter intendimus per quæ divinus cultus in Ecclesiis quibuslibet augeatur, & personis in eis Altissimo famulantibus ne rerum premantur inopia de opportunis succuratur Sane pro parte dilecti filii M. Placentini Plebani S. Appolinaris de Venetiis tuæ Dioecesis nobis nuper exhibita petitio continebat; quod ipse considerans quod fructus reditus, & proventus nonnullorum sine cura beneficiorum perpetuorum dictæ Plebis adeo sunt exiles, quod dilecti filii Clerici perpetui inibi beneficiati beneficia hujusmodi pro tempore obtinentes ex eis commode substentari, & propterea in dicta Ecclesia deservire nequeant, ut decerer pro Divini cultus augmento quod tertia pars fructuum, redituum, & proventuum Plebanatus dictæ Plebis quam obtinet ab illo, segregetur & dictis beneficiis æquis portionibus concedatur, & perpetuo assignetur & applicetur. Quare pro parte dicti Marci asserentis quod dicti Plebanatus centum & septuaginta, nec non cujuslibet beneficiorum prædictorum decem florenorum auri fructus, reditus, & proventus secundum communem existimationem valorem annuum non excedunt; Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi segregationem nec non concessionem, assignationem, & applicationem hujusmodi alias tantum juxta illius Plebis statum, & consuetudines, & prout certa emolumenta personales decimæ nuncupatas inter ea distribui solent faciendi licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de prædictis omnibus & singulis auctoritate nostra te diligenter informes, ac facias in eis prout secundum Deum, & hujusmodi cultus augmentum tibi videbitur faciendum; non obstantibus constitutionibus Apostolicis ac prædictis statutis & consuetudinibus etiam jurejurand,

confirmatis Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1435. Kalendis Julii Pontificatus Nostri anno sexto.

Nos igitur Laurentius Executor prædictus volentes procedere juxta formam nobis a Sede Apostolica traditam: primo interogavimus dictum D. Marcum Plebanum, an habuisset, & haberet dictam gratiam gratam, & ratam, atque firmam, qui respondit nobis; quod gratiam gratam, & ratam habuisset & haberet. Deinde interogavimus dictum D. Marcum an contentaretur, & consentiebat, quod tertia pars fructuum, redituum, & proventuum dictæ Plebis ab ea segregaretur, & clericis perpetuo ibidem in eadem Plebe beneficiatis equis portionibus concedatur, ac perpetuo assignetur juxta dictæ Plebis statuta, & consuetudines, & prout certa emolumenta personales decimæ nuncupata quæ inter eos distribui solent, distribuerentur; Qui nobis debita cum reverentia respondit humiliter, quod contentabitur, ut secundum quod prædictis statueretur & ordinaretur veruntamen quia pro fabrica ipsius Ecclesiæ S. Appolinaris notorium est ipse D. Marcus Plebanus cum expendiderat ducatos sexcentos auri, & adhuc ex eadem fabrica expendere non desistit, petiit per Nos statui, decerni, & declarari, quod omnia præmissa, & singula locum habeant, & debitum sortiantur effectum, cedente, vel decedente ipso Marco Plebano. Nos vero volentes juxta mandatum Apostolicum nobis in hac parte traditum debite procedere diligenter informati, & per diligentem informationem accepimus, & conperimus omnia, quæ per ipsum Dom. Marcum Sanctissimo Domino Nostro exposita sunt prout in Bulla superius anotata continentur fuisse, & esse, ut idem Dom. Marcus asseruit exposuisse pro fabrica dictæ Ecclesiæ esse vera auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa statuimus, decernimus, & declaramus, ac ordinamus, quod cedente, vel decedente ipso Plebano, ut diximus, cultus in prædicta Ecclesia S. Appolinaris augeatur, ac ut ipsi Clerici perpetui in ipsa Plebe beneficiati pro tempore commodius valeant præsentari segregationi tertiæ partis fructuum, redituum, & proventuum Plebanatus præfati tenore præsentium ex nunc segregamus & dispartimur ita quod cedente, vel decedente eodem Presb. Marco Plebano tertia pars ipsorum fructuum, & proventuum dictæ Plebis S. Appolinaris juxta ipsius Plebis consuetudines, & prout personales Decimæ inter eos distribui, & dividi solent perpetuo distribuantur, & dividantur. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus dictæ Plebis, etiam juramento confirmatione Apostolica, & quacunque firmitate alia roboratis & aliis quæ Sanctissimo Domino Nostro Papæ in dictis Bullis voluit obstare.

Acta præmissa fuerunt in Episcopali Palatio Castell. in audientia presentibus Ven. Viris Dom. Præsb. Simone Fici S. Pauli Diacono, & Michaele Rizzo S. Martialis Diacono testibus ad præmissa habitis, vocatis, & rogatis, & aliis. Anno Dominicæ Nativitatis 1437. Indictione x. Die vero 27. Mensis Februarii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Dom. Eugenii Divina Providentia Papæ Quarti Anno Sexto & in præmissorum fidem mandavimus Pontificalis Nostri Sigilli appensione muniri.

Ego Philippus quondam Thomæ de Camuciis, civis & habitator Venetiarum in contrata S. Petri de Castello, publicus Imperiali Auctoritate Notarius coordinarius Curiæ Castellanæ Cancellarius prædictis omnibus, & singulis interfui, & ea rogatus scripsi meque subscripsi, & meo sigillo signavi.

Produxerunt etiam publicum instrumentum possessionis corporalis nomine dicti Capituli apprehensæ de dicta tertia parte tenoris infrascripti videlicet:

In Christi nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem 1442. Indict. v. die 21.

Men-

Mensis Martii Ven. Vir D. Presb. Ambrosius Basso Plebanus S. Pauli de Venetiis Castell. Dioecesis ex speciali commissione sibi facta per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum Dom. Laurentium Justinianum Episc. Castell. Executorem unicum in hac causa a Sede Apostolica specialiter deputatum prout de commissione prædicta patet in actis mei Notarii infrascripti & de Apostolica delegatione antedicta facta in personam Reverendiss. D. Episcopi antedicti patet per litteras Sanctissimi Domini Nostri D. Eugenii Divina providentia Papæ Quarti sanas, integras, & illesas, non abrasas &c. Nec in aliqua sua parte suspectas vera ipsius Domini Nostri bulla Plumbea ad cordulam canapis more Romanæ Curiæ impendenti munitas quarum principium est: Eugenius Episc. Servus Servorum Dei Ven. Fr. Episcopo Castell. salutem & Apostolicam benedictionem. Ad ea ex Apostolicæ servitutis officio libenter impendimus &c. & finis est. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1435. Kalendis Jullii Pontificatus Nostri Anno VI. A me notario visas & lectas posuit, misit, & induxit Apostolica auctoritate sibi in hac parte concessa Ven. Virum Presb. Petrum de Grassellis perpetuum beneficiatum in Ecclesia S. Appolinaris de Venetiis dictæ Dioecesis tanquam Sindicum & Procuratorem dictæ Ecclesiæ S. Appolinaris eidem Capitulo dictæ Ecclesiæ & dicto nomine recipientem de tertia parte redituum omnium, fructuum, & proventuum dictæ Ecclesiæ S. Apolinaris eidem Capitulo dictæ Ecclesiæ decreta & adjudicata Apostolica auctoritate prædicta per dictum Reverendissimum Patrem Dom. Episcopum antecedentem executorem Apostolicum prout patet publico & in formam publicam, & auctenticam scripto processu, & instrumento per Philippum de Camuciis, tunc Notarium Curiæ Castellanæ prædictæ a me Notario similiter visis, & lectis. Et hoc pro majori commodo, & utilitate dicti Capituli, ut melius, & diligentius valeant dicto divino servitio in dicta Ecclesia intendere, & deservire quod per prius facere nequibant propter paupertatem & depressam conditionem Capituli antedicti per ingressum loci Capitularii videlicet Sacristiæ dictæ Ecclesiæ, & per tactum Seraturæ, & clavium aperiendo, & claudendo, & per alia signa, & actus, per quos traditur, & accipitur possessus, & tenuta hujusmodi juriumdicendo Presbyter Pater Ego auctoritate Apostolica mihi tradita ab antedicto Domino executore Apostolico pono & induco vos nomine vestro & aliorum de Capitulo prædicto, tanquam Sindicum & Procuratorem ejusdem in corporalem tenutam & possessionem, seu quali tertiæ partis introituum, & redituum Ecclesiæ S. Appolinaris perpetuo dividendorum inter vos, prout in litteris Apostolicis, & processu exinde confecto plenius continetur, qui Præsbyter Petrus respondit; & ego nominibus, quibus supra, accepto, capio, & intro possessionem prædictam nomine, quo supra & intentione perpetuo tenendi, & legitime possidendi; & consequenter dictus subsecutor mandavit, ut de dicta tertia parte responderetur Capitulo prædicto quomodo, & quando, & qualiter per supradictum D. Executorem statutum fuit, & est, mandans etiam mihi Notario ut de premissis facerem publicum instrumentum.

Actum Venetiis in Ecclesia prædicta S. Appolinaris præsentibus Præsbytero Dominico Bambolo S. Sophiæ & Magistro Alexio Beltrami Pictore testibus vocatis, & rogatis.

Insuper quia Vener. Presb. Franciscus Sampson perpetuus beneficiatus in dicta Ecclesia, qui est unus de Capitulo antedicto, & erat absens tempore traditionis dictæ possessionis, & tunc haberi non potuit consensum hujusmodi præbere prædictus Presb. Franciscus notificato, & scito actu prædicto ratificavit, & approbavit, laudavit & acceptavit omnia supra acta, & gesta per dictum Præsb. Petrum dicto nomine, & hoc dum esset ad Castellum ante portam Ecclesiæ Cathedralis prædictæ die vigesima quinta ejusdem mensis millesimo & indictio-

dictione supradicta, præsentibus Presb. Dominico Bambolo supradicto, & Pasqualino de Carrado Clerico Castell. Diœc. Testibus vocatis, & rogatis.

Ego Jacobus de Venetiis filius D. Antonii publicus Imperialis Notarius & Judex ordinarius, & tunc Castellanæ Patriarchalis Curiæ Scriba & Notarius præmissis omnibus & singulis interfui rogatus una cum provido viro D. Antonio quondam Jacobi Cancell. prædicto Dom. Episcopi executoris antedicti etiam mecum rogatus eaque fieri vidi, & audivi & in fidem præmissorum me subscripsi cum signo & nomine meis solitis, & consuetis.

Produxerunt etiam quoddam instrumentum concessus Vener. D. Marci de Placentinis olim Plebani dictæ Ecclesiæ tenoris subsequentis videlicet:.

In Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quadrigentesimo quadragesimo sexto Indictione nona die vigesima sexta Martii. Cunctis pateat evidenter hoc publicum instrumentum inspecturis, quod cum sit, quod Ven. & circumspectus Vir D. Marcus Placentinus Plebanus Ecclesiæ S. Appolinaris de Venetiis Castell. Diœc. quasdam litteras cum bulla plumbea ad cordulam canapis D. N. D. Eugenii Divina providentia Papæ Quarti more Romanæ Curiæ bullatas, sanas, integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes superiori tempore Reverendissimo in Christo Patri & Domino Dom. Laurentio Justiniano Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Castellano præsentaverit legitime coram Notario & testibus, ac deinde cum debita reverentia requisito, ut ad executionem ipsarum procedere dignaretur. Quibus quidem litteris qua debuit reverentia receptis, visis, & intellectis, tanquam obedientiæ filius parere volens mandatis Apostolicis, fulminavit processum super contentis in ipsis litteris Apostolicis. Deinde vero elapso certo tempore vigore litterarum Apostolicarum, & processus superinde notatis Clerici beneficiati in eadem Ecclesia S. Appolinaris positi fuerunt in possessione tertiæ partis redituum omnium, fructuum, & proventuum dicti Plebanatus decretæ & adjudicatæ Capitulo, seu Clericis præmissis Apostolica auctoritate ut patet publico instrumento scripto manu circumspecti Viri Antonii de Bagno Cancellarii Curiæ Castellanæ 1442. Indictione Quinta die vigesima prima mensis Martii a me Notario infrascripto viso & lecto. Verum quia respectu cartæ quantitatis denariorum expositorum & expendendorum per ipsum Dominum Marcum in & pro fabrica ipsius Ecclesiæ in eodem processu, ut fertur, fuerit terminatum, ordinatum, & declaratum, quod cedente, vel decedente ipso D. Marco Plebano, ut inibi divinus cultus augeatur, & ut Clerici perpetui in ipsa Ecclesia & Plebe beneficiati pro tempore commodius substentari valerent, quod tertia pars fructuum, redituum & proventuum Plebanatus præfati dividerentur, & distribuerentur perpetuo inter Clericos beneficiatos in eadem, qui D. Marcus Plebanus antedictus ex certis rationabilibus causis animum suum moventibus ex nunc vult & contentatur, quod non obstante terminatione, & declaratione præmissa de cætera dicta tertia pars dividatur, & distribuatur juxta formam & tenorem earumdem litterarum Apostolicarum, & quod processus super eis factus ut supra suum sortiatur effectum, ac si cessisset, & decessisset ipse D. Marcus Plebanus supportatis nihilominus oneribus publicarum factionum pro rata. Quæ quidem omnia & singula supra & infrascripta promisit ipse D. Plebanus per se, & successores suos firma & rata habere, & tenere, & non contrafacere, vel venire per se, vel per alium, seu alios de jure, vel de facto sub pœna omnium damnorum interesse & expensarum litis, & extra, & nihilominus hoc præsens instrumentum in sua perpetua firmitate perseveret præsentibus D. D. Præsbyteris

vis Dominico Rizzo, Petro de Grassellis titulatis titulo Sacerdotali in eadem Ecclesia S. Appolinaris tanquam majori, & saniori parte capituli pro se, & eorum successoribus acceptantibus, & recipientibus. Actum Venetiis in Sacristia S. Appollinaris, præsentibus Reverendissimo in Christo Patre D. Andrea Brebo Abbate Monasterii S. Georgii & Presb. Vito de Parentis quondam Mathæi officiatore in Ecclesia S. Georgii vocatis, & rogatis, & aliis.

Ego Appellonius Benado quondam D. Donati de Contrata S. Sylvestri de Venetiis publicus Imperiali auctoritate Notarius omnibus, & singulis, dum sic, ut præmittitur agerentur, & fierent interfui, & ea rogatus scribere scripsi, & in hanc publicam formam redegi, signum meum consuetum apponendo in fidem & testimonium omnium, & singulorum præmissorum. &c.

Produxerunt quoque publicum instrumentum tenoris infrascripti videlicet:

In Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1488. Indictione VI. Die vero 20. Mensis Martii Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Innocentii Divina Providentia Papæ Octavi Anno Quarto.

Cunctis ubique pateat evidenter hoc publicum Instrumentum visuris & lecturis, qualiter die mense millesimo, & Pontificatu præscriptis, in mei Notarii & Judicis ordinarii, ac infrascriptorum testium præsentia constitutus Ven. Sacræ Theologiæ professor Antonius de Grassellis Ecclesiæ S. Appolinaris Plebanus benemeritus agens pro se, & successoribus suis, non vi, dolo, metu, aut aliqua machinatione sed libere sponte, & ex certa animi scientia motus, volens agnoscere bonam fidem, & prædecessorum suorum vestigiis in bonis operibus in hiis maxime, quæ ad augmentum divini cultus in dicta sua plebe spectant inhærere certificans antea ut ipse dixit de terminatione & processu Apostolica auctoritate de anno 1454. die 27. mensis Februarii factis, & emanatis bon. mem. Reverendiss. in Christo Patre & Domino Dom. Laurentio Justiniano tunc Episcopo Castellanensi postea vero Venetiarum Patriarcha dignissimo vigore Litterarum Apostolicarum fel. rec. Dom. Eugenii IV. de tertia parte fructuum, proventuum, & redictuum dictæ Plebis, & Plebanatus S. dividendorum inter Præsbyteros, & alios Titulatos, & Clericos ipsius Ecclesiæ sicut fit de decimis cedente, vel decedente quondam Dom. Marco Placentino olim & tunc prædictæ Ecclesiæ Plebano, nec non & demissionem in tenutam & corporalem possessionem, vel quasi prædictorum titulorum dicti juris participiando de dicta tertia parte modo & forma, prout in dicto processu legitur, ac etiam de alio instrumento postea celebrato inter ipsos tunc Dom. Plebanum, & Titulatos sub die 26. Martii 1446. per quod apparet ipsum voluisse dictos processum & instrumentum suum fortiri debere effectum non obstante reservatione in eo ad suum favorem facta, & similiter de sententia arbitraria quæ est tenoris infrascripti:

In Christi Nomine Amen Nos Laurentius Justinianus Miseratione divina Patriarcha Judex arbiter & arbitrarius, & amicabilis compositor, & communis amicus electus, & assumptus communiter, & concorditer a Ven. Viris Presb. Francisco Sampson Pleb. S. Appolinaris de Venetiis parte una, & Presb. Petro de Grassellis, Nicolaus de Agaribus, & Joannes Pignolo Presbyteris dictæ Ecclesiæ, & Clericis, & Capitulo dictæ Ecclesiæ parte ex altera ad cognoscendum, & examinandum, terminandum, & finiendum litem, caussam & differentiam diversam, & vertentem inter dictas partes occassione tertiæ partis redituum, fructuum, & proventuum certorum dictæ Ecclesiæ relictorum per quondam Ven. Virum Presb. Marcum Placentinum olim Plebanum dictæ Ecclesiæ S. Appolinaris presbyteris & Capitulo dictæ Ecclesiæ dividendorum inter eos, ut ab ipsis Præsbyteris, & Clericis in dicta

dicta Ecclesia divino cultui diligentius, & plenius intendeant de jure & de facto, vel alio modo tamen cum clausula, libertate, & potestate, prout in compromisso exinde confecto latius dicitur contineri; volentibus dictam differentiam & causam finire, & justitiam facere, & propterea dictam differentiam cassare viso compromisso, in nos facto, & auctoritate, & potestate, & jurisdictione nobis per ipsum traditis, visis pluribus bullis, sive litteris Apostolicis superinde emanatis & processibus pluribus superinde factis, & visa maxima quadam sententia per Nuntium Apostolicum delegata tunc super hæc factis instantiis possessionis traditæ dictis Præsbyteris de tertia parte præscripta dictis Presbyteris & Capitulo adjudicanda, & responsione, & oppositione facta per Dom. Plebanum, & demum viso quodam dicto sive notula expensarum factarum necessario, & legitime per Dom. Plebanum pro conservatione dicti Plebanatus, & solutione nata est differentia stricta inter ipsum Dom. Plebanum, & Plebanum Sancti Pauli occasione dictæ plebis & aliis legitimis, & rationabilibus expensis dicto Plebano sumptis, & habita intentione dictorum Presbyterorum laudabili, & approbanda, & auditis ipsis partibus pluribus vitibus, & earum juribus, & rationibus, & quidquid dicere voluerunt habita super hoc matura deliberatione, & sano consilio consideratis considerandis, & toto processu, & scripturis partibus monitis pro hac die & hora ad hanc nostram sententiam audiendam Christi nomine invocato ejusque gloriosæ semper Virginis. Mariæ, a quibus omne rectum procedit judicium & arbitrium sedentes pro tribunali in hac nostra audientia quem locum nobis pro idoneo eligimus ad hunc actum præsentibus ambabus partibus, & monitis per hanc nostram sententiam sive laudum & arbitrium, seu arbitramentum, quam & quod statmus in his scriptis dicimus pronuntiamus, laudamus, & arbitramur auctoritate nobis tradita & super hoc modo videlicet quod a die compromissi hujusmodi in personam nostram facti in antea videlicet in futurum dictus Præsb. Franciscus Sampson Plebanus dictæ Ecclesiæ S. Appolinaris quandiu extiterit Plebanus annuatim exbursare debeat de denariis & reditibus dictæ Ecclesiæ 40. ducatos qui denarii dividantur, & distribuantur inter prædictos denarii de domibus perceptis de qua portione remanere debeant contenti & quieti Præsbyteri, & Clerici Capituli, & de toto tempore elapso omnem confessionem promitti a morte Præsb. Marci Placentini usque ad illum diem compromitti absolvimus, & absolutum omne volumus integraliter Dom. Præsb. Franciscum Plebanum antedictum cum hoc, quod de exbursatis & solutis per eam quoque modo inter prædictos Præsbyteros nulla fiat, neque fieri possit compositio. Cadente autem, & decadente dicto Præsb. Francisco Plebano a dicta Plebe, Præsbyteri prædicti, & Clerici de Capitulo, & sui successores habeant, & habere, & percipere debeant integralem tertiam partem redituum, & introituum prædictorum dictæ Ecclesiæ prout per Dominum olim Præsbyterum Marcum Placentinum Plebanum fuit testatum, institutum, & relictum, & per Apostolicas litteras confirmatum.

Lata, data, & pronunciata fuit supradicta sententia per Illustris. Dom. Laurentium Justinianum Patriarcham Venetiarum in Auditoria Patriarchali præsentibus dictis Præsbyteris Venerabilibus Viris Plebano S. Nicolai de Mendichis, & Præsb. Antonio Ferro, Bartholomæo & Nicolao, & Numeniis Curiæ prædictæ testibus, istantibus vocatis, & rogatis die Sabbati 18. Augusti 1453. & præsente Plebano S. Martini.

Laudata approbata, & acceptata fuit supradicta sententia a præfactis Dominis Plebanis, & Præsbyteris Nicolao de Agaziis, & Johanne Pignolo Præsbyteris dictæ Ecclesiæ præsentibus, & acceptantibus, absente D. Præsb. de Grassellis, & præsentibus supradictis testibus rogatis &c.

Ego Antonius Jacobi Civitatis Venetia-

tiarum Publicus Imperiali auctoritate Notarius, & Domini Patris D. Patriarchæ Scriba, & Canonicus suprascriptam sententiam per Jacobum Notarium Curiæ Patriarchalis de meo consensu suprascriptam præsens fui, & rogatus a præsentibus, & de mandato Domini Nostri Patriarchæ scripsi, & signavi &c.

Postea per eumdem Reverendiss: D. Laurentium Patriarcham cum ejus homolegatione postea data tempore Plebanatus qu. D. Francisci Sansoni immediate successoris qu. D. Marci Placentini super dicta tertia parte pro tempore vitæ suæ scilicet, quod ipso cedente, vel decedente, Capitulum dictæ Ecclesiæ habere deberet dictam tertiam partem redictuum prædictorum juxta prædictam determinationem, & processum sub die 18. Augusti 1453. & denuo, atque de præsenti omnibus & singulis supradictis instrumentis litteris Apostolicis & processu in publicam, & autenticam formam redactis per ipsum visis, lectis, & diligenter examinatis, & bene consideratis, dixit, manifestavit, & declaravit, quod postquam Deo placuit advenisse diem dictæ distributionis prædictæ tertiæ partis dictorum fructuum, proventuum, & redituum dicti Plebanatus faciendæ inter Ven. D. Petrum Bagato, Natalem Regiam; & Aloysium de Zaberiis Præsbyteros, D. Aloysium Bagato Diaconum, & D. Bartholamæum de Ferrariis Subdiaconum cum suis successoribus in dictis titulis pro tempore existentibus, & Clericos dicti Capituli titulatos se esse contentum, & sibi placere, quod ipsa distributio fiat juxta formam, & tenorem dictorum determinationis processus vigore dictarum litterarum Apostolicarum, & prædictæ sententiæ arbitrariæ sive arbitramentalis antedicti Reverendiss. D. Laurentii olim Episcopi Castellanensis & postea Patriarchæ Venetiarum cum ipse non intendat in re, tam clara & aperta litigare, & plebem suam contra justitiam, & honestatem litigiorum sumptibus, & expensis deteriorem facere, & obtulit se paratum in omnibus prædictis, ut tenetur attendere, & observare ubi, quando, & sicut opus erit, & tenebitur juxta determinationem & processum, ac alias, de quibus supra diximus. Quæ quidem omnia, & singula prædictus D. Antonius Plebanus promisit & promittit attendere, & observare sub obligatione sui, & bonorum suorum omnium mobilium, & stabilium, præsentium & futurorum, de quibus omnibus, & singulis prædictus D. Antonius de Grassellis Plebanus rogavit me Notarium infrascriptum, ut publicum conficiam instrumentum, unum & plura ejusdem tenoris, & tot quot opportuna erunt pariter, & necessaria. Actum Venetiis in Sacristia prædictæ Ecclesiæ S. Appollinaris Venetiarum præsentibus Vener. Præsb. D. Joanne Basilio de bonis Arteriis Canonico Ecclesiæ S. Mariæ de Montagnana, & Magistro Petro Tinctore filio Martini de Contrata S. Appollinaris testibus habitis, vocatis, & rogatis.

Ego Antonius qu. D. Bissi de Bosellis Publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictis omnibus interfui, & ea rogatus tradidi, & scripsi, signumque meum Tabellionatus consuetum apposui.

Produxerunt etiam in præsentia Reverendissimi Patris Maphei Girardi Patriarchæ Venetiarum ratificationem factam a Rev D. Præsb. Antonio de Grassellis in præsentia &c.

In Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1488. Die ultima Apr. in præsentia Reverendiss. in Christo Patris & Domini D. Maphei Girardi Miseratione Divina Patriarchæ Venetiarum Dalmatiæque Primatis. Constituti Ven. Dom. Præsb. Petrus Bagato, & Natalis Reggia perpetui Beneficiati dictæ Ecclesiæ S. Appollinaris ipso Presb. Petro Bagato Agente Procuratorio nomine, & Syndico Ven. Capituli ejusdem Ecclesiæ, & ipso D. Præsb. Natale tanquam Præsb. Titulato in ipsa Ecclesia pro interesse suo produxerunt instrumentum ratificationis, & approbationis factæ per

per D. Plebanum Antonium de Grassellis Plebanum dictæ Ecclesiæ de tertia parte redituum fructuum, & proventuum dictæ Ecclesiæ dividendorum inter Clericos & beneficiatos Ecclesiæ antedictæ per determinationem Apostolica auctoritate factam, stipulatam sub signo & nomine s. Augustini qu. Belli de Grassellis publici Notarii die 20. mensis Martii proxime decursi, &, petierunt per ipsum Reverendiss. D. Patriarcham ad majorem roborationis firmitatem dicti instrumenti, & contentorum in eo, suam interponi auctoritatem pariter & judiciale decretum, ac produxerunt ad majorem liquidationem veritatis omnia & singula documenta, litteras, scripturas, de quibus fit mentio in dicto instrumento in publica & auctentica forma illa ostendendo, & legendo prædicto Reverendiss. D. Patriarchæ cum reservatione omnium aliorum jurium suorum præsente dicto D. Præsb. Antonio de Grassellis Plebano dictæ Ecclesiæ S. Appollinaris, & non consentiente, qui dixit velle habere respectum cum non intendat derogare juribus successorum, nec credit posse alienare, nec præjudicare bonis dictæ suæ Plebis dicentibus prædictis Præsbyteris titulatis alegata per dictum D. Plebanum esse vana, & frivola, ut ex se patet, & prout fuit demonstratum per alegationes suas. Dicente dicto D. Plebano velle habere respectum usque ad diem Lunæ proxime futurum, qui Reverendiss. D. Patriarcha statuit terminum ad diem Lunæ prædictum dictis partibus ad utendum de juribus suis.

Die Lunæ ultima Mensis Maii 1488.

Reverendiss. Dom. Patriarcha auditis Præsb. Bagato titulato Præsb. in Ecclesia S. Appollinaris procuratorio nomine Capituli dictæ Ecclesiæ instante, & petente pro interpositione decreti super instrumento alio die producto super divisione facienda de tertia parte fructuum, & redituum dicti Plebanatus dictæ Ecclesiæ prout supra in actu facto die ultima mensis Aprilis proxime decursi & D. Antonio de Grassellis Plebano, dictæ Ecclesiæ & cognitam petitionem dicti Capituli esse honestam & rationi consonam propter documenta producta in judicio suam interposuit auctoritatem pariter & decretum judiciale super dicto instrumento.

Actum Venetiis in Patriarchali Palatio in Camera Cubiculari die supradicta, Indictione sexta 1488. Præsentibus Præsb. Nicolao de Beregrinis & Præsb. Grisogono Nuntiis Curiæ Patriarchalis testibus vocatis, & rogatis, presente D. Plebano & prædicto decreto non consentiente.

Notarius ac Cancellarius præfati Reverendissimi Patriarchæ supradictam scripturam coram prædicto Reverendissimo D. Patriarcha factam rogatus scripsi, roboravi fideliter exemplavi, signumque meum consuetum apposui.

Produxerunt etiam nonnulla alia jura, & documenta emanata super hoc ad favorem dicti Capituli, & quod ipsi possent in futuro ex tertia parte prædictarum domorum, & possessionum libere, & absque ullo obstaculo prædicti D. Plebani, & qui pro tempore erit cujuscunque alterius personæ per se, sive sindicum & procuratorem, eos exigere, habere & tenere dictam tertiam partem introituum, & redituum dictarum domorum, & possessionum cum plena potestate & libertate illas locandi & dislocandi, quibus melius eis videbitur, & illas regendi, & gubernandi & omnia alia faciendi, quemadmodum hactenus fecit dictus D. Plebanus, & sui prædecessores.

Quibus omnibus auditis antedictus Reverendiss. D. Patriarcha Commissarius, & Executor mandavit prædictis D. Plebano & titulatis, ut deberent nominare, & describi facere per me Notarium, & Cancellarium infrascriptum omnes, & singulas domos apothecas, & possessiones spectantes dictæ Plebi & prædicto Plebano, & Plebanatui ponendo etiam quantum de affictu pro singulis earum annis singulis exigeretur, & solveretur ipsi D. Plebano, & quod de


de illis omnibus fierent concorditer tres portiones equalitate servata, quantum ad earum redditus, & introitus, quantum possibile est, & factum fuit per antedictos D. Plebanum & Titulatos in hunc modum. Nam in una parte posuerunt primo in unam domum, quam tenet ad affictum ut dixerunt Magister Franciscus Cerdo, sive Callegarius positam super campo dictæ Ecclesiæ Sancti Appollinaris in solario, quæ habet aspectum anteriorem super dicto campo, & cohæret cum uno latere muro communi dictæ Ecclesiæ, ab alio latere cohæret via communis & a parte posteriore cohæret cum alia domo infrascripta, in qua habitat Sebastianus Petenarius, pro qua quidem domo dictus Franciscus Cerdo solvit de affictu annuatim ducatos 28. Item domum quam tenet ad affictum supradictus Sebastianus Petenarius ducatos 13. in anno cohæret ab uno latere supradicta domus quam tenet Magister Antonius Pistor descripta in tertia parte infrascripta, & a parte post murus dictæ Ecclesiæ. Item domum quam tenet ad affictum Magister Petrus Tintor pro qua solvit de affictu annuatim duc. 17. quæ cohæret cum habitatione dicti D. Plebani & habet ejus introitum super ponte lapideo, & ejus aspectum anteriorem versus schovatias contiguas Capellæ S. Sigismundi. Item domum sive apothecam quam tenet ad affictum Magister Bernardinus Testor pro qua solvit duc. 7. in anno de affictu positam ad pontem stortum cui cohæret in parte ante via communis ab uno latere Canale & ab alio latere domus in qua habitat Raimundus Cestarius descripta in secunda parte infrascripta, & a parte posteriori domus Primi Præsbyteri Titulati dictæ Ecclesiæ. Item domum sive apotecam, quam tenet ad affictum Magister Joannes Sartor, pro qua solvit singulo anno de affictu duc. 8. & est posita sub domo in qua solitus erat habitare Lazarus Pilotus & habet aspectus super campo dictæ Ecclesiæ & ab uno latere cohæret cum campanile & ab alio latere cohæret cum Barberio, in alia vero parte posuerunt domum quam tenet ad affictum D. Lazarus Pillotus solvendo de affictu omni anno duc. 20. Item domum quam tenet ad affictum Antonius Albertini solvendo de affictu duc. 16. singulo anno. Item domum quam tenet ad affictum Magister Henricus Stablarius pro duc. 22. quartis tribus in anno. Item domum quam tenet ad affictum Rainaldus Cartarius solvendo duc. 7. in anno. In alia vero parte tertia posuerunt unam domum, quam tenet ad affictum Magister Peregrinus, pro qua solvit de affictu duc. 30. in anno. Item domum quam tenet Magister Pistor Antonius ad affictum pro qua solvit duc. 16. in anno. Item domum quam tenet ad affictum Magister Sartor Christophorus solvendo singulo anno de affictu duc. 13. Item domum quam tenet ad affictum Jacobus Pistor pro duc. 6. in anno. Item domum quam tenet ad affictum Jacobus de Castellanis solvendo de affictu duc. 6. Quibus tribus portionibus sic factis per prædictos D. D. Plebanum & Capitulum concorditer & unanimiter prædictus Rev. D. Patriarcha Commissarius & Executor mandavit ipsas tres portiones dictarum domorum, & possessionum poni separatim & describi in tribus pollitiis sive Bulletinis, & eas postea involvi, & poni in bireto, quo facto statim per quemdam puerum extrahi fecit unam ex prædictis pollitiis pro prædicto Dom. Plebano, & ita statim eidem Plebano obvenit pars in qua sunt notatæ, & descriptæ domus, quas habent ad affictum s. Lazarus Pilotus cum reliquis qui solvunt de affictu annuatim duc. 72. Quartos tres in totum, quæ est secunda pars suprascripta in ordine posita dicto vero Capitulo obvenit in parte pars in qua sunt notatæ domus quas habent ad affictum dictus D. Franciscus Cerdo sive Calegarius cum reliquis superius descriptis quæ sunt numero quinque & solvunt in totum duc. 76. de affictu, quæ est prima pars, ut supra in ordine posita. Alia vero tertia similiter obvenit prædicto D. Plebano in qua sunt descriptæ domus quas tenent ad affi-

affictum Magister Peregrinus cum reliquis, qui solvunt de affictu duc. 71. Post quas immediate antedictus Reverendiss. D. Patriarcha Commissarius & Executor assignavit dictam tertiam partem domorum & possessionum prædicto Capitulo eis sorte obventa cum omnibus earum juribus & pertinentiis ex quibus illi de Capitulo qui nunc sunt & pro tempore erunt & ipsum Capitulum possint perpetuo exigere, & pro se retinere omnes introitus, & reditus inde annuatim provenientes pro tertia parte debita ex concessione Apostolica & aliis, de quibus supra absque alicujus obstaculo, & contradictione inter Præsbyteros Diaconum & Subdiaconum prædictæ Ecclesiæ dividendos secundum ipsius Ecclesiæ consuetudines de aliis hujusmodi reditibus & introitibus observatam. Ita quod illi de dicto Capitulo & ipsum Capitulum imposterum possint, & valeant domos, & possessiones prædictas ad eorum libitum locare, & de illis facere sicut prædictus D. Plebanus ipse, & sui prædecessores de illis fecerunt remanentibus prædictis aliis partibus D. Plebano, & successoribus. Pro quibus quidem partibus sic sorte obventis, & assignatis partes prædictæ substituere debeant pro rata onera, debita, & consueta. Et quoniam ex calculatione dictarum domorum prædicto modo divisarum prædictus Reverendiss. D. Patriarcha Commissarius & executor vidit non esse observatam omnimodam inter ipsas partes equalitatem secundum intermissionem suam & debitum juris & honestatis; ideo Sua Dominatio Reverendissima pro tali equalitate servanda determinavit quod Capitulum prædictum perpetuis successivis temporibus dare deberet dicto Plebano & qui pro tempore erit quolibet anno duc. 2. & gross. x. & VIII. ad aurum, quantum plus excedit dicta tertia pars ipsi Capitulo obventa omni exceptione remota; de quodam vero Magazeno prædictæ Ecclesiæ de quo extitit inter partes contentio antedictus Reverendiss. D. Patriarcha Commissarius & Executor determinavit quod dictum Magazenum remanere deberet pro ipso Dom. Plebano, & successoribus suis ita tamen quod ipse, & dicti successores dare deberent dicto capitulo quolibet anno in perpetuum ducatum annuum. Quæ omnia & singula prænominatus Reverendissimo D. Patriarcha Commissarius & executor mandata Apostolica sibi injuncta per præinsertam commissionem exequendo in divisione, assignatione, & determinatione præmissis fecit, ordinavit, constituit, & decrevit apostolica auctoritate, ut dixi non tantum modo de jure præsertim juxta vim formam, & tenorem verum etiam omni alio meliori, validiori, atque firmiori prædictæ Apostolicæ commissionis non obstantibus omnibus illis quæ in ipsa Sanctissimus Dominus Noster voluit non obstare. Præsentibus ad omnia supranominatis Dominis Plebano & Titulatis sive Capitulo dictæ Ecclesiæ & illa acceptantibus, & approbantibus, atque rogantibus me Notarium & Cancellarium infrascriptum, ut de illis unum, & plura conficiam instrumenta, prout erit necessarium, & opportunum.

Acta & facta fuerunt omnia, & singula supradicta Venetiis in Ecclesia supradicta S. Appolinaris anno Indictione & die supradictis præsentibus ibidem Rever. Patre D. D. Antonio Seracho Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Corinthiensi Vicario Patriarchali & Ven. Presbyteris DD. Georgio Polli Archipræsbytero & D. Præsb. Philippo de Fermo Canonico Venetiarum testibus vocatis, & rogatis.

Ego Philippus Ariminensis qu. D. Federici Publicus Imperiali auctoritate Not. & Cancell. prædicti Reverendiss. Patriarchæ supradictis omnibus & singulis rogatus interfui, sed propter alias occupationes meas per alium scribi feci, ac in fidem præmissorum prædictus Reverendiss. D. Patriarcha jussit sui soliti Pontificalisque sigilli appensione muniri, & me subscribi signumque meum apposui consuetum.

DE



DE

ECCLESIA PAROCHIALI

SANCTI MATTHÆI APOSTOLI.

ANNO Domini MCLV. *Leonardus Cornario obtulit Deo, & Henrico Patriarchæ fundum, in quo subsequenter ipse & cœteri convicini Ecclesiam in honorem Sancti Matthæi Apostoli devotissime construxere*. Hæc de prima origine Ecclesiæ Parochialis S. Matthæi in Rivoalto ædificata affert Dandulus in Chronico lib. 9. cap. XIV. part. 17. Quamvis autem in Codice Danduli Ambrosiano legatur pro Leonardo *Bernardus*, quo etiam nomine illum donat Sabellicus Dec. 1. lib. 6. appellandus tamen est Leonardus ex autographo donationis documento in Patriarchali Venetiarum Archivo inter Gradenses schedas asservato. Pius vir *pro divino amore, & remedio animæ suæ, & parentum* suorum *in Dei & Christi nomine* Henrico Dandulo Gradensis Ecclesiæ Patriarchæ dedit, atque obtulit *unam petiam de terra omnibus profuturis temporibus possidendam*, cujus confinia in ipsius donationis tabulis circumscribuntur, ac definiuntur. In ea deinde terra ipse Leonardus Cornarius & cæteri convicini Ecclesiam *ad honorem Dei & S. Matthæi Apostoli, & Evangeli-*

stæ

stæ sub regimine Sanctæ Gradensis Ecclesiæ ædificaturos se fore promittunt (A). Templo itaque ad religiosam oblatoris mentem brevi tempore extructo, quædam pia & nobilis Vidua Sidiana nomine, cum Joannis filii prædefuncti quem ex viro suo Ugerio Sanudo genuerat; facultates administrandas possideret *pro divino amore & remedio animæ suæ, & suprascripti Joannis Sanudi filii in Dei & Christi nomine* donavit, & obtulit *Ecclesiæ Dei & S. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ pro futuris temporibus in perpetuum possidendam unam petiam de terra vacuam positam in suprascripto confinio S. Matthæi*, ut Plebani ibi per tempora existentes eam perpetuo jure retinerent, & possiderent. Donationis tabulas complevit, & roboravit Dominicus Arduynus Presbyter & Notarius anno Domini 1166. Mense Septembris Indict. xv. (B). Parochialem Domum in ipsius terræ solo fundatam fuisse ex eo deducitur, quod nullis aliis dotata erat Ecclesia redditibus, ad quam propterea decentiori cultu excolendam cum Laniorum Collegium congruos assignasset proventus, ex munifico Eugenii IV. diplomate Bononiæ dato VIII. Kal. Junii anno 1436. perpetuum ejusdem Ecclesiæ juspatronatum cum Rectoris eligendi facultate impetravit, cujus rei ut firmior esset memoria marmori commendata fuit hac epigraphe.

D. O. M.

Templum hoc antiquit. erectum Nec non Kal. Aug. ad Dei cultum ac Beatissimi Apostoli, & Evangelistæ Matthei honorem consecratum Eugenio IIII. Pont. Max. Ven.o Lanior. Colleggii Pietate Jur. Pat. concessione dotatum fuit. An. Sal. MCDXXXIX. Die x. Aug. Marco Condulmerio Pat.a Gradense Stephano Bertuccio Pleb.o Joanne Storzario Colleggii Custode Curantibus vero Christophoro Minello Hier.o Viviano Andrea Palmoro.

Ex vetustate fatiscens Templum instauratur anno Domini 1615. ut ex inscriptione marmorea edocemur parieti affixa.

D. O. M.

„ Post Jur. Pat. impetrationem cum ab eodem Collegio ma-
„ gna ex parte Templum sit innovatum, ac illius instaura-
„ tio

„ tio Sacelli hujus reparatione perficienda esset An. D. MDCXV.
„ Kal. Martii Illud ad perfectionem duci curarunt Paulo Quin-
„ to Pont. Max. Fran:co Vendrameno Ven. Pat:a Fran:co Za-
„ ne Templi Antistite Joanne M:a ab Oleo Custode, Procura-
„ toribus Alexandro de Rudeis Francisco Leoncino Matthæo
„ ab Oleo.

Postremo cum nostris hisce temporibus ad ruinas vergeret, Nicolai Milesii Plebani studio a fundamentis in elegantiorem formam restituitur, sacraque suppellectile, & ornamentis copiose instruitur anno Domini 1735. inde die XXIII. Septemb. anno 1743. per Aloysium Foscarum Patriarcham Venetum consecratur.

Ecclesiæ antiquitus erectæ ac postmodum reædificatæ, ut perenne extaret monumentum duobus insculptum est lapidibus, atque exteriori Templi prospectui affixum.

„ Templum hoc ad D. cultum, & D. Apost. & Evange-
„ listæ Matthæi honorem antiquitus erectum Kalendis Augusti
„ dicatum Eugenio IV. Pont. Max. Laniorum Collegii pieta-
„ te jur. Patr. concessione donatum. An. sal. MCCCCXXXIX.
„ Marco Condulmerio Patr. Gradense Stephano Bertuccio Ple-
„ bano. Ab eodem jur. Patr. Collegio instauratum anno sal.
„ MDCXV. Paulo V. Pont. Max. Francisco Vendrameno Patr.
„ Francisco Zane Plebano.
„ Senio confectum a fundam. innovatum fuit Lanior. Col-
„ legii consensu ope, & ære, quorum curam multorum pie-
„ tas æmulavit an. sal. MDCCXXXV. Brevi mensium curriculo
„ ad sacra paratum breviori annorum cursu per omnia unde-
„ quaque completum An. Sal. MDCCXXXXIII. Benedict. XIV.
„ Pont. Max. Consecratum fuit die XXIV. Septemb. ejusdem
„ anni per Illustriss: & Reverendiss: DD. Aloysium Foscari
„ Patr. Venet. Nicolao Milesi Antistite. Custode tunc tempo-
„ ris Bernard. Giozza.

Nonnullis ditatur divorum lipsanis, nempe ex ossibus S. Apostoli Titularis, S. Liberalis Episcopi Cannarum, & M. S. Gottardi Episc. C. & S. Agathæ Virginis, & Martyris.

Ordo

Ordo Plebanorum Ecclesiæ Sancti Matthæi Apostoli Chronologice dispositus.

Notandum primo venit, ne ex nominis æquivoco difficultas, aut error oriatur, Petrum Reginum Plebanum Sancti Apostoli Matthæi, & Notarium Publicum Curiæ Palatii Venetiarum rogasse instrumentum translationis, cui interfuit corporis Sancti Stephani Protomartyris anno 1110. Cum vero nulla Venetiis extaret Ecclesia S. Matthæi Apostoli, pro certo dicendum est Petrum Reginum fuisse Plebanum Ecclesiæ S. Matthæi Apostoli tunc temporis sitæ in Episcopatu Methamaucensi in Clugia majori, quæ tamen Ecclesia quamvis in Diœcesi Methamaucensi existens de jure tamen erat Gradensis Patriarchatus, ut videre est superius in monumentis Ecclesiæ S. Silvestri pag. 65. in instrumento juramenti a Stephano Baduario Episcopo Methamaucensi præstito anno 1107. mense Junii. In eodem Archivo S. Georgii ad annum 1090. recensetur Petrus Reginus Plebanus S. Simeonis, & Not.

1312. Laurentius Chasulo. Ex rogitis Marci Bono Pleb. SS. Apostolorum. Circa hæc tempora Ecclesiam hanc fuisse Collegiatam comperimus ex variis testamentis nempe ad annum 1346. Testamentum Pauli de Pistorio Presb. Eccl. S. Matthæi de Rivoalto, & Primicerii Gradensis quod rogatum fuit per Zenum de Zenis Not. Anno etiam 1347. in alio Testamento rogato per Notarium prædictum subscribitur testis Marcus de Vivianis Presb. & Diac. Sancti Matthæi de Rivoalto.

1364. Donatus Charlo Vicarius S. Matthæi de Rivoalto. Ex rog. Marini Pleb. S. Gervasii.

1392. Bartholamæus Vido Rector Ecclesiæ S. Matthæi de Rivoalto. Ex Arch. Patriarchali.

1440. Stephanus de Bertuciis Primus Electus a Laniorum Collegio.

1453. Antonius Tervixano. Ex Arch. S. Canciani.

1468. Sabbas. Ex Arch. Patriarchali.

1482.

1482. Hieronymus Marino Sacræ Theologiæ Professor. Ex rog. Natalis Regia.
1527. Joannes. Ex Testam. Antonii Brocardi.
1534. Dominicus de Bari. Obiit 9. Martii 1553. Ex cod. ms. Plancherii.
1553. Bernardinus Bellini. Ex Arch. Ecc. S. Agnetis.
1587. Evangelista Saetta.
1609. Joannes Franciscus Zane prius Presb. Titul. S. Apollinaris Canonicus Ducalis & Archipresbyter Congregationis Sancti Ermacoræ. Sub eo instauratur Ecclesia. Obiit 1630.
1630. Jo: Baptista .... Ob. peste 15. Junii 1631.
1637. Paschalinus Merlato.
1658. 29. Novembris. Marcus Antonius Indelli Monopolitanus, cujus electionem irritam esse declaravit X Virum Decretum.
1658. Philippus Nani.
1671. Michael Melandri.
1674. Rochus Frezza.
1675. Johannes Valandri.
1680. Nicolaus Palmerinus J. U. D. Canon. Ducal.
1731. Nicolaus Milesius Presb. Eccl. S. Hieremiæ. Ejus cura renovatur a fundamentis Ecclesia.



Leonardus Coronarius offert Gradensi Ecclesiæ peciam terræ in Rivoalto pro ædificanda Ecclesia S. Mathæi quæ sit sub Gradensi Patriarcha.

A.

1155. Februarii (a).

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi Anno ejusdem Redemptoris Nostri 1155. mense Februarii Indictione IV. Rivoalti. Quemadmodum semper exercere & summo studio unumquemque antelare oportet qualiter obsequiis & dignis muneribus Domino placere valeat. Quocirca Ego D. Leonardus Coronarius filius qu. Stephani Coronarii de Capite Rivoalti cum meis heredibus, ac prohere-

(a) Annus 1155. mense Februario adjecta Indictione IV. computandus est More Veneto.

heredibus, seu perpetuis temporibus pro divino scilicet amore, & remedio animæ meæ, & parentum meorum ab hodie in Dei & Christi nomine do, dono, concedo, atque offero Domino Henrico Patriarchæ, & sanctæ Gradensi Ecclesiæ unam meam peciam de terra omnibus profuturis temporibus in perpetuum possidendam tempore Dompni Henrici Danduli Venerabilis Gradensis Patriarchæ. Habente ipsa pecia de terra in sua longitudine palmorum pedum quadraginta, & in sua latitudine palmorum pedum viginti quinque uno suo capite firmat in calli publico alio autem suo capite firmat in me ipso. Uno ejus latere similiter firmat in me ipso, alio autem suo latere firmat in calle publico. Similiter do, dono, concedo, atque offero Domino, & Sanctæ Gradensi Ecclesiæ duos pedes de terra a capite suprascripta pecia de terra, quam vobis superius determinatum ab eo recto tramite usque ad rivum Magadesso ubi inter nos sit commune introitus, & exitus, junctorium, & jaglationes uno suo capite firmat in suprascripta pecia de terra alio autem suo capite firmat in prenominatum Rivum uno ejus latere similiter firmat in me ipso alio autem suo latere firmat in suprascripto calli publico qui callis debet esse semper disoccupatum unde ego & mea familia, vel quicunque mihi placuerit in die, & in nocte ire, & redire debemus nullo nobis homine contradicente. Hanc itaque suprascriptam & predesignatam peciam de terra, atque prefatum callem quam superius determinatum habeo cum omni sua longitudine, & latitudine, cum capitibus, & lateribus suis, & cum omnibus suis habentiis & pertinentiis, atque cum universis suis adjacenciis intus, & foris, & cum introitu, & exitu suo per terram & per aquam, & sicut ab auctoribus & proauctoribus meis, & a suprascripto patre meo possessa & retenta, & a me usque modo donata fuit, ita pleniter per ordinem ut supra legitur ab hodie in Dei & Christi nomine do, dono, & offero suprascriptam peciam de terra, & suprascriptum callem prefatæ Dei Ecclesiæ, & vobis suprascripto Henrico Dandulo Dei gratia Venerabili Patriarchæ, & vestris successoribus ad retinendam & possidendam, & dominandam, & defendendam illam ab omnibus hominibus. In qua videlicet terra ego suprascriptus Leonardus Coronarius cum Johane Navigajoso, & Marsilio Georgio, & Marco Georgio, & Uberto Faletro, & Lamberto & Otone de Raynerio, & Henrico & cum ceteris nostris convicinantibus debemus fundare ecclesiam vestro mandato, & concessione ad honorem Dei, & S. Mathei Apostoli & Evangelistæ sub regimine Sanctæ Gradensis Ecclesiæ & vestro vestrorumque successorum. In qua quoque ordinabitis Presbiteros per tempora & plebanum electione Clericorum & peticione vicinorum. Preterea promittens promitto Ego Dom. suprascriptus Leonardus ut nullo unquam tempore contra hanc offertionis cartam ire non audeam salvo tamen ut superius determinatum ab eo de prefatum calem non per me ipsum, neque per ullos meos heredes, nec eciam per aliquam submissam, vel instructam personam hominum non in vita mea, neque ad hobitum meum. Quemadmodum in legibus piissimorum Augustorum preceptum est ut quod semel datum, vel oblatum fuerit nullo modo revocetur. Quod si quocunque tempore contra hanc presentem offercionis cartam ire temptavero quid bono feci animo incidat ira divina in me, & in omnibus illis quicunque aliquid inde subtrahere, vel minuere presumpserint, & sub anathemate trecentorum decem, & octo Patrum maneat constrictus & insuper componat suprascriptæ Dei Ecclesiæ auri obrizi libras x. & hec offercionis carta in perpetuum in sua firmitate maneat.

✠ Ego Leonardo Coronario m. m. ss.
✠ Ego Johannes Maurocenus ss.

✠ Ego

✠ Ego Dominicus Natale tt. ss.
✠ Ego Marcus Marango tt. ss.

L.S. Ego Johannes Cirinus Presb. & Ecclesiæ Sancti Cassiani Plebanus & Not. complevi & roboravi.



Sidiana uxor Ugerii Siriani offert quandam Peciam terræ Ecclesiæ S. Mathæi Apostoli.

B.

1166. Septembris.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi anno Domini 1166. Mensis Septembris Indictione xv. Rivoalto. Si quis de suis facultatibus sanctis Dei Ecclesiis dare, vel offerre desiderans Domino concedente perficitur magnam inde sibi remunerationem die judicii acquirit quam enim ab aeterno remuneratore certe sperat consequi. Quapropter ego quidem Sidiana Uxor Ugerii Sanudi de confinio S. Martini de Geminis mater & commissaria Johannis Sanudi cum meis successoribus, & heredibus pro divino scilicet amore & remedio animæ meæ, & suprascripti Johannis Sanudi filii, & commissarii mei sive parentum meorum ab hodie in antea in Dei, & Christi Nomine do, dono, concedo, atque offero Ecclesiæ Dei, & Sancti Mathei Apostoli, & Evangelistæ pro futuris temporibus in perpetuum possidendi, & dominandi, videlicet unam peciam de terra vacua posita in suprascripto confinio Sancti Mathei habente in sua latitudine tota equaliter plus pedes quindecim, & semisso. uno suo capite firmante in calle commune percurrente usque in canalem, & uno suo latere firmat in calle commune que discurrit usque in piscina ponciänica, & ab alio ejus latere firmat in guidone Gruersum quæ vero pecia de terra fuit petroniæ filiæ Ursonis Ferarii, & ipsa eam dedit, & transactavit per documenti paginam ad Mariam filiam Johannis Tiberii, uxorem vero Dominici Tiberii, & suprascripto Johanni Sanudo filio, & commissario meo advenit per successionem suorum parentum, & ab eodem filio meo mihi evenit per commissariam sicut continetur in suo testamento ubi me ad suum obitum suam fideicommissariam dimisit. Hanc namque totam suprascriptam & predesignatam peciam de terra cum omni longitudine, & latitudine sua, cum capitibus & lateribus suis, & cum omnibus suis habentiis & pertinentiis, & cum introitu & exitu suo, & cum callibus & viis suis ita pleniter ut supralegitur ab hodie in Dei & Christi Nomine ipsam peciam de terra do, dono, & offero suprascriptæ Dei Ecclesiæ, & plebanis ibi per tempora existentibus ad retinendum, & possidendum, atque dominandum, & defensandum ipsam suprascriptam peciam de terra. Unde Promittens promitto ego quidem suprascripta Sidiana ut nullo unquam tempore contra hanc presentem offercionis cartam contraire non audeam non per me ipsam, neque per meos heredes, neque per aliquam submissam, vel instructam personam hominum non adeundo judices, nec supplicando principi-

Z 2

cipibus. Quia in legibus piissimorum Augustorum cautum, atque preceptum est ut quod semel datum, vel donatum fuerit nullo modo revocetur. Quod si quocunque tempore contra hanc presentem offercionis cartam ire temptavero quam bono & claro animo feci; incidat ira divina in me, & in omnibus illis quodcunque aliquid inde subtrahere, vel minuere presumpserit, & sub anathemate trecentorum decem & octo patrum maneat constrictus, & insuper componat ipsi Dei Ecclesiæ auri libras quinque & hæc offercionis carta in sua firmitate permaneat. Signum suprascriptæ Sidianæ quæ hæc rogavit fieri.

✠ Ego Zurelli campulo tt. ss.

✠ Ego D. Zanbono tt. ss.

L.S. Ego Dominicus Arduynus Presb. & Notarius, complevi, & roboravi.



D E



DE ECCLESIA PAROCHIALI S. JOANNIS ELEEMOSINARII IN RIVOALTO.

VETUSTISSIMAM esse Divi Joannis Eleemosinarii Ecclesiam in ipso Insulæ Rivoaltinæ meditullio positam ex eo infertur, quod ipsius Turris, seu ex vetustate, seu ex infortunio corruerit anno millesimo septuagesimo primo Rempublicam administrante Dominico Silvo Duce Venetiarum. Præter aliqua Rectorum, seu Plebanorum nomina, (inter quæ celeberrimum est Angeli Barotii, postea eximii Patriarchæ Gradensis, nomen) nulla sese offerunt hujus Ecclesiæ monumenta usque ad annum millesimum quadringentesimum quadragesimum. Eo anno Eugenius IV. Romanus Pontifex, ut Ecclesiam Castellanam ex redituum tenuitate a Canonicis & Præbendatis neglectam ad decentiorem cultum promoveret, motu proprio, nonnullis officiis, seu dignitatibus in ipsa institutis *Collegium* quoque *perpetuum duodecim pauperum Clericorum, nec non unum in Gramatica, & alium in Cantu magistros authoritate Apostolica ex certa scientia* creavit.

vit. *Pro dote* deinde & *substentatione puerorum clericorum, ac magistrorum pro tempore prædictorum*, PLEBANATUM PLEBIS S. JOANNIS ELEEMOSINARII, *qui dignitas inibi principalis* existebat, *& parvam præsertim Civium Venetorum animarum curam* habebat, *nec non unum ex tribus benefitiis Præsbyteralibus in dicta Plebe S. Joannis institutis primo vacaturum, ac etiam S. Marci Bochalamæ in suis structuris & ædifitiis penitus diruptam & collapsam, ac S. Jacobi de Rivoalto sine cura Ecclesias cum omnibus suis juribus prædicto collegio puerorum clericorum, & eorum collegiali mensæ* perpetuo incorporavit, annexuit, & univit. *Ita quod simul, vel successive cedentibus, vel decedentibus Plebano Plebis S. Joannis, ac benefitiatum in eadem ad benefitium* liceret præfati Collegii procuratoribus *possessionem uniendorum apprehendere*, atque eorum reditus *in puerorum Clericorum, ac Magistrorum usus, & utilitates convertere*. Pontificium Eugenii diploma *Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo* IV. *Kalendas Januarii* novo confirmationis Apostolicæ robore confirmavit Calixtus Papa III. *anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo* quinto VI. Kalendas Julii. Utrumque dabimus ad Patriarchalem Divi Petri Ecclesiam, ad quam ex integro pertinere videntur.

Sub hæc ferme decreta Ecclesiæ Parochiani tum Nobiles, tum Cives dolentes ipsius redditus in alios usus occupari, Magistratum in ipso Rivoalto residentem, quem *Offitiales Rationum novarum* appellant, adierunt, ipsique declararunt, *gubernationem, & curam Ecclesiæ Sancti Joannis Eleemosinarii in Rivoalto ad eorum offitium ex publico mandato pertinere*. His auditis Magistratus Præsides, *ut oneri eis injuncto satisfacerent omnes sui offitii scripturas, & antiqua monumenta studiose perquirere voluerunt, ex quibus verum esse, quod illis fuerat nuntiatum*, cognoverunt. Ea propter jus publicum conservare cupientes in dicta Ecclesia, in qua etiam, *ut ex antiquissimis monumentis constat, ex ligno Sacratissimæ Crucis Dominicæ invenitur* habita *vera & matura notitia, quod Ven. Presb. Aloysius Zoja civis Venetus integræ vitæ, bonorum morum, ac illæsæ famæ* cum maxima omnium satisfactione diu in ipsa Ecclesia versatus fuerat, ipsum Rectorem, & Plebanum dictæ Ecclesiæ nominarunt. Electionem hujusmodi ægre ferentes Patriarchalis

lis Ecclesiæ Canonici ad jura sua vindicanda, & tuenda Pontificia diplomata ostenderunt, quæ tamen surreptitia esse, & clandestino obtenta Magistratus supradictus e converso affirmabat.

Ut vero in tanta re maturius procederet Senatus Venetus, ex prudenti consilio Duce præcedente ad Ecclesiam ipsam accessit, atque die 3. Februarii anni 1487. More Veneto computati ipso Pontificis legato adstante Lignum Dominicæ Crucis per Patriarcham Venetiarum Maphæum Gerardum *e loco in quo multis annis clausum latuerat extrahi* jussit, & debita veneratione *in decenti loco collocari*. Igitur non minus proprii juris, quam religionis causa excitatus Senatus *ad dictæ Ecclesiæ curam, & protectionem suscipiendam* Oratori suo in Romana Curia degenti *efficacissime* imperavit, ut *sumpta quamprimum occasione Summum adiret Pontificem*, ipsique rei serie exposita supplicaret, ut *sic justitia, æquitate, veritate, & religione suadente, unionem, & confirmationem prædictas surreptitias ex toto delere dignaretur, & penitus revocare; atque prædictis Canonicis perpetuum super dicta Ecclesia silentium imponere*. Insuper ex antiquæ pietatis instituto, nihil quod ad Ecclesiæ dignitatem, & ad Dominicæ Crucis gloriam pertineret prætermittens Sanctitatem Pontificis obsecrari mandavit, ut *pro tanto tam communi bono* dignaretur *indulgentiam aliquam dictæ Ecclesiæ in diebus, tam Inventionis, quam Exaltationis* Sanctissimæ Crucis, ac die Beati Joannis Eleemosinarii, quod festum die tertio Februarii celebratur, visitantibus, & auxilium præstantibus impartiri vellet (A).

Pontifex igitur qui tunc temporis erat Innocentius hujus nominis VIII. totius rei negotio per Veneti Oratoris relationem percepto, Divini cultus augmentum, & animarum utilitatem pro sui offitii munere *supremis* exoptans *affectibus*, *unionem, annexionem, & incorporationem prædictas* authoritate apostolica omnino dissolvit, & Divi Joannis Eleemosinarii Plebanatum *a Collegio & ejus mensa* separatum, *in pristinum statum, & eum in quo antequam unio, annexio, & incorporatio prædictæ fierent quomodolibet existebat statum* restituit pleneque quoad omnia reintegravit. Aloysium deinde Zojam electum Plebanum Apostolica authoritate confirmavit, atque Archiepiscopo Nicosiensi, ac S. Mariæ Formosæ & S. Geminiani Ec-

clesia-

clesiarum Plebanis per apostolica scripta mandavit, ut eundem Aloysium recepto prius ab eo Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ juramento in corporalem Plebanatus possessionem inducerent. Diploma datum fuit Romæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo die vigesima secunda Aprilis (B).

His ex Pontificia concessione rite actis *Consiliarii*, qui una cum Duce rebus publicis præsunt, *cupientes opportune prospicere* & Ecclesiæ incolumitati, & salutiferi ligni decori, die 28. Julii ejusdem anni 1488. elegerunt quatuor integerrimæ vitæ viros, quos eidem Ecclesiæ procuratores constituerunt *cum illa eadem authoritate, libertate & facultate quam habent alii procuratores cæterarum Ecclesiarum hujus Urbis*. Hi ex impositi sibi oneris officio die prima Augusti certos Plebano redditus statuerunt solemni instrumento quod Augustinus Barbadico Venetiarum Dux *tanquam Dominus, & Patronus dictæ Ecclesiæ S. Joannis* approbavit, & confirmavit, atque *ad majus robur, & firmitatem* subscripsit, & *bulla argentea suæ Serenitatis* pendente communiri mandavit (C).

Anno deinde millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio die 4. Maii Alexander Papa VI. pro meliori firmiorique ipsius Ecclesiæ regimine nonnulla de electione & institutione Titulatorum laudabilia statuta jussit esse observanda, Ecclesiamque ipsam ejusque Plebanum & beneficiatos iisdem privilegiis & exemptionibus, quibus fruuntur Ducale Templum, ejusque Clerus, Apostolica liberalitate exornavit. Pontificiæ concessionis exequutio per ipsum Alexandri Diploma demandata fuit Patriarchæ Constantinopolitano Episcopo Calamonensi, atque S. Mariæ Jubanico plebano Apostolicis Delegatis (D).

Ecclesia per decem & octo annos optime administrata mortalitatem exuit Aloysius Zoja, cujus locum, eligente Leonardo Lauredano Venetiarum Duce ipsiusque Ecclesiæ Domino & Patrono, suscepit Christophorus Persicinus Ducalis Canonicus, & Parochialis Ecclesiæ S. Luciæ de Prata Concordiensis Diœcesis Rector & Venetus Civis. Electionem confirmavit Julius Papa II. utque electus Christophorus ambas uno tempore retineret Ecclesias apostolica dispensatione concessit, *proviso* tamen *quod Plebania & Ecclesia S. Luciæ prædictæ debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis nulla-*

nullatenus negligatur; Plebano quoque S. Bassi per apostolica scripta mandavit, ut si electum ad id munus idoneum esse repererit, recepto prius ab eo fidelitatis Summo Pontifici Romanæque Ecclesiæ debitæ juramento, Plebanatus corporalem possessionem ipsi apostolica authoritate concederet (E).

Ipso Leonardo Lauredano Duce anno 1513. *ex memorabili illo, ac simul miserabili Rivoalti totius incendio Divi Joannis Eleemosinarii* Templum igne & flammis consumptum solo æquatum est. Ad illud ex ruinis ad pristinum decus restituendum non solummodo fidelium pietas, & Plebanorum diligentia, sed & ipsa Andreæ Gritti religio plurimum contulerunt. Ut vero præclarum hujusmodi incœptum opus religione & cultu magis amplificaretur, Andreas Gritti Dux Venetiarum, qui paulo ante Petro Peregrino Plebano vita functo successorem dederat Nicolaum Bussatum probatæ & exemplaris vitæ sacerdotem, quatuor Ecclesiæ Procuratores per Plebanum & Capitulum pridem electos uti Patronus & Dominus confirmavit, atque Ducale Diploma datum die sexta Augusti anno millesimo quingentesimo vigesimoseptimo *bulla plumbea pendente* jussit communiri (F). Ne lapsu temporis infortunii & reparationis memoria oblivione deperderetur, inaurato marmori pilis Ecclesiæ affixo credita est.

„ Templum hoc quod anno a Christi Natali 13. supra 1500.
„ simul cum tota Insula Rivaltina igne conflagratum corruerat,
„ Andreas Gritti Princeps Serenifs. & Petri Martini Pleb. di-
„ ligentia restituit.
„ Mox vero illud suos fines in tanta incendii vastitate tur-
„ batos, & a D. Matthæi Templo occupatos, Nicolai de Pon-
„ te Princ. & Pat. Ser. Sapientia post 38. annos, quibus dis-
„ ceptatum fuit, legitime recuperavit.

Assumpto ad Ducale fastigium Francisco Donato viro in divinis & humanis litteris doctissimo, cum ad jura Ducalia, seu conservanda, seu restituenda omni studio incumberet, facile jus suum ex instituta Titulatorum electione lædi cognovit. Quapropter ex S. C. Decreto Apostolicum Pauli III. diploma impetravit, quo decernitur, ut *de cætero perpetuis futuris temporibus dictus Franciscus modernus & pro tempore existens Dux Venetiarum solus, prout antea faciebat, personas idoneas ad dicta benefitia præsentare libere, & licite possit, & valeat*. Ex

quarum litterarum vigore Joannes de la Casa electus Beneventanus Sanctæ Sedis apud Dominium Venetiarum Legatus Franciscum *Ducem modernum & pro tempore existentes* ejus successores, sicuti per Apostolica scripta ei demandatum fuerat *in pristinum & eum statum in quo ante præmissa quomodolibet erant* reposuit & redintegravit lata sententia in Palatio apud Sanctum Joannem a Templo anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto die xxix. Mensis Septembris (G).

Cum autem *tria perpetua benefitia Ecclesiastica Presbyteratus nuncupata in prima fundatione Ecclesiæ Plebis S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto fuissent instituta*; licet ad duo tantummodo temporis lapsu redacta; Franciscus Venerio Dux pro decore, & ornamento domus Dei sollicitus tertium addidit, ut Ecclesia ad antiquum ministrorum numerum pro divini cultus augmento restitueretur. Acta fuit institutio anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto die septimo Novembris, qua pariter die in novi tituli Presbyterum elegit Antonium Abiosum Bartholomæi Medici filium (H).

Templum a Familia Trivisana conditum, & ad Antonii Scarpagnini archetypum renovatum, ejusque campanariam Turrim anno 1398. inceptam, atque cum Horologio ad annum 1410. perfectam asserit Sansovinus. Aræ Principis tabula Titularem Divum exhibens Titiani Vecellii est opus, ad cujus æmulationem Joannes Antonius Begillus a Portu Naonis eximius Pictor Divi Sebastiani iconem egregie depixit.

De antiquissimo privilegio hujus Ecclesiæ pro sacris diebus Parasceve & Sabathi Sancti mentio ingeritur in Actis Concilii Gradensis anno 1296. apud Gradum convocati, quæ refert Ughellus Tom. v. Ital. Sac. col. 1239.

Consecrata fuit Ecclesia die Dominica vigesima octava mensis Septemb. anno 1572. cujus consecrationis memoria in ejusdem Ecclesiæ catastico asservatur.

„ Nos Daniel Vocatius Sacræ Theologiæ Professor Dei &
„ Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Dalmatiensis Hodie die
„ Dominica quæ est vigesima octava mensis Septembris Mil-
„ lesimi Quingentesimi Septuagesimi secundi. Ad preces Se-
„ renissimi & Excellentissimi Principis, & Domini D. Aloy-
„ sii Mocenici Dei gratia Inclyti Ducis Venetiarum &c. Con-

„ secra-

„ secravimus Ecclesiam in honorem Dei, ac memoriam San-
„ cti Joannis Eleemosinarii, & in Altari majori ejusdem Ec-
„ clesiæ Imposuimus Reliquias Sanctorum Apostolorum, & Mar-
„ tyrum, videlicet: Reliquias S. Pauli Apostoli, & S. Matthæi
„ Apostoli & Evangelistæ, ac etiam S. Mauritii Martyris, nec
„ non S. Joannis Eleemosinarii Episcopi, & Confessoris ejus-
„ dem Ecclesiæ Patroni, Ac etiam omnibus Christifidelibus,
„ & devotis concessimus Indulgentiam centum dierum in for-
„ ma Ecclesiæ consueta, in die Anniversarii præsentis Conse-
„ crationis, & per totam octavam & singulis diebus quadra-
„ ginta in perpetuum, in forma Ecclesiæ consueta; Sub Pon-
„ tificatu Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Domini
„ nostri Gregorii Divina providentia Papæ Tertiidecimi anno
„ ejus primo. Et existente Plebano ejusdem Ecclesiæ D. Præsb.
„ Ludovico Fadino S. Marci Canonico.

Series Plebanorum Ecclesiæ Sancti Joannis Eleemosinarii de Rivoalto.

1142. Petrus Gradonicus subscriptus in Decreto Processionis Scholarum. *Ugbell. Tom.* v. *col.* 1244. Et Murat. *Antiquit. Medii Ævi Tom.* VI. *col.* 466.

1211. Angelus Baroccius Pleb. & Capell. S. Marci. Assumitur ad Patriarchatum Gradensem. *Ugbell. Tom.* v. *col.* 1135. De eo plura ad Ecclesiam S. Sylvestri.

1212. Petrus Pino. Hunc Subdiaconum Innocentii III. Papæ, & Canon. S. Marci idem Pontifex confirmat Plebanum hujus Ecclesiæ juxta collationem factam ab Episcopo Cremonensi Legato Pontificio. *Ex Epistola* Innocenti III. *Tom.* 2. *pag.* 704.

1242. Philippus de Arimino Not. facit cartam securitatis Ugerio Abbati Sancti Nicolai de Littore. 1242. Indict. 1. Mens. Novemb. Ex Archivo Sancti Joannis de Torcello.

1263. Joannes. Judex Compromissarius & Not. Ex catast. Monaster. S. Antonii de Torcello.

1294. Lazarus Not. Ex rog. Ejusdem.

1310. Benvenutus Tedaldo. Ex rog. Bonaventuræ Sardellæ Not.

1341. Homobonus, seu Omnebonum Notarius & Aulæ Ducal. Cancell. Archipresb. Castell. Ex rog. ejusdem.

1390. Joannes Ducis Venet. Capellanus. Ex Archivo Patriarchali.

1391. Corradus Caracciolus Neapolitanus Pleb. Commendatarius. Ex Summario Legum Venet. in Codice Trivisaneo.

1399. Joannes Mocus Collector Apostolicus & Procurator, nomine Corradi Archiep. Nicosiensis, & Commendatarii S. Jo: de Rivoalto Castell. Diœc. In duplici rogito per Antonium de Bellancinis Not. 1408. Corradus S. R. E. Card. dictus Mellinensis tit. S. Chrysogoni Commendatarius Eccl. S. Joann. de Rivoalto. Ex rog. Francisci de Saccis Not. Videsis Ciacconium *Tom.* 2. *pag.* 820. *& alibi*.

1416. Joannes Marino Not. & Aulæ Ducal. Cancell. Ex lib. Testamentor. S. Mariæ de Misericordia; & ex rog. ejusdem.

1448. Paulus a Pergula Philosophus Peripateticus celeberrimus. Ex testam. Moysis de Prandis vocatur *Ven. Artium Doctor Magister Paulus della Pergula nunc Pleb. S. Joann. de Rivoalto*. Electus ad Ecclesiam Justinopolitanam ann. 1448. *eam curam contempsit subire*. Ughell. *Tom.* v. *col.* 390.

1493. Aloysius Zoja. Ex Diplomate Pontif. Alexandri VI.

1505. Christophorus Persichinus Rector Ecclesiæ S. Luciæ de Prata Diœcesis Concordiensis, Canon. S. Marci. Ex Diplomate Julii II.

1526. Petrus de Peregrinis Archipresb. Congreg. S. Mariæ Matris Domini. Obiit 6. Augusti 1527.

1527. 6. Augusti. Nicolaus Bussato. Ex Catast. Eccl.

1527. Nicolaus de Martinis. Ex Archivo Ecclesiæ Sancti Augustini.

1539. Cyprianus Franco olim Canon. Monast. S. Spiritus. Elect. a Duce Petro Lando Canon. S. Marci privatus fuit Canonicatu a Duce Laurentio Priolo, sed postmodum restitutus a Duce Aloysio Mocenico. Ob. 6. Augusti 1571.

1571. 6. Aug. Ludovicus Fadini Canonicus S. Marci. Ob. 7. Novemb. 1583.

1583.

1583. 10. Novemb. Natalis Celega. Ob. 1599.
1599. Dominicus Zucoli Canon. Ducal. Ob. 1605.
1605. Joannes Maria de Carnevaliis, Jo: Bapt. Equitis filius Canon. Ducalis. Ob. 1621. 1. Novemb.
1621. 11. Novemb. Joannes Dominicus Cera Canon. Basilicæ Ducalis. Ob. 1636. die ultima Decemb.
1636. M. V. die 1. Januar. Jacobus Grassetti Canon. S. Marci. Obiit 1644.
1644. Antonius de Grandis Presbyter S. Martini, & Canon. Sacrista Basilicæ Ducalis; Vir eximiæ pietatis. Ob. 7. Augusti 1662.
1662. 23. Aug. Nicolaus Ferro S. T. D. Capell. S. Severi, Canon. Ducal. Ob. 7. Julii 1677.
1677. 26. Octob. Joseph Rizzo Canon. Basil. Ducal. Ob. 14. Apr. 1681.
1681. Franciscus Juliani J. U. D. Protonotarius Apostolicus Canon. & Vicar. Eccl. Ducal. S. Marci. Conservator Bullæ Clementinæ. Ob. 12. Maii 1709.
1709. Jo: Baptista Regazzoni. Ob. Patavii 24. Julii 1716.
1716. Claudius de Paulinis Garzonibus Canon. Ducalis.



Senatus Oratori suo in Curia mandat, ut dissolutionem Ecclesiæ S. Joannis de Rivoalto ab Ecclesia Castellana impetret.

A.

1487. 12. Februarii (*a*).

Ex Archivo Sancti Joannis Eleemosinarii de Rivoalto.

FUerunt ad præsentiam nostram his diebus Viri Nob. Offitiales nostri Rationum novarum nobisque declararunt, quod cum ex multiplici tam nobilium, quam civium quærela intellexerunt gubernationem, & curam Ecclesiæ S. Jo: Eleemosinarii in Rivoalto ad eorum officium ex mandato nostro pertinere, cujus redditus occupantur, & in alios usus convertuntur, cum non modico Reip. nostræ dedecore, maximo civium incommodo, ipsiusque Ecclesiæ ingenti detrimento, & jactura, voluerunt ut oneri eis injuncto, sicuti tenentur satisfacerent, omnes sui offitii scripturas, & antiqua documenta studiose perquirere, ex quibus cum cognovissent verum esse, quod illis fuerat nuntiatum; cupien-

(*a*) Annus 1487. ad morem Venetum computatus annus est æræ communis 1488.

cupientes conservare jus nostrum in dicta Ecclesia, maxime certe, ut notis omnibus commoda, in qua etiam, ut ex antiquissimis monumentis constat, ex ligno S. S. Crucis Dominicæ invenitur; licet hucusque occupantium in curia, & negligentia non fuerit debitis honoribus illustratum, habita vera, ac matura notitia quod Ven. Presb. Aloysius Zoja civis noster integræ vitæ, bonorum morum, ac illesæ famæ, quique in dicta Ecclesia cum maxima omnium satisfactione diu versatus est, eum Rectorem, & Plebanum dictæ Ecclesiæ nominarunt per Summum Pontificem confirmandum, quemadmodum de cæteris hujus nostræ Civitatis Plebanis fieri consuevit. Quod cum audissent Canonici Patriarchalis Ecclesiæ nostræ venerunt ad nos una cum Rev. Patre D. Patriarcha nostro, asserentes dictam Ecclesiam fuisse eorum Capitulo per Eugenium, deinde per Calixtum Pontif. Max. unitam; Offitialibus autem nostris e converso affirmantibus dictam unionem multis rationibus, non tamen surreptitiam, sed ex toto nullam, nobisque penitus insciis, & omnino irrequisitis clandestino obtentam, esseque preterea ab omni ratione, & religione alienum, quod Ecclesia in medio Urbis nostræ sita tantopere omnibus Civibus comoda, in qua ex S.S. Dominicæ Crucis ligno veneratur pedissequa sit, & aliis quodammodo famuletur.

Nos vero licet omnia diligenter consideremus, ea tamen studiosius prospicimus, quæ Summi Dei honorem, ac publicam utilitatem, ac Civium commodum concernunt, omnibus mature consideratis laudavimus nimirum hoc tam, & sanctum opus, quod per Offitiales nostros factum fuerat. Accessimus præterea die tertia presentis, in quo festum S. Jo: Eleemosinarii celebratur, ad dictam Ecclesiam cum universo Senatu maximaque populi frequentia, & presente Reverendiss. Legato (a) per Reverendiss. Patrem D. Patriar. nostrum (b) Sanctissimum illius Lignum e loco, in quo multis annis clausum latuerat, extrahi fecimus, & debita veneratione in decenti loco collocari. Quod certe maxime nos movet ad dictæ Ecclesiæ curam, & protectionem suscipiendam. Et propterea vobis cum nostro Consilio Rogatorum efficacissime imperamus, ut sumpta quamprimum occasione Summum adeatis Pontificem, cujus Sanctitati rei seriem, ac nostrum desiderium significabitis, & studiosissime supplicabitis, ut in singularem complacentiam nostram civiumque omnium satisfactionem, sic justitia, æquitate, veritate, ac religione suadente, unionem, & confirmationem prædictas surreptitias, nobis penitus insciis, obtentas ex toto delere dignetur, & penitus revocare, Canonicis prædictis perpetuum super dicta Ecclesia silentium imponere; Plebanumque per Offitiales nostros nominatum confirmare, cum reservatione duorum beneficiorum, quæ canonice obtinet sine cura. Et quoniam constantissimæ voluntatis nostræ est, non prætermittere, quæ ad dictæ Ecclesiæ dignitatem, & Dominicæ Crucis gloriam pertineat, eamque temporalibus decorare ornamentis, & spiritualia illi non deficiant incrementa, Sanctitatem præfatam nostro nomine obsecrabitis, quod pro tanto, tamque communi bono dignetur Indulgentiam aliquam prout pientissimæ suæ Sanctitatis judicio videbitur, dictæ Ecclesiæ in diebus tam Inventionis, quam Exaltationis S. S. Crucis, ac die B. Jo: Eleemosinarii; quod festum tertio Februarii celebratur, visitantibus, & auxilium præstantibus, impertiri. Cæterum ut Capitulo sive Canonicis Ecclesiæ nostræ Patriarchalis prefatæ, nec minus substentationi puerorum Clericorum, & Magistrorum remaneat, sicut cupimus omni tempore bene provisum juxta formam Indultorum

(a) Nicolaus Francus Episcopus Parentinus primum, mox Tarvisinus, de quo Ughellus *Tom. V. col.* 569 *Ven. edit.*

(b) Patriarchali Venetiarum Ecclesiæ præerat Maphæus Gerardus, olim Monacus Camaldulensis.

rum Apostolicorum unionis prefatæ. Supplicantes etiam Sanctitati prefatæ, ut ad complementum satisfactionis hujus, tam sancti desiderii nostri de dignitate Apostolica concedere, & statuere dignetur, quod ex primis vacaturis beneficiis ecclesiasticis non Curatis in terris, & locis nostris, tot habeant devolvi, & annecti capitulo præfato, quot capiant summam ducatorum 200. in anno, ut justum est. Quæ omnia vos vestra solita dexteritate studiosissime procurabitis, & Summum Pontificem pro sua in nos paterna caritate libentissime concessurum magnopere confidimus.



Innocentius VIII. unionem Ecclesiæ S. Joannis de Rivoalto Collegio Pauperum Clericorum factam ab Eugenio IV. dissolvit, ipsiusque Ecclesiæ Plebanum confirmat Aloysium Zoja.

B.

1488. 18. Aprilis.

Ex Tabulario S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex justitiæ, & honestatis præcipuus conservator, & auctor, quicquid in alieni juris præjudicium & Divini cultus diminutionem processisse comperit, id ne graviorem tendat in noxam libenter ad rationis tramitem reducit & tam Ecclesiarum præsertim animarum curam habentium indemnitatibus, quam ecclesiasticis personis, quas ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant, providet opportune, prout locorum, rerum, & temporum qualitas exigit, ac causæ rationabiles suadent, & id in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem fel. record. Eugenius Pontifex quartus prædecessor noster in Ecclesia Castellana in Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum postmodum erecta, ex certis tunc expressis causis sex perpetua officia, quæ Subcanonicatus nuncuparentur in totidem personis ecclesiasticis ad illa idoneis, nec non unum collegium duodecim puerorum clericorum, ac pro eis totidem loca, nec non unum in grammatica & alium in cantu magistros in ecclesia præfata pro Divini ibi cultus augmento, ac illius decore, & venustate motu proprio, & ex certa scientia per quasdam perpetuo instituit, & creavit, ac pro dote, & sustentatione clericorum & magistrorum prædictorum Plebanatum Plebis S. Jo: Eleemosinarii in Rivoalto etiam Venetiarum, qui inibi dignitas principalis existit, dicto Collegio, atque eorum mensæ Collegiali perpetuo univit, annexuit, & incorporavit; & deinde piæ memoriæ Calixtus Papa tertius etiam prædecessor noster unionem, annexionem, & incorporationem prædictas per alias litteras suas approbavit, & confirmavit (prout in singulis litteris prædictis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur haberi volumus pro sufficienter expressis plenius continetur). Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis Viri Augustini Barbadico Ducis Venetiarum petitio continebat propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas in dicta plebe, quæ olim in magna veneratione a Christi fidelibus præsertim ob venerandam reliquiam Ligni Dominicæ Crucis, quod inibi habetur, erat Divinus cul-

cultus plurimum diminutus, & animarum cura Parochianorum dictæ Plebis, quæ etiam Parochialis existit, non parum neglecta, & propterea ipse Dux, quia ductus devotione nuper dictum Lignum, quod in loco minus convenienti conservabatur, in præsentia populi, ac Venerandi Patris Nicolai Episcopi Tarvisini nostri & Apostolicæ Sedis in partibus illis Nuntii, in digno & convenienti loco, & cum debitis solennitatibus reponi fecit, cupiat unionem, annexionem, & incorporationem prædictas dissolvi. Pro parte dicti Ducis nobis fuit humiliter supplicatum, ut unionem, annexionem, & incorporationem prædictas omnino dissolvere, dictumque Plebanatum a mensa & collegio hujusmodi penitus separare, ac in suum pristinum, & eum in quo antequam unio, annexio, & incorporatio prædictæ fierent quomodolibet existebat, statum restituere, reponere, & reintegrare, aliasque in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum nostris potissime temporibus, supremis desideramus affectibus, ac incommodis Christifidelium, quantum cum Deo possumus obviamus ac animarum eorumdem consulimus saluti. Volentes dilecto filio Aloysio Zoja Archidiacono Ecclesiæ Nonensis, qui Presbiter est, &, ut asseritur, in dicta plebe longo tempore in divinis laudabiliter deservivit, ac Duci, & Parochianis præfatis plurimum gratus, & acceptus existit apud nos de vitæ & morum honestate, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu gratiam facere specialem, ipsumque Aloysium a quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & penis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ex præmissis & cæteris aliis nobis expositis causis hujusmodi supplicationibus inclinati unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, auctoritate Apostolica tenore præsentium omnino dissolvimus, dictumque Plebanatum a Collegio & mensa hujus separamus, & segregamus, ac in pristinum statum, & eum, in quo antequam unio, annexio, & incorporatio prædictæ fierent quomodolibet existebat, statum restituimus, reponimus, ac plenarie reintegramus. Et nihilominus plebanatum prædictum, cujus fructus, redditus & proventus octuaginta florenorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt, & de quo nullus preter nos, pro eo quod dudum omnes dignitates, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura apud Sedem prædictam tunc vacantia & in antea vacatura, collationi, & dispositioni nostræ reservavimus. Decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari, hac vice disponere potuit, sive potest reservatione & decreto obsistentibus supradictis, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex cujuscunque persona, seu per liberam resignationem alicujus de illo in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram notario publico, & testibus sponte factam aut constitutionem recolendæ memoriæ Joannis Papæ XXII. etiam prædecessoris nostri, quæ incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensem præsentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostocas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter insertam effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua cujusque tenore ha-

habenda sit in nostris literis mentio specialis, aut si dictus Aloysius præsens non fuerit ad præstandum de observandis statutis & consuetudinibus dictæ Plebis solitum juramentum, dummodo in absentia sua per Procuratorem idoneum, & cum ad plebem ipsam accesserit, corporaliter illud præstet, seu quod dictus Aloysius Archidiaconatum Ecclesiæ Nonensis, qui inibi dignitas major post Pontificalem existit, cujusque vigintiquattuor ac cujus septem florenorum similium fructus, redditus, & proventus secundum estimationem prædictam valorem annuum non excedant, quoddam perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum titulum præsbiteralem nuncupatum in dicta ecclesia S. Geminiani noscitur obtinere: Nos enim cum præfato Aloysio, & una cum Plebanatu, si illum vigore præsentium assequatur Archidiaconatum hujusmodi, & cum eorum altero unum, & absque illis duo alia quæcunque curata, seu alias ad invicem incompatibilia beneficia ecclesiastica, etiam si parochiales Ecclesiæ, vel aliarum perpetuæ vicariæ ac dignitates, personatus, administrationes; vel officia in cathedralibus etiam metropolitan. vel collegiatis & dignitates ipsæ in cathedralibus, & metropolitan. post pontificales majores, aut in collegiatis ecclesiis hujusmodi principales, seu tales mixtim fuerint & ad illos, illas, vel illa ac Archidiaconatum hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si alias canonice sibi conferantur, aut ipse eligatur, præsentetur, vel alias assumatur ad illa, seu instituatur in eis recipere & insimul, quoadvixerit, retinere, illaque simul, vel successive simpliciter, vel ex causa permutationis, quotiens sibi placuerit, dimittere, & loco dimissi, vel dimissorum aliud vel alia, simile, vel dissimile, aut similia, vel dissimilia beneficium, vel beneficia ecclesiasticum, seu ecclesiastica duo dumtaxat invicem compatibilia similiter recipere, & insimul quoad vixerit (ut præfertur) retinere libere, & licite valeat generalis concilii, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non supradictis, & ejusdem Nonensis & aliarum, in quibus alia incompatibilia beneficia hujusmodi forsan fuerint Ecclesiarum similiter roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica præfata, tenore earundem præsentium de speciali dono statuta concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipseque Plebanatus dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias etiam ex eo, quod dignitas principalis existit (ut præfertur) generaliter reservatus existat, & ad illum consueverit quis per electionem assumi, super eo quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad nos hac vice pertineat cum omnibus juribus, & pertinentiis suis præfato Aloysio dicta Apostolica auctoritate conferimus, & de illo etiam providemus. Decernentes prout est irritum, & inane si secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contingerit attentari. Quo circa Ven. Fr. nostro Archiepiscopo Nicosiensi, & dilectis filiis Sanctæ Mariæ Formosæ, ac Sancti Geminiani etiam Venetiarum Ecclesiarum Plebanis per Apostolica scripta mandamus. Quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios eundem Aloysium recepto prius ab eo nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus inclusam solito juramento, vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem plebanatus juriumque, & pertinentiarum prædictarum inducant auctoritate nostra & defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore facientes Aloysium, vel pro eo Procuratorem prædictum ad Plebanatum hujusmodi, ut est moris admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi. Contradicentes auctoritate nostra appellatione post-

postposita compescendo, non obstantibus præmissis, ac sanctæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis constitutionibus, statutis quoque & consuetudinibus dictæ Plebis juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus ipsius plebis speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint. etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quibus omnibus eundem Aloysium in assecutione dicti Plebanatus volumus anteferri. Sed nullum per hæc eis quo ad assecutionem dignitatum, aut beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si Venerabili fratri nostro Patriarchæ Venetiarum, & dilectis filiis Capitulo dictæ Plebis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint. Quodque de dignitatibus ipsius Plebis, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem gratiæ dispensamus, Proviso quod Plebanatus & Archidiaconatus ac alia incompatibilia beneficia hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis animarum cura in Plebanatu, aut si qua illis imineat Archidiaconatu & aliis incompatibilibus beneficiis prædictis nullatenus negligatur. Et insuper præfato Aloysio, & pro tempore existenti dictæ plebis Plebano, ac Canonicis & clericis illius aliqua statuta & ordinationes rationabilia, & honesta sacris canonibus non contraria statum dictæ Plebis, & divini cultus inibi celebrationem, ac ordinem ministrorum in illa concernentia concedendi plenam, & liberam eisdem auctoritate Apostolica, & tenore concedimus facultatem non obstantibus omnibus supradictis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, dissolutionis, separationis, segregationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, concessionis, provisionis, constitutionis, mandati, voluntatis, dispensationis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCCCC.LXXXVIII. Decimo Kalend. Maii Pontificatus Nostri anno Quarto.



Pro-

Procuratores Ecclesiæ Sancti Joannis Eleemosinarii electi a Consiliariis certos reditus assignant ejusdem Ecclesiæ Plebano, confirmante assignationem Augustino Barbadico Duce.

C.

1488. 1. Augusti.

Ex Tabulario Sancti Joannis de Rivoalto.

Restituta est per Dei clementiam & benignitatem in pristinam libertatem, & decus suum Ecclesia S. Joannis de Rivoalto (sicut omnes intelligunt) cum non minori cultu & reverentia Salvatoris nostri, quam splendore, ac ornamento hujus amplissimæ Urbis. Cupientes autem infrascripti Domini Consiliarii opportune prospicere, ne tam pium, tamque sanctum & laudabile opus obscuretur per injuriam, & negligentiam; ac lignum Sanctæ Crucis, in qua salus nostra pependit, ibidem existens jam multis annis, recidat aut relabatur in illas tenebras; in quibus jacuit tanto tempore. Elegerunt, & designarunt, & eligunt, & designant, creant, & faciunt procuratores, & conservatores ipsius Ecclesiæ infranominatos quatuor integerrimæ vitæ, & exemplaribus moribus præditos, hoc est, Nobiles Viros Dominum Antonium Trono, & s. Andream Trivisano Doctorem, ac prudentes & egregios cives nostros Andream della Siega, & Maurum Gratiano Scribam ad officium Rationum novarum cum illa eadem auctoritate libertate & facultate, quam habent alii Procuratores cæterarum Ecclesiarum hujus Urbis gubernandi, & conservandi, gubernare, & conservare faciendo eandem Ecclesiam bona omnia, & singula jura, ac jurisdictiones ejus, reliquias Sanctorum, eleemosinas fabricæ, & quæcunque alia spectantia & pertinentia eidem Ecclesiæ ad laudem Omnipotentis Dei ac decus, & gloriam Christianæ Religionis nostræ.

CONSILIARII
D. Lucas Mauro.
D. Andreas Quirino.
D. Marcus Bolani.
D. Thomas Lippamano.

IN Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo. Die vero primo Augusti Indictione quinta. Sicuti certum, publicum, & notorium Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Innocentius Divina providentia Papa Octavus ex Pastorali officio Suæ Sanctitati credito prospiciens reformationi bono regimini, & decori Ecclesiæ S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto Civitatis Venetiarum, cui cura imminet animarum, quæ jam longo tempore stetit unita, & annexa Capitulo, sive Collegio Clericorum Patriarchatus Venetiarum, post separationem, dissolutionem, & segregationem factam per suam Beatitudinem de dicta ecclesia a prefato Capitulo, sive Collegio, illam per novam provisionem erigendo ad beneficium plebanatus, sicuti primitus ante unionem prædictam extiterat. Attendens ad merita, indefessaque & fidelissima opera præstita per Venerabilem Sacerdotem, & virtutibus plurimis prædictum D. Aloysium Zojam Ve-

netum, qui longo tempore die ac nocte dictæ Ecclesiæ inservivit, nullis parcendo periculis, vigiliis & laboribus, & utique insudavit ad augmentum divini cultus, recuperationem, & incrementum bonorum & introituum dictæ Ecclesiæ, in qua & residet sanctissimum lignum Dominicæ Crucis, ibi retroactis seculis collocatum, Cujus pene memoria ob incuriam præsidentium dictæ Ecclesiæ, & cultus divini disertionem apud fideles non habebatur, sed opera, studio, & accurata diligentia prædicti D. Præsb. Aloysii ad debitam venerationem, & universæ Urbis devotionem, & reposito in loco decenti, & decoro deventum est. Auctoritate sua Apostolica pro Dei reverentia, & divini cultus incremento splendoreque & ornamento dictæ Ecclesiæ, & satisfactione universæ Urbis, dictam plebem cum juribus, & pertinentiis omnibus contulit ipsi D. Præsb. Aloysio, Cui etiam de illa providit juxta formam litterarum Apostolicarum suæ Beatitudinis Romæ datarum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo; Decimo Kalendas Maii Pontificatus sui Anno Quarto Bulla plumbea impendenti munitarum. Quarum vigore sub die undecimo Junii anni prædicti ipse D. Plebanus pacificam, quietam, & ab omnibus expectatam dictæ Ecclesiæ possessionem extitit assecutus (Sicuti publico instrumento constat, manu circonspecti Lodovici de Zambertis notarii Venetiarum) Qua subsecuta non desistens ipse D. Plebanus a solita fide, devotione, & bono proposito, sed adhuc accuratius, & ardentius invigilans, & sollicitis studiis intendens incremento divini cultus, & celebrationibus divinorum officiorum, & augmento introituum dictæ Ecclesiæ, celebrationes missarum in dies adaugere, domos, & alia bona stabilia, ex quibus Ecclesia ipsa affictus annuos percipit, reparare, fabricare, erigere & reformare in maximum augmentum, utile, commodum, & beneficium prædictæ ecclesiæ non desinit, quæ omnia videntes magnificus & Præclarissimus D. Antonius Tronus Nobilis Venetus quondam Magnifici Domini Eustachii, & egregius & circonspectus vir D. Marcus Gratianus quondam D. Hieronymi procuratores dictæ Ecclesiæ constituti per Illustrissimum Dominium nostrum (sicut ex terminatione ejusdem Serenissimi Dominii nostri constat sub die vigesimo octavo Julii) & habentes dignum commendabile, ac debitum esse. Quod sicuti ipse D. Plebanus, qui continuo præstat famulatum suum dictæ Ecclesiæ, & ad ipsius decorem, ornatum & incrementum cunctis viribus & desideriis non desinit. Ita laborum fidei & operum bonorum suorum fructum sentiat, & consequatur. Ideo præfati D.D. Procuratores dictæ Ecclesiæ constituti in præsentia mei notarii, & testium infrascriptorum volunt, declarant, & manifestum faciunt, quod ipse D. Plebanus omni & singulo anno, & quoadvixerit, habeat & habere debeat ducatos centum auri, videlicet singulis sex mensibus ducatos quinquaginta de fructibus introitibus & proventibus dictæ Ecclesiæ liberos, & expedictos ab omni gravedine, incipiendo a die primo Februarii proxime elapsi MCCCCLXXXVII. Nec non habeat domum personæ Plebani dictæ Ecclesiæ spectantem pro habitatione sua jam sibi assignatam sine aliqua solutione affictus, & ultra ipsos ducatos centum habeat, & percipiat utilitates incertas spectantes ipsi Ecclesiæ tam de Scholis, quam de funeralibus, & elcemosinis, & aliis quomodolibet ipsi Ecclesiæ provenientibus de incertis, ut faciunt aliæ Plebes Venetiarum, Cum hac expressa & specifica conditione, quod ipse D. Plebanus ullo unquam tempore non teneatur, nec subjaceat aliquo modo ad aliquas expensas faciendas quoquomodo, & quacunque de causa in dicta Ecclesia, & pro dicta Ecclesia. Sed ab ipsis omnibus, & singulis expensis in dies occurrentibus sit & esse debeat liber, & absolutus toto tempore vitæ suæ. Actum Venetiis in Ducali Palatio, in Sala superiori præfati Serenissimi Principis. Præsentibus Peregrino de Salodio, & Dominico de Padua fami-

miliaribus Ecellentiæ suæ testibus ad hæc vocatis specialiter & rogatis. Quibus præsentibus promiserunt Provisores suprascripti sive Procuratores dictæ Ecclesiæ mihi notario infrascripto stipulanti, & recipienti prædicta omnia attendere, & observare sub hypoteca, & obligatione bonorum suorum præsentium & futurorum mandantes ad majus robur præsens fieri publicum instrumentum.


SErenissimus & Illustrissimus Princeps & Dominus Dom. Augustinus Barbadico Dei gratia Inclitus Venetiarum Dux &c. Intellecta continentia supradicti instrumenti, & omnibus ac singulis in eo declaratis. Instrumentum ipsum, & omnia, & singula in eo contenta, tanquam facta & celebrata ex decreto, & mandato suæ Excellentiæ decentibus rationibus, & causis in instrumento ipso narratis, tanquam Dominus & Patronus dictæ Ecclesiæ S. Joannis approbavit, laudavit, ratificavit, & confirmavit. In quorum omnium fidem, & evidentiam pleniorem Præfati Serenissimus Princeps, & Magnif. D. Consiliarii Procuratores jusserunt hoc publicum instrumentum, ratificationemque fieri, & bulla argentea suæ Serenitatis pendente communiri, & ad majus robur & firmitatem manu propria tam Ejusdem Serenissimi Principis, quam magnificorum Dominorum Procuratorum se subscripserunt.

Nos Augustinus Barbadico Dei gratia Dux Venetiarum &c.

Ego Antonius Trono Procurator Sancti Joannis Eleemosinarii &c.

Ego Marcus Gratianus Procurator Sancti Joannis Eleemosinarii &c.

Ego Joannes Petrus Stella quondam D. Dominici de Venetiis publicus imperiali auctoritate notarius & Judex ordinarius ac præfati Serenissimi Principis Secretarius prædictis omnibus & singulis interfui & rogatus scribere ac de mandato præfati Illustrissimi Ducis scripsi, & publicavi, & in evidentiam me subscripsi signumque meum consuetum apposui.



Alexander V. statuta pro electione, & institutione Titulatorum Ecclesiæ S. Joannis Eleemosinarii ordinat, ipsamque Ecclesiam Privilegiorum Ducalis Basilicæ Sancti Marci participem reddit.

D.

1493. 4. Maii.

Ex Tabulario S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Patriarchæ Constantinopolitano, & Episcopo Calamonensi, ac dilecto filio Plebano Ecclesiæ S. Mariæ Jubanico Venetiarum salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet status in melius diriga-

ga-

gatur, illarumque decori, & venustati, ac Divini inibi cultus augmentum consulatur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilis Viri Augustini Barbadico Ducis Venetiarum & Aloysii Zojæ Plebani Ecclesiæ S. Joannis Elemosinarii Rivialti etiam Venetiarum, ac perpetuorum beneficiatorum in illa, nec non illius procuratorum petitio continebat. Quod olim Ecclesia præfata, quæ de jurepatronatus Ducis Venetiarum pro tempore existentis exsistit, & antea Ecclesiæ Venetiarum perpetuo unita fuerat ab illa Apostolica authoritate fuit separata. Et quia Ecclesia ipsa S. Joannis est in loco celebri Civitatis Venetiarum, in quo continue maxima nobilium Civium dictæ Civitatis, ac mercatorum, & aliarum personarum multitudo habetur ad eorum negotia gerenda, ad locum ipsum confluant dictaque Ecclesia Sancti Joannis in maxima tam ob divinorum officiorum inibi continuam celebrationem, quam ob Reliquias Dominicæ Crucis, quæ in dicta Ecclesia S. Joannis cum debitis reverentia, & honore conservatur, devotione exsistit. Dux, Plebanus, Beneficiati, & Procuratores prædicti desiderant pro venustate, & decore Ecclesiæ prædictæ S. Jo: ac divini inibi cultus augmento, aliqua statuta, & ordinationes laudabilia, & honesta, tam circa provisionem personarum in illa pro tempore divinis officiis insistentium, quam bonum regimen, & felicem gubernationem dictæ Ecclesiæ S. Joannis per Sedem Apostolicam fieri, & ordinari. Quare pro parte Ducis, ac Plebani Beneficiatorum, & Procuratorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum omnium statum in melius dirigi nostris potissime temporibus, supremis desideramus affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, quod deinceps perpetuis futuris temporibus cedentibus, vel decedentibus simul, vel successive Beneficia Ecclesiastica in dicta Ecclesia Sancti Joannis obtinentibus, seu illa alias quomodolibet dimittentibus præsentatio personarum idonearum ad illa (prout antiquis temporibus ad præfatum Ducem pertinebat) ad Plebanum, & alios Beneficiatos, ac Procuratores dictæ Ecclesiæ S. Joannis, ac Ducem pro tempore exsistentem, vel unum ex Officialibus Rationum novarum dictæ Civitatis, quem ipse Dux pro tempore duxerit eligendum: Institutio vero personarum sic præsentatarum ad Primicerium dictæ Ecclesiæ S. Marci etiam Venetiarum; vel ejus Vicarium in spiritualibus Generalem etiam pro tempore existentes pertineat, ac numerus dictorum Beneficiorum minui, & augeri non possit, nisi fructus, redditus, & proventus dictæ Ecclesiæ S. Joannis adeo excrescerent, quod decenter sine aliorum præjudicio dictus numerus posset augeri. Et quod cedente, vel decedente simul, vel successive modernis Beneficiatis in dicta Ecclesia S. Joannis. Quorum singuli ex dictæ Ecclesiæ S. Joannis redditibus ducatos viginti quattuor singulis annis (ut asseritur) percipiunt, cuilibet ex de cætero instituendis inibi Beneficiatis triginta ducatos similes, & partem proventuum incertorum sibi ex constitutione dictæ Ecclesiæ S. Joannis provenientem percipiat, ac domum pro habitatione sua, quam inhabitare teneantur, habeant, & de residuo fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum dictus Aloysius, & pro tempore existens inibi Plebanus centum ducatos similes, & portionem incertorum proventuum juxta assignationem sibi factam nuper per præfatum Ducem factam percipiat. Ipsique Beneficiati in dicta Ecclesia S. Joannis personaliter, & non per substitutum residere teneantur. Et si absque legitimo impedimento defecerint, aut a Civitate prædicta sine ejusdem Plebani licentia se absentaverint, & moniti non redierint, beneficiis per eos inibi obtentis privari possint. Ipseque Plebanus licentiam per eum pro tempore concessam possit revocare, nec præ-

prætextu cujuscumque Privilegii, exemptionis, vel indulti generalis, vel specialis sub quavis verborum forma a Sede prædicta pro tempore obtenti valeant se tueri, nisi dictorum Patronorum, beneficiatorum, & Procuratorum expressus ad id accesserit assensus. Ipsique beneficiati ter in anno, videlicet In vere novo, Æstatis, & Autumni temporibus quolibet videlicet temporum ipsorum per dies octo continuos recreationis causa, si voluerint, licentia ab ipso Plebano petita, licet non obtenta, se absentare, dummodo Ecclesia S. Joannis propterea in divinis detrimentum non patiatur. Et si lapsis dictis octo diebus redire distulerint, dicto beneficio, quod obtinuerint modo præmisso privari, & alii loco illorum institui possint, teneanturque in dicta Ecclesia S. Joannis singulis diebus celebrare, nisi de licentia, & consensu Plebani præfati, vel forte aliqua manifesta, & legitima causa per ipsum Plebanum cognoscenda excusarentur, dummodo in Choro dictæ Ecclesiæ S. Joannis interfint cum superpelliceis sub pœna privationis fructuum quorumcumque eis tunc debitorum, præsentibus, & interessentibus in illa applicandorum. Perseverantes vero in non celebrando absque licentia, & legitima causa, seu impedimento, si per Plebanum præfatum moniti non paruerint etiam privari, & alii loco illorum institui possint. Ac quilibet senio confectus non valeat personaliter deservire, portionem suam cum ea integritate percipiat, ac si deserviret. Et quod in Mansionariis, ac Capellanis, a quibus illas pro tempore obtinentes amovibiles existunt, nullus Religiosus cujusvis ordinis recipiatur, & admittatur, dummodo Presbyteri sæculares haberi poterunt. Et ne devotio Christifidelium ad dictam Ecclesiam S. Joannis pro tempore confluentium minuatur, quod Plebanus, & alii beneficiati prædicti sint, & habeantur ad instar Plebani dictæ Ecclesiæ Sancti Marci, vel Beneficiatorum in illa. Et quod in vigilia Pentecostes, feria 5. in Cæna Domini, & Sabbato Sancto, ac aliis diebus statutis, & solitis ad Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum accedere minime teneantur (prout etiam Beneficiati in dicta Ecclesia S. Marci non tenentur). Ac etiam Privilegiis, Indultis, & concessionibus dictæ Ecclesiæ S. Marci, & Beneficiatorum in ea circa celebrationem divinorum officiorum, & Missarum in nocte vigiliæ Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Ut in die Sabbati majoris hebdomadæ concessis. Quorum tenores haberi volumus pro expressis uti, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & debeant authoritate nostra statuere, decernere, & ordinare curetis. Et nihilominus si statutum decretum, & ordinationem hujusmodi per vos vigore præsentium fieri contigerit (ut præfertur) faciatis dicta authoritate nostra statutum, decretum, & ordinationem hujusmodi inviolabiliter observari. Contradictores per Censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis quoque, ac consuetudinibus dictæ Ecclesiæ S. Joannis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis. Quibus illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac omnibus illis, quæ in litteris privilegiorum, & indultorum hujusmodi concessa sunt, non obstantibus contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo nonagesimo tertio. Quarto Non. Maii. Pontificatus nostri anno primo.

Ele-

Electio Christophori Persicini in Plebanum Sancti Joannis Eleemosinarii de Rivoalto facta per Leonardum Lauredanum Ducem a Julio II. confirmatur.

E.

1505. 3. Novembris.

Ex Tabulario S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto.

M. D. V. Die xv. Mensis Octobris.

CUM Serenissimus Princeps & Excellentiss. Dom. D. Leonardus Lauredanus Dei gratia Inclitus Dux Venetiarum &c. Cognoverit obitum quondam Venerandi Præsb. Aloysii Zoja ultimi, & immediati possessoris Plebanatus S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto hujus Civitatis Venetiarum tanquam verus Dominus, & Patronus supradictæ Ecclesiæ S. Joannis providere volens de persona idonea & sufficienti ad plebanatum, & in successorem dicti defuncti, habito superinde maturo consilio Sedens pro tribunali in camera sua cubiculari in Ducali Palatio, Cognita virtute, optimis moribus, religione ac meritis Vener. Sacerdotis Civis Veneti originarii D. Christophori Persicini Custodis & Canonici ecclesiæ, & Capellæ suæ S. Marci, eundem D. Christophorum elegit, & denominavit in Plebanum ipsius Ecclesiæ S. Joannis in demortui locum cum omnibus modis, conditionibus, juribus, utilitatibus, emolumentis, obventionibus, prærogativis, cæterisque aliis privilegiis, quibus præfatus quondam præsb. Aloysius Zoja Plebanus vita functus constitutus erat, & frui dignoscebatur, cujus rei testes sunt Venerabiles & eximii Juris utriusque Doctores D. Dominicus de Cropis Plebanus S. Barnabæ hujus Civitatis Celsitudinis suæ inferioris aulæ Cancellarius, D. Jacobus de S. Daniele Primicerius Patriarchalis ecclesiæ Venetiarum Vicarius Generalis in spiritualibus Reverendissimi D. Antonii Suriani Venetiarum Patriarchæ. Nec non D. Antonius de Faustinis Plebanus S. Bassi, ac Prior Hospitalis S. Marci, ac Magnificus D. Petrus Barbus officialis rationum novarum Illustrissimi Venetiarum Dominii, ac aliis pluribus. Quod ad perpetuam rei memoriam supradictus Serenissimus Princeps annotari mandavit in Ducali sua Cancellaria.

Gabriel de Gabrielibus Ducalis Notarius exemplavit.

JUlius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Plebano S. Bassi Venetiarum salutem & Apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur, & congruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Cum itaque, sicut accepimus, Plebania Ecclesiæ S. Jo: Eleemosinarii de Rivoalto Venetiarum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis pro tempore existenti subjectæ, quæ inibi dignitas principalis & de jure Patronatus Ducis Venetiarum pro tempore existentis ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, existit, ac quamquam Aloysius Zoja ipsius Ecclesiæ S. Jo: Plebanus, dum viveret, obtinebat per obitum ejusdem Aloysii, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacaverit, & vacet ad præsens. Nos Dilectum filium Christopho-

phorum Persicinum Rectorem Parochialis Ecclesiæ S. Luciæ de Prata Concordiensis Diocesis, qui Præsb. est, & (ut asserit) dictam Ecclesiam S. Luciæ inter alia obtinet, &, quem dilectus filius Nobilis vir Leonardus Lauredanus Dux Venetiarum verus & unicus Plebaniæ Patronus existens in pacifica possessione, vel quasi Juris Patronatus hujusmodi, & præsentandi personam idoneam ad ipsam Plebaniam dum pro tempore vacat, dilecto filio moderno Primicerio dictæ Ecclesiæ S. Marci, vel ejus in spiritualibus Vicario generali infra tempus legitimum præsentavit, apud nos de vitæ & morum honestate aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu gratioso favore prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Nec non omnia, & singula alia beneficia ecclesiastica sine cura, quæ dictus Christophorus obtinet, & cum cura, & sine cura quæ expectat, nec non in quibus, & ad quæ jus sibi quomodolibet competit, quæcunque, quotcunque, & qualiacunque sint, eorumque dictæ Ecclesiæ S. Luciæ fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem eundem Christophorum ad hoc idoneum esse repereris super quo conscientiam tuam oneramus, Plebaniam prædictam cui cura Parochianorum ipsius Ecclesiæ S. Joannis, quæ etiam Parochialis existit, iminet animarum, ac cujus fructus, redditus, & proventus centum ducatos auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum (ut dictus Christophorus asserit) non excedunt, sive ut præmittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscunque persona, seu per liberam resignationem dicti Aloysii, vel cujusvis alterius de illa in dicta curia, vel extra eam etiam coram notario publico, & testibus sponte factam aut constitutionem fælicis recordationis Joannis Papæ XXII. predecessoris nostri quæ incipit Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficii Ecclesiastici quavis autoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipsaque Plebania dispositioni apostolicæ specialiter reservata existat, & super ea inter aliquos lis cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datarum præsentium non sit in ea alicui jus specialiter quæsitum cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem Christophoro autoritate nostra conferas, & assignes, inducens per te, vel alium, seu alios eumdem Christophorum recepto prius ab eo nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ juxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam solito juramento, vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Plebaniæ juriumque & pertinentiarum prædictorum, & defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens Christophorum, vel pro eo procuratorem prædictum ad Plebaniam hujusmodi (ut est moris) admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, & aliis apostolicis costitutionibus, ac dictæ Ecclesiæ S. Joannis statutis & consuetudinibus juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis & dignitatibus ipsius Ecclesiæ S. Joannis specialiter, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum

ejus literas impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eundem Christophorum in assecutione dictæ Plebaniæ volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem dignitatum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu pro tempore existenti Primicerio dictæ Ecclesiæ S. Marci, & dilectis filiis capitulo ejusdem ecclesiæ S. Joannis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum. Quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint quodque de dignitatibus ipsius Ecclesiæ S. Joannis, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, seu quam aliam dispositionem conjuntim, vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impedire valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis, aut si dictus Christophorus præsens non fuerit ad præstandum de observandis statutis, & consuetudinibus dictæ Ecclesiæ S. Joannis solitum juramentum. Dummodo in absentia sua per Procuratorem idoneum, & cum ad ecclesiam ipsam S. Joannis accesserit corporaliter illud præstet. Nos enim cum eodem Christophoro, ut una cum dicta Plebania si sibi vigore præsentium conferatur Ecclesiam S. Luciæ prædictam insimul quoadvixerit retinere libere, & licite valeat Generalis Concilii, & quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis ac statutis, & consuetudinibus supradictis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus autoritate apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ dispensamus. Proviso quod Plebania, & Ecclesia S. Luciæ prædictæ debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur. Et insuper si dictus Christophorus ad hoc repertus fuerit idoneus (ut præfertur) ex nunc perinde irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, ac si data præsentium eidem Christophoro ad hoc reperto idoneo de dicta Plebania cum interpositione decreti mandavimus provideri. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto. Tertio nonas Novembris Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Joannes de Madrigal.

Gabriel de Gabrielibus Notarius exemplavit.



An-

Andreas Gritti Dux Procuratores Ecclesiæ Sancti Joannis Eleemosinarii de Rivoalto a Plebano, & Capitulo electos sua authoritate confirmat.

F.

1527. 6. Augusti.

Ex Tabulario Ecclesiæ.

ANdreas Gritti Dei gratia Dux Venetiarum &c. Cum superioribus annis Divi Joannis Elemosinarii templum memorabili illo, ac simul miserabili Rivoalti totius incendio, igne, & flammis consumptum soloq. æquatum fuerit; Cumque Dei Opt. Max. annuente clementia, templum ipsum in pristinum decus, ac splendorem in dies redigatur, æquum profecto esse censuimus, operam, studiumque adhibendum, ut præclarum hujusmodi incæptum opus religione, ac cultu magis, & magis amplificetur. Nos igitur ad hoc totis animi viribus (ut nostrum est) intendentes, vita noviter functo Venerabil. Præsb. Petro de Peregrinis, ne quid interim divino deesset cultui, perspecta a nobis vita, probitate ac exemplaribus moribus Ven. Sacerdotis Nicolai Bussati eum, ut pote Domini & Juspatronatus superinde quam amplissimum habentes, in dictæ Ecclesiæ Antistitem, seu Plebanum elegimus, atque designavimus. Quippe qui una cum duobus titulatis Præsbyteris nobis id consentientibus eligere, deputare, constituereque duxerunt ejusdem ædis Procuratores, atque Conservatores infrascriptos, quatuor viros probitate insignes virtute, & moribus Nobiles, videlicet, Magnificos DD. Nicolaum Georgium, ac Paulum Trivisanum, & Egregios Cives nostros Antonium de Benedictis, & Joannem Jacobi eandem illis facultatem, auctoritatemque tribuentes, quam cæteri ecclesiarum hujus urbis nostræ Procuratores habent, simulque exercent, ut eorum munus illud sit, templum, bona & jura illius singula, Divorum Reliquias, fabricæ eleemosinas, aliaque omnia identidem spectantia, & pertinentia pro Dei Omnipotentis laude proque Christianæ Religionis decore, ac gloria manutenere conservare, & pariter manutenenda, & conservanda curare, quemadmodum cultus nec non Religionis observantia videtur expetere. Quare Nos ipsam designationem, seu deputationem ab his omni qua decet maturitate, & prudentia factam animadvertentes gratissimam, ac acceptissimam habuimus eamque a nobis approbandam, laudandam, & confirmandam duximus, hisque nostris approbamus, laudamus, & confirmamus omnibus, & singulis mandantes, ut eosdem præfati templi designatos confirmatosque Procuratores habeant, teneant, & cognoscant. In præmissorum autem fidem præsentes fieri, ac Bulla nostra plumbea pendente jussimus communiri. Datæ in nostro Ducali Palatio die sexto Augusti Indictione quintadecima millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

Paulus Papa III. electionem Titulatorum Ecclesiæ Sancti Joannis de Rivoalto ad Ducem Venetiarum pertinere decernit. Diploma Pontificium executioni mandat Joannes de la Casa Legatus Apostolicus.

G.

1546. 26. Octobris Diploma datum.

1546. 29. Novembris Executioni mandatum.

Ex Tabulario Ecclesiæ.

PAulus Papa Tertius Dilecte fili Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut dilecti filii Nobilis vir Dominus Franciscus Donatus Dux modernus, & Dominium Venetorum nobis nuper exponi fecerunt, alias felicis recordationis Alexandro Papæ VI. prædecessori nostro pro parte recolendæ memoriæ Augustini Barbadico tunc Ducis, & quondam Aloysii Zoja, dum viveret, Plebani Ecclesiæ S. Jo: Eleemosinarii Rivoalti Venetiarum, ac perpetuorum beneficiatorum in illa, nec non illius Procuratorum exposito, quod olim Ecclesia prædicta, quæ de jure patronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum perpetuo unita erat, ab illa fuerat Apostolica autoritate separata, & quia Ecclesia ipsa S. Jo: erat in loco celebri Civitatis Venetiarum, in quo continue maxima nobilium Civium dictæ Civitatis, ac Mercatorum & alia personarum multitudo habebatur, & ad eorum negotia gerenda ad locum ipsum confluebant, dictaque Ecclesia S. Jo: in maxima, tam ob divinorum officiorum inibi continuam celebrationem, quam ob reliquias Dominicæ Crucis, quæ in dicta Ecclesia S. Joannis cum debitis reverentia, & honore conservabantur, devotione existebat. Ipsi Dux, Plebanus, Beneficiati, & Procuratores prædicti desiderabant pro venustate & decore dictæ Ecclesiæ S. Jo: ac divini inibi cultus augmentum, aliqua statuta, & ordinationes laudabilia, & honesta, tam circa provisionem personarum in illa pro tempore Divinis officiis insistentium, quam bonum regimen & felicem gubernationem dictæ Ecclesiæ S. Jo: per Sedem Apostolicam fieri & ordinari. Idem prædecessor Ducis, Plebani, Beneficiatorum, & Procuratorum prædictorum in ea parte supplicationibus inclinatus, certis tunc expressis Judicibus aliis suis sub plumbo expeditis literis dederit in mandatis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum inter alia, quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus cedentibus, vel decedentibus simul, vel successive Beneficia ecclesiastica in dicta Ecclesia S. Jo: obtinentibus, seu illa alias quomodolibet dimittentibus præsentatio personarum idonearum ad illa prout antiquis temporibus ad præfatum Ducem pertinebat ad Plebanum, & alios Beneficiatos, ac Procuratores dictæ Ecclesiæ S. Jo: ac Ducem pro tempore existentes, vel unum ex officialibus Rationum novarum dictæ Civitatis, quem ipse Dux pro tempore duceret eligendum. Institutio vero personarum sic præsentatarum ad Primicerium dictæ Ecclesiæ S. Marci etiam Venetiarum, vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem etiam pro tempore existentem pertineret de consensu quorum interesset autoritate dicti prædecessoris statuere, decernere, & ordinare curarent. Et nihilominus si statutum, decretum, & ordinationem hujusmodi per eos fieri

ri contingeret, faceret, illa dicta autoritate sua inviolabiliter observari. Contradictores per censuram Ecclesticam appellatione postposita compescendo (prout in litteris prædecessoris hujusmodi plenius continetur). Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Ipsi Judices litteras prædictas executioni demandantes, quod ex tunc, deinceps perpetuis futuris temporibus cedentibus, vel decedentibus dicta beneficia obtinentibus præsentatio personarum idonearum, quæ antiquis temporibus ad Ducem Venetiarum pro tempore existentem, ut præfertur, pertinebat, ad eosdem Plebanum & alios Beneficiatos, ac Procuratores, & Ducem pro tempore existentes, vel unum ex officialibus prædictis per dictum Primicerium instituendarum pertineret, non vocatis prædictis Dominio, & absque eorum consensu inter alia statuerunt in moderni, & pro tempore existentis Ducis, Nec non Dominii Venetiarum quorum interest præjudicium non modicum. Quare pro parte Francisci moderni Ducis & Dominii prædicti nobis fuit humiliter supplicatum, ut Franciscum Ducem, & Dominium prædictos adversus statutum, & ordinationem hujusmodi restituere, & reponere, & alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui justis petentium precibus favorem benivolum libenter impartimur, de præmissis certam noticiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis vocandis, Constito prius Juspatronatus, seu præsentandi personas idoneas ad dicta beneficia ante litteras Alexandri prædecessoris hujusmodi ad Ducem Venetiarum pro tempore existentem pertinuisse, Ipsosque Dominium, quorum (ut asserunt) interest, aliquem desuper consensum non præstitisse, minimeque pro eis dictum Augustinum tunc Ducem in eorum præjudicium, & alienationem juris Patronatus hujusmodi supplicare, seu consentire potuisse: Sicque per judices præfatos ad statutum, & ordinationem hujusmodi non servata forma dictarum literarum, & alias minus legitime processum fuisse. Eosdem Franciscum Ducem, & Dominium adversus statutum, & ordinationem hujusmodi ad hoc ut de cetero perpetuis futuris temporibus dictus Franciscus modernus, & pro tempore existens Dux Venetiarum solus prout faciebat, personas idoneas ad dicta beneficia, illorum vacatione pro tempore occurrente præsentare libere, & licite possit, & valeat, ac in pristinum, & eum statum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, restituere, reponere, & plenarie reintegrare in omnibus, & per omnia, ac si statutum, decretum, & ordinatio hujusmodi nunquam factæ fuissent, & literæ præfatæ ab eodem prædecessore nullatenus emanassent, nec non restitutos repositos, & plenarie reintegratos decernere auctoritate nostra procures. Nos enim tibi Contraditores quoslibet, & rebelles per sententias, & ecclesiasticas censuras, ac etiam privationes beneficiorum suorum penas dicta auctoritate nostra appellatione postposita compescendi, ac quibus inhibendum fuerit sub eisdem censuris, & penis quoties tibi videbitur, inhibendi, nec non sententias, censuras, & penas prædictas incurrisse declarandi, aggravandi, & legitimis super his habendis, servatis processibus reaggravandi, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii secularis, ac alia in præmissis, & circa ea necessaria faciendi, & exequendi plenam, & liberam facultatem concedimus per easdem præsentes. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVI. Octob. MDXLVI. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Blo. El. Fulgia.

Chri-

CHristi nomine invocato, a quo cuncta recta procedunt judicia, & Populi judicantium respiciunt veritatem. Nos Joannes de la Casa (a), qui electus Beneventanus Cameræ Apostolicæ Decanus, Sanctissimi Domini nostri Papæ ejusque Sanctæ Sedis Apostolicæ in toto Dominio Venetorum cum potestate Cardinalis Legati de latere Legatus, & in hac parte ab eodem Sanctissimo Domino Nostro per literas Apostolicas suæ Sanctitatis in forma Brevis sub anulo Piscatoris more Romanæ Curiæ sigillatas nobis directas sub dat. Romæ die decima sexta Octobris MDXLVI. & ad instantiam Serenissimi, & Excellentissimi Ducis moderni, videlicet, Francisci Donato, & illustriss. Dominii Venetiarum exhibitas, & præsentatas, Commissarius, & exequutor Apostolicus specialiter deputatus pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, volentes, & intendentes materiam Juris patronatus, & præsentandi ad beneficia Ecclesiastica, cum pro tempore vacare contigerit in Ecclesia S. Jo: Eleemosinarii Civitatis Venetiarum nobis per prælibatum Sanctissimum Dominum Nostrum Papam ad instantiam prædictorum Serenissimi Principis, & Illustriss. Dominii Venetiarum commissam juxta earumdem litterarum Apostolicarum vim, formam, continentiam, & tenorem decidere, debitæque exequutioni demandare. Intellecto prius ipsarum literarum Apostolicarum tenore, & visa petitione coram nobis facta per providum virum D. Aloysium de Augustinis Notarium Ducalem una cum viro Nobili D. Bartholomeo Superantio Advocato Fiscali parte, & nomine præfatorum Serenissimi Principis, & Illustrissimi Dominii. Visis etiam Bulla felicis recordationis Alexandri Papæ sexti sub dat. 1493. quarto Nonas Maii. & omnibus aliis juribus, de quibus in eadem instantia fit mentio, similiter coram nobis productis, & præsentatis. Visa intimatione per nos decreta ex officio nostro per Rev. Primicerium Ecclesiæ S. Marci Venetiarum, & Plebanum, Beneficatos, ac Procuratores ejusdem Ecclesiæ S. Joannis cum termino in ea præfixo ad dicendum, excipiendum, & opponendum quicquid contra prædicta dicere, excipere, & opponere intendebant. Visa relatione ejusdem intimationis factæ in persona omnium prædictorum Primicerii, Plebani, Beneficiatorum, & Procuratorum S. Marci, & S. Joannis respective. Visa cessione ipsius Plebani, & Præsbiteri Augustini de Martinis præfactæ Ecclesiæ S. Jo: Beneficiati. Visa comparitione, & petitione Magnif. D. Benedicti de Priolis, & aliorum Procuratorum ejusdem Ecclesiæ S. Jo; videl. quod terminus præfixus in eadem intimatione suprascripta facta, prorogetur ad hodiernam diem, quia volebant habere sermonem cum prælibato Serenissimo Principe. Visaque ipsa prorogatione per nos facta ad effectum prædictum. Visa instantia coram nobis hodierna die pro parte prælibati Serenissimi moderni Ducis, & Illustrissimi Dominii facta per providum virum D. Gabrielem de Gabrielis notarium Ducalem insimul cum antedicto viro nobili Dom. D. Bartholomeo Superantio Advocato fiscali, quod procedatur ad prædictarum literarum Apostolicarum executionem, accusando contumatiam supradictorum Dominorum Primicerii, Plebani, Beneficiatorum, & Procuratorum. Visisque omnibus videndis, & consideratis merito considerandis, Christi nomine repetito pro ea, quæ vidimus, & mentem nostram moverunt, & movere potuerunt cujuslibet recte judicantis, & timentis Deum per hanc nostram sententiam declaratoriam, sive decretum dicimus, sententiamus, pronunciamus, decernimus, & declaramus per Judices tunc in literis dicti fel. record. Alexandri Papæ VI. & per Suam Sanctitatem datos ad statutum, & ordinationem communicandi Juris Patronatus hujusmodi, sive præsen-

(a) De Joanne de la Casa Legato Apostolico Venetiis dictum est Operis hujus Decade I. pag. 88.

ſentandi cum præfatis Plebano, Beneficiatis, & Procuratoribus dictæ Eccleſiæ S. Jo: & Primicerio Eccleſiæ Sancti Marci non ſervata forma dictarum literarum, & alias minus legitime fuiſſe proceſſum. Et propterea præmemoratum Sereniſſimum Principem modernum & pro tempore exiſtentes, ſolos, prout antea faciebant, perſonas idoneas ad beneficia in dicta Eccleſia conſiſtentia, quemadmodum etiam de Plebe ipſius Eccleſiæ hactenus fecerunt illorum vacatione pro tempore occurrente, præſentare libere, & licite poſſe ac in priſtinum, & eum ſtatum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant reſtituendos, & reponendos, ac plenarie reintegrandos fore in omnibus, & per omnia, ac ſi decretum, ſtatutum, & ordinatio hujusmodi nunquam facta fuiſſent, Et literæ ſupradictæ ab eodem Alexandro VI. in illa dumtaxat parte, quæ concernit præmiſſa non autem in reliquis, immo illis firmis, & in ſuo robore manentibus, ab eodem nullatenus emanaſſent præfatosque Sereniſſimum modernum, & pro tempore exiſtentes, ſic ut præmittitur, reintegratos plenarie reſtitutos, & repoſitos manutenendos fore, & eſſe, ac conſervandos, prout, per hanc noſtram ſententiam declaratoriam ſive decretum, eumdem Sereniſſimum modernum, & pro tempore exiſtentes Duces reſtituimus, reponimus, & plenarie reintegratos manuteneri, & conſervari volumus, decernimus, atque mandamus. Si quis autem hujusmodi veſtris decreto, ſententiæ declaratoriæ, & mandato cum effectu non paruerit, vel eis auſu temerario contraire, vel aliquid contra ea, vel eorum aliquid attemptare, vel innovare præſumpſerit, ſententias, & cenſuras Eccleſiaſticas, & privationis beneficiorum ſuorum eccleſiaſticorum penas ipſo facto appellatione poſtpoſita ipſum incurrere volumus, decernimus, & declaramus, & ita dicimus, ſententiamus, reſtituimus, reponimus, reintegramus, atque mandamus omni meliori modo, quo poſſumus, atque debemus.

Lata lecta, & promulgata fuit ſupraſcripta ſententia declaratoria per præfatum Rev. Dom. D. Legatum Commiſſarium, & Exequutorem Apoſtolicum præfatum ſedentem pro tribunali in Palatio Apoſtolico apud S. Joannem a Templo. Anno a nativitate Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto. Indictione quarta Die vero vigeſima nona menſis Novembris Pontificatus autem prælibati Sanctiſſimi Domini Noſtri Pauli Tertii anno ejus Tertiodecimo. Præſentibus ibidem Rev. Juris utriusque Doctore D. Gerardo Busdrago Auditore, & D. Antonio de Moronibus familiare præfati Reverendiſs. D. Legati reſpective teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Ego Præsbyter Franciſcus Blanchus Notar. & Cancellariæ Eccleſiæ S. Marci Venetiarum Cancellarius ſupraſcripta omnia ab alia ſimili regiſtrata in libris prædictæ Cancellariæ fideliter extrahi feci, & in fidem mandato me ſubſcripſi.



Fran-

Franciscus Venerio Dux tertium Titulum Presbiteralem in Ecclesia S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto instituit.

H.

1554. 7. Novembris.

Ex Tabulario Ecclesiæ S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto.

FRanciscus Venerio Dei gratia Dux Venetiarum &c. Decorem & ornamentum Domus Dei intensis optamus affectibus, præsertim in ecclesiis, in quibus studium, & solertiam tenemur adhibere. Cum itaque tria perpetua beneficia ecclesiastica Præsbyteratus nuncupata in prima fundatione Ecclesiæ Plebis S. Jo: Eleemosinarii de Rivoalto, cujus Juspatronatus penes Ducem pro tempore existentem esse dignoscitur, fuisse instituta evidenter appareat, licet a tempore citra, & de præsenti duo tantum Præsbyteri instituti in ea reperiuntur, Attento quod nunc fructus, redditus, & proventus ejusdem Ecclesiæ adeo excreverint; ut decenter sine aliorum præjudicio ecclesia in suo statu restitui, & ad antiquorum ministrorum numerum redigi potest ad laudem Dei, & ipsius Ecclesiæ decorem, & divini cultus augmentum, sequendo formam Indultorum Apostolicorum desuper concessorum ordinamus, ut eam Presbyteri, qui ad præsens instituti in ea reperiuntur, quam qui pro tempore erunt singulis annis ducatos triginta percipiant, & quod de cetero in eadem Ecclesia instituendi unus alius Præsbyter ad titulum Præsbyteralem præsentetur, qui in eadem Ecclesia juxta consuetudinem & statuta, ac ordinationes desuper editas celebrare, & Altissimo famulatum exhibere teneatur, & tertius nuncupetur, habeatque, & similiter percipiat ducatos triginta, & pro omnibus proventibus & incertis, ac pro pensione domus alios ducatos decem. Ita tamen quod occurrente quovismodo vacatione dictorum beneficiatorum domus pro habitatione duorum reputatorum inter se juxta suarum institutionum ordinem optare, & consequi valeat. Adeo quod ultimo loco præsentatus in ea sine domo cum pensione tamen dictorum ducatorum decem (ut supra) remaneat, ac sic fieri, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari volumus, atque mandamus. In quorum fidem præsentes fieri, ac solito Divi Marci sigillo jussimus communiri. Datæ in nostro Ducali Palatio die septimo Novembris Indictione tertiadecima. Millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto.



DE



DE ECCLESIA
SANCTI JACOBI MAJORIS
APOSTOLI, DE RIVOALTO.

SUB ipsa ferme suæ fundationis exordia Urbs Venetiarum Deum sibi propitium agnovit, cui & angusta originis primordia, & admiranda postmodum incrementa refert accepta. *Attila* enim *Unnorum Rege*, ait Dandulus in Chronico lib. v. cap. I. part. x. *Venetiam invadente*
„ Primates, & Populi Urbium Venetiæ ex Barbarorum incur-
„ su plurimum exinaniti, & instantes invasiones avidi decli-
„ nare, maritimas Civitates, & receptacula refugii construe-
„ re decreverunt. Primo namque Gallianus de Fontana, Si-
„ meon de Glanconibus, & Antonius Calvus de Limianis Con-
„ sules Patavii suæ urbis, non immemores invasionis, hoc
„ perficere statuentes ad maritima pervenerunt, & circa ostia
„ fluminis Realti Insulam sive tumbam ad opus meditatum
„ satis habilem eligentes anno Domini 421. die 25. Martii
„ felicis Urbis Rivoalti nova fundamenta jactarunt. Decre-
„ tumque est, ut quicumque operi, vel exercitio navali utilis
„ existeret, si in hac Urbe habitationem eligeret, immunitati-
„ bus gauderet, exceptis servis & proditione, & falsitate da-

Franciscus Venerio Dux tertium Titulum Presbiteralem in Ecclesia S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto instituit.

H.

1554. 7. Novembris.

Ex Tabulario Ecclesiæ S. Joannis Eleemosinarii de Rivoalto.

FRanciscus Venerio Dei gratia Dux Venetiarum &c. Decorem & ornamentum Domus Dei intensis optamus affectibus, præsertim in ecclesiis, in quibus studium, & solertiam tenemur adhibere. Cum itaque tria perpetua beneficia ecclesiastica Præsbyteratus nuncupata in prima fundatione Ecclesiæ Plebis S. Jo: Eleemosinarii de Rivoalto, cujus Juspatronatus penes Ducem pro tempore existentem esse dignoscitur, fuisse instituta evidenter appareat, licet a tempore citra, & de præsenti duo tantum Præsbyteri instituti in ea reperiuntur, Attento quod nunc fructus, redditus, & proventus ejusdem Ecclesiæ adeo excreverint; ut decenter sine aliorum præjudicio ecclesia in suo statu restitui, & ad antiquorum ministrorum numerum redigi potest ad laudem Dei, & ipsius Ecclesiæ decorem, & divini cultus augmentum, sequendo formam Indultorum Apostolicorum desuper concessorum ordinamus, ut eam Presbyteri, qui ad præsens instituti in ea reperiuntur, quam qui pro tempore erunt singulis annis ducatos triginta percipiant, & quod de cetero in eadem Ecclesia instituendi unus alius Præsbyter ad titulum Præsbyteralem præsentetur, qui in eadem Ecclesia juxta consuetudinem & statuta, ac ordinationes desuper editas celebrare, & Altissimo famulatum exhibere teneatur, & tertius nuncupetur, habeatque, & similiter percipiat ducatos triginta, & pro omnibus proventibus & incertis, ac pro pensione domus alios ducatos decem. Ita tamen quod occurrente quovismodo vacatione dictorum beneficiatorum domus pro habitatione duorum reputatorum inter se juxta suarum institutionum ordinem optare, & consequi valeat. Adeo quod ultimo loco præsentatus in ea sine domo cum pensione tamen dictorum ducatorum decem (ut supra) remaneat, ac sic fieri, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari volumus, atque mandamus. In quorum fidem præsentes fieri, ac solito Divi Marci sigillo jussimus communiri. Datæ in nostro Ducali Palatio die septimo Novembris Indictione tertiadecima. Millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto.



DE



DE ECCLESIA
SANCTI JACOBI MAJORIS
APOSTOLI, DE RIVOALTO.

SUB ipsa ferme suæ fundationis exordia Urbs Venetiarum Deum sibi propitium agnovit, cui & angusta originis primordia, & admiranda postmodum incrementa refert accepta. *Attila* enim *Unnorum Rege*, ait Dandulus in Chronico lib. v. cap. 1. part. x. *Venetiam invadente*
„ Primates, & Populi Urbium Venetiæ ex Barbarorum incur-
„ su plurimum exinaniti, & instantes invasiones avidi decli-
„ nare, maritimas Civitates, & receptacula refugii construe-
„ re decreverunt. Primo namque Gallianus de Fontana, Si-
„ meon de Glanconibus, & Antonius Calvus de Limianis Con-
„ sules Patavii suæ urbis, non immemores invasionis, hoc
„ perficere statuentes ad maritima pervenerunt, & circa ostia
„ fluminis Realti Insulam sive tumbam ad opus meditatum
„ satis habilem eligentes anno Domini 421. die 25. Martii
„ felicis Urbis Rivoalti nova fundamenta jactarunt. Decre-
„ tumque est, ut quicumque operi, vel exercitio navali utilis
„ existeret, si in hac Urbe habitationem eligeret, immunitati-
„ bus gauderet, exceptis servis & proditione, & falsitate da-

„ mnatis. In qua Urbe post modicum Vir quidam Architecton
„ nomine, & cognomine Eutinopi, Magister navium, natione
„ Græcus, habitationem elegerat, de cujus Domo ignis emanans
„ mansiones XXIV. concremavit; cumque inextinguibilis videre-
„ tur ignis, idem cum compatriotis in oratione positus Deo,
„ & Beato Jacobo Apostolo votum exhibuit construendi in ejus
„ nominis gloriam novam Ecclesiam in loco incendii exorti;
„ Statimque ignis extinctus est, perfectoque voto Ecclesia con-
„ secrata est per Severianum Episcopum Paduanum, Ambro-
„ sium Episcopum Altinatensem, Jucundum Episcopum Trivi-
„ sanum, & Eponem Episcopum Opiterginum; Felixque Pres-
„ byter vir Catholicus pro Sacramentis Ecclesiasticis exhiben-
„ dis in ea deputatus est.

Quod autem post hujus Templi consecrationem, quæ facta dicitur currente, vel jam transacto anno æræ vulgaris 421. a Dandulo recenseatur obitus Zosimi Papæ, qui mortalitatem exuit die *26.* Decembris anno 418. veritati rei nihil obstare videtur; non enim hæc acta fuisse Zosimo sedente asserit, sed ne fundationis narratio discontinuaretur, ad ejus finem Zosimi mortem anno minime apposito distulit.

Defuncto itaque Zosimo statuenda est primi Veneti Templi dedicatio anno 421. peracta, in quo anno concordat etiam Severianus Episcopus, qui Patavinam Sedem ascendit anno ipso 421. sive, ut corrigunt notæ marginales, anno 419. De cæteris Episcopis quamvis nulla alia documenta suppetant, non tamen ex hoc negandum est, vel eo tempore vixisse, vel Ecclesiæ dedicationem peregisse. Ex eo autem dicendum est, superius enuntiatos Episcopos ad Templi hujus consecrationem concorditer advenisse, quod Patavio, & Altino non tantum, sed Tarvisio quoque ac Opitergio populi turmatim ad æstuaria metu Barbarorum confugientes Ecclesiam Divi Jacobi communi voto extruxerunt, cumque hæ paludes nullius subjacerent ditioni, concordi Antistitum consensu consecrata fuit Ecclesia, ejusque Prebyter ordinatus.

Ab hujus Templi dedicatione natales suos auspicata est Civitas Venetiarum anno a Nativitate Domini CCCCXXI. Octavo Kal. Aprilis, ea nempe *die qua*, ut ait in sua Veneta Historia Bernardus Justinianus, *Divinus gloriosissimæ* Virgini Nun-
„ cius ab Archangelo delatus est ineffabili cœlestis altitudinis
„ ad

„ ad humilitatis abyssum inclinatione. Qui enim eo die ad „ redimendum universum in Genitrice deligenda humilitatem „ præcipue respexit, ut ipsa professa est; is excitari eodem quo- „ que die voluit humillimis in locis, & ab humillimis ho- „ minibus ad presens Imperium constituendum, tam ingentis „ operis initium": Sacram hanc Ædem ex vetustate in ruinam pronam Dominicus Silvius Venetiarum Dux XXX. instaurari jussit, ut in annotationibus ad Dandulum lib. IX. cap. VIII. parte undecima legitur sub duplici asterisco: * * *Dominicus Silvio ex Monacho fecit instaurari ædem D. Jacobi Rivoaltini in eam formam qua nunc visitur.*

A sui origine Parochialis vicinarum ædium effecta, aliis postea per circuitum ædificatis Ecclesiis, ad angustos in Rivoaltensi Insula limites redacta fuit, donec proximis ædibus ad publicos usus ex Senatus Decreto deductis, Parochialem tantummodo titulum, & honorem absque officii onere sibi retinuit.

Anno Incarnationis Dominicæ MDXIII. ingens intempesta nocte excitatum incendium cum Rivoalti insulam fere ex integro consumpsisset, ubi ad Divi Jacobi Templum furentes flammæ appropinquarunt subito subsiderunt, atque intra ambustas domos retrogressæ penitus extinctæ, quod Divinæ Clementiæ prodigium ex apostolico Leonis X. confirmatur Diplomate, quo Ecclesiam D. Jacobi Venetiarum spiritualibus gratiis, & privilegiis exornat (A). Ecclesiæ exteriorem faciem, & interiores quoque partes nova postmodum reparatione ex injuriis temporum vindicavit Natalis Reggia Plebanus anno 1531. atque inde Templum ex vetustate pene attritum in elegantiorem formam publicis impensis restitutum est, quod Venetæ Religionis opus anno MDC. Senatu jubente incœptum Quadrumviri sali præfecti anno sequenti perficiendum curarunt. Ut autem rerum ex traditione acceptarum firmior esset memoria, eas marmoribus insculpi, & Ecclesiæ parietibus affigi Hieronymus ab Aqua Plebanus mandavit.

„ Fundamenta hujusce templi D. Jacobo Apostolo ex voto „ erecti jacta fuere Christianæ salutis Anno CCCCXXI. die XXV. „ Martii Zozimo Romano Pontifice, Honorio Imperante. Dedi- „ catio celebrata sequente anno eodem die per quatuor Episco- „ pos Severianum Patavinum, Hilarium Altinatem, Jucundum

„ Tarvisinum, & Epodium Opiterginum, cura vero Felici Sa-
„ cerdoti primum delegata. Hæc vetustate fere aboleta comperta
„ sunt industria Natalis Reggia Canonici Cenetensis, qui electus
„ Plebanus, & dicto templo in splendidiorem Ecclesiam instau-
„ rato, ut ædificationis, conservationis, instaurationis, & electio-
„ nis monumentum Posteritati relinqueret, hæc in marmore no-
„ tanda curavit. Quæ omnia, & loci, & temporis injuria cor-
„ rosa ac pene consumpta, Hieronymus ab Aqua de Muriano
„ Canonicus D. Marci, atque hujus Ecclesiæ Plebanus hoc mar-
„ more restaurari jussit. Anno Domini 1610. Die xxv. Martii.

„ Divo Jacobo Majori Casearii III. Nonas Aprilis MDCII.
„ Marini Grimani Venetæ Reipublicæ Principis permissu.

„ D. O. M. Vetustissimam Rivoalti D. Jacobo Apostolo a pri-
„ mis urbis conditionibus ædem voto erectam, atque die quin-
„ to majoris hebdomadæ perpetuæ plenariæ indulgentiæ mune-
„ re ab Alexandro Tertio Venetiis latitante condecoratam, post-
„ quam Summo Pontifice a Patribus honorifice excepto Frideri-
„ cus Enobardus Cæsar, qui dum terra, marique armis infecta-
„ batur, filio ejus Othone a Sebastiano Ziani Duce navali Victo-
„ ria superato, pace firmata, se subjecit; & miraculo præterea
„ maxime memorabilem, quod hæc una ignem, qui noctu
„ quarto Idus Januarii MDXIII. Rivoaltinam insulam tempo-
„ ris fere momento consumpsit, evaserit, vetustate pene attri-
„ tam viri clarissimi Petrus de Ponte, Jacobus Mauroceno, Be-
„ nedictus Ericius, & Franciscus Maripetrus Salis Præfecti in ele-
„ gantiorem hanc formam Senatus consulto summa cum digni-
„ tate, & urbis splendore restituerunt. Anno ab Incarnatione
„ Domini MDC. Ab urbe vero condita MCLXXIX. Marini
„ Grimani Venetiarum Ducis, &c. Anno VI. Hieronymo Ab
„ Aqua Antistite, & D. Marci Canonico Procurante.

„ Ne vicissitudo temporum indulgentiam perpetuo plenariam
„ ab Alexandro Tertio Pontifice Maximo huic ædi 1177. colla-
„ tam obliteraret, Natalis Reggia Plebanus, & Protonotarius A-
„ postolicus ponendum curavit.

„ Corruptam templi exteriorem partem Natalis Reggia Pleba-
„ nus, & Protonotarius Apostolicus interioris etiam resarcitor in
„ hanc augustiorem formam exornandam non parum curavit.
„ Anno a jactis Templi, & urbis fundamentis centesimo de-
„ cimo supra millesimum Nono Kalendas Aprilis Anno vero
„ Chri-

„ Christianæ salutis MDXXXI. Octavo Kalendas Aprilis Urbis, „ & Templi Natalitio.
„ Hanc D. Jacobo Apostolo a primis fundamentis urbis dicatam ædem jam vetustate ruentem, ex majorum religione Senatus Cons. restaurandam prisca ejus forma servata, opus inceptum Bernardus Theupolus, Joannes Donatus, Marcus Antonius Longo, Joannes Jacobus Zane, Salis præfecti perficiendum curarunt anno S. 1601. Ab urbe, & æde conditis „ MCLXXX. Marini Grimani Ducatus septimo.

Divi Jacobi Titularis marmoreum simulacrum, quod ad Aram principem visitur, Alexander Victoria insculpsit; Alterum vero Divi Antonii Abbatis ex ære ad ipsius Altare Hieronymus Campagna fusit, & absolvit.

Series Plebanorum Ecclesiæ S. Jacobi Majoris Apostoli, de Rivoalto.

421. Felix Presb. post quem nullus memoratur usque ad annum 1310.

1310. Marinus Zane Prior Ecclesiæ S. Jacobi de Rivoalto, & Canon. Castell. nominatur in Chronicis Zena, & Savina ms. tamquam unus ex conjuratis cum Bajamonte Theupolo exilio mulctatus.

1340. Ursus Delphino Rector Eccl. S. Jacobi de Rivoalto assumptus anno 1347. ad Ecclesiam Justinopolitanam, deinde ad Archiepiscopatum Cretensem translatus, postremo electus Patriarcha Gradensis, de quo fusius in Eccl. S. Sylvestri.

1398. Jacobus Cavalletto Not. Ex Arch. Patriarchali.

1458. Nicolaus Avancio Not. Presb. primum S. Mariæ Formosæ, deinde Titulatus SS. Apostolorum, & Rector Eccl. S. Jacobi de Rivoalto, postremo Rector Eccl. S. Jacobi de Rivoalto, & Pleb. S. Agathæ. Ex rog. ejusdem.

1486. Franciscus de Pace Decretorum Doctor memoratur in Archivo Patriarchali.

1488. Joannes Baptista Columna Not. Presb. Eccl. S. Marci, & Titulatus S. Pauli, & Pleb. S. Jacobi de Rivoalto. Ex rog. ejusdem.

1504. Natalis Reggia olim Canon. Cenetensis, postea Pleb. S. Jaco-

Jacobi de Rivoalto, Proton. Apost. & Archipresbyter Congreg. S. Salvatoris. Ex rog. ejusdem.

1528. Jacobus Faseolus *Fasolo* Titulatus S. Moysis, S. Panthaleonis, & S. Barnabæ Not. scripsit Testamentum Andreæ Gritti Ducis Venetiarum 28. Decemb. 1535. Occisus obiit 4. Januar. 1535. M. V. Ex rog. ejusdem, & codice ms. Plancherii.

1535. Franciscus Gritti anno 1552. Transiit ad Plebanatum S. Juliani. Ex Archivo Patriarchali.

1542. Aloysius Bonaver. Ex documentis Cl. V. Francisci Pivatti.

1552. Bernardus. Ex codice ms. Plancherii.

1580. Paulus Cimator a Serena. Ob. 1584.

1584. 30. Octob. Franciscus de Allegris Canon. Duc. Ob. 1591.

1591. 4. Aprilis Hieronymus ab Aqua Murianensis Canon. S. Marci. Obiit 7. Junii 1605.

1605. 8. Junii Hieronymus Caosio Canon. Basilicæ Ducalis.

1606. 8. Octob. Petrus Piccini olim Pleb. S. Stephani Confessoris *S. Stin*, Canon. & Capellanus Ducalis. Anno 1614. falsa criminatione ad Ducem Marcum Antonium Memmum delatus Plebanatu, & Canonicatu spoliatur, in cujus locum electus fuit per eumdem Ducem

1614. 14. Julii Joannes de Barberiis J. U. D. Vincentii Filius electus quoque Canon. Ducal. Defuncto autem Marco Antonio Memmo Duce, cum Petrus Piccini ex Plebanatu expulsus novum Principem Jo: Bembum obtestatus fuisset, ut rursus illati sibi criminis causa sub Judice perageretur, delegata ad Minus Consilium criminali quæstione, Petrus, cujus innocentia clare comperta fuit, non modo absolvitur, sed & pristinæ dignitati restituitur.

1616. Petrus Piccini iterum. Obiit 15. Maii 1629.

1629. 26. Maii Joannes Presegno. Ob. 1669.

1669. 26. Augusti Joannes Cantu Canon. Ducalis. Ob. 1674. 15. Januarii M. V.

1674. 18. Januarii M. V. Ludovicus Torelli Divi Marci Subsacrista Canon. Ducalis. Ob. 1690.

1690. Angelus Benolli Canon. S. Marci. Ob. 1731. 21. Jan. M. V.

1731. 22. Januarii M. V. Antonius Sforza J. U. D. cujus vita impressa legitur in initio suorum Carminum Italicorum *Rime*. Ob. 16. Martii 1735.

1735. Gaspar Casatti J. U. D.

Leo

Leo X. Plebanis, & Ecclesiæ Sancti Jacobi de Rivoalto indulget, ut una Missa celebrari possit in eadem Ecclesia ante auroram, atque una Missa pariter celebretur in Sabbatho Sancto.

A.

1520. 14. Decembris.

Ex Schedis N. V. Petri Gradonico de S. Justina.


LEO PAPA X.

DIlecte Fili Salutem, & Apostolicam benedictionem. Multa ad nos fide dignorum testimonio relata sunt de Ecclesia ista S. Jabobi de Rivoalto Venetia rum, cujus tu in præsentiarum Plebanus existis magna illa quidem, & memorabilia, quæ illic Miseratio Divina operatur referuntur. Nam preter quod Ecclesiam ipsam miraculose, & quodammodo Divinitus constructam fuisse perhibetur, illud etiam pro non parvo miraculo additur, & summa istic celebratur prædicatione, quod licet superioribus annis horrendi inreparabilisque incendii magna vis totam fere regionem, & Insulam istam Rivoalti debaccata fuisset, & ita absumpsisset ut si loci ambitus, ædifitiorum ruina, & rerum deperdi turam materies, præciaque considerentur valde tristis, & miserabilis casus judicetur, tamen Ecclesia præfata flammis circumcirca, & quidem proximis obsessa, ac circumdata imo in medio Flammarum posita, insigni, ut pie creditur miraculo Divina protegente gratia illæsa, atque intacta permansit, quod profecto clarum Divinæ providentiæ testimonium esse potest. Quamquam enim rerum omnium, & præcipue sacrorum, Templorumque suorum Deum curam habere non dubitatur, videtur tamen illam Deus pro ejus infinita bonitate peculiarem quamdam hujus Ecclesiæ curam suscepisse. Dudum siquidem fælicis recordationis Julius Papa II. Prædecessor noster tibi ceterisque, in plebe ista tua successoribus, ut annis singulis die Sabbati Sancti pro Christifidelium, & confluentium spirituali consolatione missam unam etiam publice celebrare, seu celebrari facere possitis per quasdam suas in forma Brevis litteras concessit prout in illis plenius dicitur contineri. Nos quidem ejusdem Julii prædecessoris vestigiis insistentes concessionem hujusmodi per ipsum tibi successoribusque tuis de celebranda in dicta Ecclesia missa, ut præfertur, factam auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & quatenus opus sit etiam innovamus. At quia accepimus eamdem Ecclesiam, ex hoc, & aliis in magna fore Christifidelium devotione eamdemque in celebriori Civitatis parte locatam & numeroso Populo, & præsertim ab iis, qui mercaturam, & seculares artes exercent etiam antelucanis horis frequentari, nisi per eas horas divinis interessent, id nequaquam alio tempore facere possent. Ea propter gratiam nostram laudibus extendere teque ampliori favore prosequi, & piæ devotioni, & commoditati Populi istius Ecclesiæque celebritati, quantum cum Domino possumus opportune providere volentes tibi, & eisdem populis dictæ plebis, & successoribus tuis, ut quotidie Missam unam etiam antelucanis horis, ita tamen ante lucem, ut horam


ram non excedat priusquam sit u..... as........ idoneas Presbyteros a vobis deputatos libere, & licite celebrare, seu facere possitis specialis........ gr........ constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis..... futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die 14. Decembris........ Pontificatus nostri anno VIII.

A tergo .... Natali Rhegia Plebano Ecclesiæ S. Jacobi de Rivoalto Venetiarum Notario, & Familiari nostro.



DE



DE ECCLESIA

S. MARIÆ CONSOLATIONIS

CONGREGATIONIS ORATORII S. PHILIPPI NERI.

PER eadem ferme tempora, quibus devota Deiparæ imago de jure Gentis Amadi in confinio S. Marinæ posita multa, ut superius dictum est, mirabilia patrabat, altera Beatissimæ Virginis effigies in adhærenti Divi Leonis Parœcia ligneo inclusa tabernaculo ad parietem ædi proximam, ubi supradicta piissima Familia morabatur, appensa quamplurimis prodigiis cœpit repente clarescere. Hæc ne nimis facili vulgi rumore edita putarentur, & ne gravis momenti negotium nullo probatum examine ulterius progrederetur, Maphæus Gerardus Patriarcha Venetiarum anno a Virginis partu MCCCCLXXX. prudenti sane consilio decrevit, ut in prodigiorum cognitione judices versarentur. Re itaque diligenter perpensa cum ex testium fide cæterisque circumstantiis satis, & abunde compertum de veritate fuisset, mirabilia ipsa Ecclesiastici judicii decreto probata sunt. Ex hoc cum prodigiosa Imago frequentiori populi veneratione coleretur, ex insita erga Virginem Matrem pietate excitati Aloysius ejusque Nepos Angelus Amadi de Virginea Icone decentius collocanda cogitarunt. In religiosi itaque studii partem Fran-

ciscum Diedo Doctorem, Franciscum Zeno, & Marcum Superantio Nobiles Venetos adjutores sibi, & socios asciverunt, quorum consilio, & authoritate roborati Maphæum Girardum Patriarcham Venetiarum adeuntes ejus pietatem enixis precibus obtestati sunt, ut ad Venerabilem Deiparæ effigiem decentius collocandam Sacellum in loco, ubi prodigiis clarescebat extrui indulgeret. Supplicantium vota facilis excepit Patriarcha, latoque die x. Novemb. supradicti anni MCCCCLXXX. decreto permisit, ut Virginea effigies, quam ad gentem Amadiam pertinere publica Principis authoritas jam statuerat, decenti Sacello mox ædificando includeretur, quod tamen nulli Parochialis Ecclesiæ juri subjaceret, Procuratores quoque instituens a quibus Ecclesia, & Ecclesiæ redditus administrarentur, inter eos tunc, & futuris continuo temporibus unum ex Gente Amada adnumerandum esse decrevit.

Adi Sabbato II. *de Octubrio* MCCCCLXXX.

IN presentia del Reverend. in Christo Padre &c. Meser Maphio Girardo per miseration Divina Patriarcha di Venetia, & dignissimo di Dalmatia Primate. Constituti personalmente li Magnifici, e generosi Zentilhomeni de Venetia Meser Francesco Diedo Doctor, & Meser Francesco Zen, fò del Magnifico Meser Marco Cavalier, e Meser Marco Superantio fò del Magnifico Meser Nicolò Procurator de S. Marco, & li egregii, e circumspecti Citadini della medesima Cità Meser Alvise di Amai, fò del Meser Francesco, e Meser Angelo suo Nipote per li soi nomi, e de altri di Amai, descendenti

Die Sabbathi XI. *Mensis Octobris* 1480.

CORAM Reverendissimo in Christo Patre, & Domino Domino Maphæo Girardo miseratione Divina Patriarcha Venetiarum, & Dalmatiæ Primate. Constituti Magnifici, & generosi Viri Nobiles Veneti D. Franciscus Diedo Doctor, & D. Franciscus Zeno qu. Magnifici D. Marci Equitis, & D. Marcus Superantio qu. Magnifici D. Nicolai Procuratoris Divi Marci, atque egregii, & circumspecti Cives Venetiarum D. Aloysius de Amatis q. D. Francisci, & D. Angelus ejus nepos, sui & gentilium heredumque suorum nominibus omnes uti Procuratores Sacelli Beatæ Mariæ Virginis vi-

ti de la linea di esso Meser Francesco, & suoi heredi. Tutti sopranominati, come Procuratori de la Capella de la Beata Vergine per nome suo, e de li altri habenti, over che haveranno, come per la moltitudine delle gratie, quod i Fedeli di Christo devotamente recurrenti alla Madre di Misericordia, & a quella sua Imagine, qual soleva stare apichada al muro de una certa Casetta, posta in la Calicella appresso la Casa grande di essi Amadi, za da tre mesi in quà dall' Omnipotente Dio miraculosamente hano conseguido, cum grandissimo concorso de tutta la Città. Essi tutti ad honor de esso Omnipotente Dio, e de la sua Madre gloriosa, & ad augmento, de tal devotione; Intravenendo a questo la volontà, e pio consenso del Illustriss. Ducal Dominio, hanno deliberato in loco li propinquo, dicto Corte nova far edificare, & construer una Capella, qual sia semplice sencia cura, over Sacello honorifico, & sumptuoso sotto nome, & vocabulo de pura Conception de la dicta Beatissima Vergine Maria. In el qual la Imagine predicta, qual al presente è servada in Casa de li dicti di Amadi, come cosa sua; come è stà determinato per il predicto Il-

vices etiam aliorum absentium, & successorum suorum supplentes exposuerunt. Christifideles quamplurimos opem Matris Misericordiæ implorantes, dum ad ejus imaginem olim parieti domunculæ sitæ in via angusta prope ædes gentis Amadiæ appensam ferventius orarent prodigiosas sanitatum gratias recepisse, ex quibus sane prodigiis jam a tribus mensibus inceptis mira populorum frequentia ad eam venerandam accurrit. Quapropter Procuratores omnes Divini honoris, & Virginei cultus intuitu, ut pia fidelium devotio majora capiat incrementa, obtenta Principis permissione statuerunt in propinquo loco *Corte nova* nuncupato sacellum honorifico, & sumptuoso opere absque ulla tamen Parochiali cura ædificare ipsumque titulo purissimæ Conceptionis insignire; In quo quidem Sacello prodigiosa Imago, quæ ex publica sententia ad Familiam Amadiam pertinere noscitur, decenti honore collocetur, ibique perpetuo remaneat; ut vehementer etiam exoptant ipsius familiæ viri, *ita tamen*, ut prædictum Sacellum nulli subjaceat, vel uniatur Parochiali Ecclesiæ, sed ab omni prorsus subjectione exemptum proprii juris censeatur absque ullo animarum regi-

Illustriss. Dominio habuta sopra di questo plenaria probation, quella esser sua, devotissimamente sia collocata, cusì consentendo, e vogliando loro di Amadi per dover star li in perpetuo. Ita tamen che la predicta Capella da esser li fabricada, a niuna delle Chiesie Parrochial vicine, vel propinque sia con modo alcuno subjecta, overo unita, ma in tutto da altre separata, e sencia subiection alcuna, overo obligation stagi, & semplice, e senza cura, come è stà dicto. Ita tamen, che in li perpetui tempi de li antiqui de dicta Famiglia di Amadi siano Procuratori de dicta Capella, & Procuratori per nome suo, & de altri, quali hano o sono per haver administration. Promettendo li predicti Meser Comparenti al prefato Reverend. Mes. lo Patriarcha cusi richiedente a questo, acciò che questa cosa possi obtener suo fin, cum effecto talmente proveder, che in dicta Capella, over Sacello continuamente in li perpetui tempi da venir servino dui Sacerdoti Seculari de bona fama, honesta conversation, & laudabil vita, cum uno over dui Clerici, quali ogni zorno in quel locho, Messe, & altri Divini officii secondo la necessità, & convenientia del locho habiano a cele-

regimine sibi injuncto, atque *ita tamen* ut perpetuis temporibus seniores de Familia Amadi sint suo, & successorum nomine Procuratores ejusdem Sacelli. Promittunt insuper supradicti Procuratores Reverendissimo Domino Patriarcha hoc ab eis exigente, ut optatum res sortiatur effectum, ad ejusdem Sacelli cultum duos bonæ famæ, & honestæ conversationis sæculares Sacerdotes stipendio conducere, atque unum, vel duos clericos, qui Sacellum ipsum quotidiana Divini misterii celebratione frequentent ad loci necessitatem, & decus. Hi porro Sacerdotes, & Clerici ad quorum sustentationem opportuna erunt subministranda arbitrio Procuratorum tum præsentium, tum successorum eligentur, sed ab ipso mox Patriarcha, vel successoribus approbandi erunt; insuper se omnia ad Divinum cultum necessaria suppeditaturos, ipsumque Sacellum decenter conservaturos fore despondent. Ut prædicta omnia firmiori fide agantur se etiam publici instrumenti robore ad voluntatem Domini Patriarchæ arctius obstringere fatentur esse paratos. Suppliciter itaque, & enixe ipsum Reverendissimum Dominum Patriarcham exorant, ut ipsorum pia, & hone-

lebrare, li quali ancora in dicto locho comodamente, & condecentemente potranno esser substentadi, da esser elletti, & deputadi per li soprascripti, & nominadi Zentilhomeni, & Citadini, & altri, ali quali de tempo in tempo aspecterà la election continuamente come sarà bisogno. I qual certamente Sacerdoti saranno presentadi al Reverendiss. Mes. lo Patriarcha, & Successori suoi, & prometterano, che li seranno tutti ornamenti, & altre cose necessarie per la celebration de tal Divini Offitii, & per substentation d'essa Capella, over Sacello. Per le qual tutte cose fermamente da esser attese, & observade, tutti li predicti se hanno offerto esser paradi ancora per publicum Instrumentum far ciascuna necessaria, & conveniente obligation, segondo lo arbitrio, & volontà de esso Meser lo Patriarcha in quanto sia necessario. Per tanto hanno dimandato supplicevolmente cum ogni debita instantia, che esso Reverendiss. Monſ. Patriarcha si degnasse satisfacendo a tanto suo pio, & honesto desiderio, dar a loro, & conceder licentia, & facultà, che la predita Capella, over Sacello in dicto locho cum modi, & condition sopradicti, liberamente e sencia condition de alcun, ad honor, nestà vota benigne suscipiens facultatem tribuat in eo loco modis, & conditionibus supradictis Sacellum extruere libere, & absque ullo onere ad Clementissimi Salvatoris nostri honorem, & gloriam totiusque Curiæ cœlestis, atque ad Illustrissimi Dominii universæque Urbis, & aliorum Christifidelium consolationem, & devotionis augmentum; quæ omnia prædicti Domini eo quo supra, atque omni meliori, & validiori modo expetierunt.

Die

nor, & gloria del Clementissimo Salvator nostro, e de tutta la Corte Celeste, e del presato Ill. Dominio satisfation de la sua bona volontà, e de tutta questa Cità, & de altri fideli de Christo; accrescimento de devotion. Et tutte queste cose li predicti Signori hano dimandato non solamente al predito modo, ma ancora con ogni altro meglior più valido, e più efficace de rason.

Adì Millesimo soprascritto. di 10. *Novembre.*

NUI adoncha Maphio Girardo Patriarcha de Venetia antedicto, aldita, & intesa la pia, & sancta richiesta predicta insieme cum le obligation, & promission antedicte, considerando non esser da negar lo assenso a li dimandanti cose honeste, & religiose, in queste maxime; le qual apartieneno ad magnificare la gloria dell'Altissimo, & ad accrescer la divotion della sua gloriosissima Madre per nome nostro e de li successori nostri, per le presente receuuda la promission, & obligation predicta in solemne forma, con ogni meglior modo, via, rason, & forma, cum li qual più meglio efficace, e più valido de rason se pol, e die far, cum auttorità nostra Patriarchal per le presente nostre lettere demo licen-

Die X. *Novembris* MCCCCLXXX.

Nos igitur Maphæus Gerardo Venetiarum Patr. &c. Audita & intellecta pia, & religiosa prædicta instantia cum obligationibus, & promissionibus antedictis cogitantes honestas, & religiosas gratias exquirentibus non esse denegandas, in iis potissimum quæ ad majorem Dei gloriam, & ad devotionis augmentum erga Virginem Deiparam pertinent, nostro, & successorum nostrorum nomine obligationes, & promissiones vigore præsentium omnique meliori modo, via, ratione, & forma acceptantes præsentibus nostris litteris authoritate nostra Patriarchali facultatem, & omnimodam potestatem concedimus prædictis Procuratoribus ædificandi, & ornandi Sacellum loco, & sub ti-

centia, & omnimoda podestà, facultà, a li prefati Procuratori de edificar, & ornar tal Sacello in locho, & sotto vacabulo antedicti, & far tutte le altre cose, in tutto, & per tutto como per loro a Nui è stà richiesto. Promettendo Nui esser parechiadi, quando sarà, andar al locho, & invocato el nome del Altissimo, e de la sua Gloriosissima Madre dicto locho benedir cum el Sanctissimo segno de Croce, & prima buttare le fondamente, & fungere altre cerimonie, le qual in simil cose è stà solito esser agionte. In fede de le qual &c.

Dat. Decimo Novemb. 1480.

Jo: Francesco di Morandi in fede de le cose premesse me hò sottoscripto.

titulo antedictis, omniaque prorsus peragendi prout ab ipsis nobis expetitum fuit. Promittimus insuper opportuno tempore ad locum ipsum accedere, ibique Dei Altissimi ejusque gloriosissimæ Genitricis nominibus invocatis locum sanctissimo Crucis signo benedicere, fundamentum ponere, aliasque cæremonias complere, quæ in hujusmodi solemnitatibus de more aguntur. In quorum fidem &c.

Datum die x. Novemb. 1480.

Franciscus Morandi in præmissorum fidem me subscripsi.

His actis, pii viri corrogatis ad laudabile opus Christifidelium eleemosinis Sacellum non amplum quidem sed elegans ædificari curarunt, cui rite administrando ex Veneti Dominii mandato Antonius Contarenus supralaudati Maphæi in Patriarchatu successor Procuratores instituit, quos in sacri Sacelli custodia idoneos esse reputavit.

Adi Quattro del Mese di Luglio Mille, Cinquecento, e quindici.

EL spettabil Meser Victor Bianco Ducal Secretario hà refferido al Reverendiss. Monsign. lo Patriarcha de commission, & mandato del Serenis. Prencipe, &

Die IV. *Julii anno* MDXV.

SPECTABILIS D. Victor Blancho Ducalis Secretarius retulit Reverendissimo Domino Patriarchæ de Serenissimi Principis, atque Illustrissimi Domi-

& dell' Ill. Dominio di Venetia, ch' esso Rev. Mes. lo Patriarcha Antonio Contareno, cum sua solita circumspettion, & bontà, voglia proveder, che la Capella della Beata Maria de Consolation al ponte delle fabe sia tenuta, e conservata in devotion, & visitation dalli fedeli, & devoti d'essa Gloriosissima Vergine, & che le oblation, & ellemosine, le qual de dì in dì sono offerte ad essa Capella siano custodite, & conservate, & non dilapidate, & indebitamente usurpate, & che attenta la renoncia, & rifutation fatta per certi procuratori de ditta Capella i qual hanno renonciato, & dato le chiavi in man d'esso Rev. Mes. lo Patriarcha, che quanto più presto serà possibile siano elletti Procuratori idonei, & sufficienti al governo, & custodia delli danari, robbe, & beni di detta Capella, acciò mediante le sante, & bone opere della custodia, & diligenza de essi Procuratori, seguiti lo effetto de accrescimento de honor & dignità, com' è seguido della Chiesa della Beata Maria de Miracoli, & che Mes. lo Plebano, & Preti della Chiesa di S. Leone non s' imparino in li danari, & altre robbe di dicta Chiesa.

minii mandato, ut ipse Reverendissimus D. Patriarcha Antonius Contarenus ex insita sibi prudenti pietate curare velit, quatenus Sacellum Beatæ Mariæ Virginis de Consolatione juxta pontem vulgo *della Fava* decenter asservetur, ad devotionem, & venerationem populi erga gloriosissimam Virginem pie augendam; Eleemosinæ etiam, & oblationes in dies singulos erogatæ caute custodiantur ne eas inaniter dilapidari, aut injuste usurpari contingat. Cum vero nonnulli ipsius Sacelli Procuratores resignatis clavibus in manus ipsius Reverendissimi Domini Patriarchæ oneri renuntiarint; quamprimum alii eligantur muneri, atque bonorum custodiæ apti, quorum diligenti, & laudata opera ipsius Sacelli honor, & dignitas augeatur, ut in Ecclesia Sanctæ Mariæ Miraculorum actum est, neque Plebanus, & Presbyter Ecclesiæ S. Leonis ullo modo in pecuniæ aliorumque bonorum ipsius Sacelli administrationem se ingerant.

Adi Die

Adì cinque del Mese di Lujo 1515.

EL R:mo Missier lo Patriarcha prefato in esseqution della richiesta dello Ill. Dominio nostro nel preterito zorno referita per M. Victor Biancho Secretario Ducal, ha elletto in Procuratori, e Gubernatori de Sancta Maria de Consolation al Ponte delle fabe i Nobil Huomini Missier Andrea Magno, Meser Francesco Bragadin, & Meser Valerio Valier, & similmente li prudenti Cittadini de Venetia, Meser Giacomo Dolce, & Meser Marco Antonio di Mothi con quella libertà, auttorità, & facultà, como in la richiesta del prefato Ill. Dominio, & far altre espedizion, & essequir del Plebano, & Preti de dicta Chiesa, & che li Capellani, & altri Preti officianti, & celebranti in dicta Capella siano presentadi ad esso Rev. Meser lo Patriarcha, & successori suoi per essi Meser li Procuratori, & si saranno trovati sufficienti, siano admessi, con potestà a sua Signoria Reverendissima de deponer, & privar quelli si commetteranno error alcuno, & queste cose con ogni meglior modo &c.

EL R:mo Meser lo Patriarcha soprascripto ha consignato, & dato alli spettabil huomeni Meser Jacomo Dolce, & Meser Marc'

Die v. *Julii* MDXV.

REV:MUS Dominus Patriarcha prædictus petitionem Illustriss. Dominii nostri hesterna die per D. Victorem Blancho Secretarium Ducalem ipsi relatam exequi volens, in Procuratores & Gubernatores S. Mariæ Consolationis ad pontem Fabarum elegit Nobiles Viros D. Andream Magno, D. Franciscum Bragadeno, & D. Valerium Valerio, atque prudentes Cives Venetos D. Jacobum Dulce, & D. Marcum Antonium de Mothis iis libertate, facultate, & authoritate in prædicta Illust. Dominii petitione expressis potissimum circa Plebanos, & Presbyteros dictæ Ecclesiæ plenissime concessis. Capellani vero, aliique Presbyteri in prædicto Sacello celebrantes, & inservientes Reverendiss. D. Patriarchæ, suisque successoribus per ipsos Dom. Procuratores presententur, ut si de ipsorum idoneitate constiterit; ejus authoritate confirmentur, salva tamen Dominationi suæ Reverendissimæ remanente potestate deponendi, & ejiciendi eos, qui crimine aliquo notarentur, & hoc omni meliori modo &c.

REV:MUS Dom. Patriarcha in manus dedit, & tradidit spectabilibus viris Dom. Jacobo Dulci, & Dom. Marco Antonio

Marc'Antonio di Mothi, Procuratori della Capella, over Chiesa della B. Maria al Ponte delle Fabe le Chiavi della capsa ferea, & de altre capsette delle oblation, & ellemosine, qual sono date alla detta Chiesa, cum espressa commission, & mandato, che sia fatto un' inventario con tutti li altri Procuratori de tutti li beni de ditta Chiesa, over Capella, & essi beni siano dati, & consegnati a tutti essi cinque Mes. Procuratori, & siano custoditi, & conservati ad honor dell' Altissimo, & della sua Madre Gloriosissima Maria, cum questa espressa dechiarazione che mancando, over refutando essi Mes. Procuratori over uno de loro all'administration, overo procuration de tal sorte, che la facultà, & auttorità de ellezer Procuratori sempre sia, & resti in li perpetui tempi da venir appresso esso Reverendiss. Meser lo Patriarcha, & suoi successori.

nio de Mothis Procuratoribus Sacelli, seu Ecclesiæ Beatæ Mariæ ad pontem Fabarum claves capsæ ferreæ, aliarumque capsarum minorum pro eleemosinis, & donariis ipsi Ecclesiæ oblatis, expresse mandans, & committens, ut coram aliis Procuratoribus de omnibus rebus ad Sacellum ipsum spectantibus accuratum instituatur repertorium, ipsaque bona Procuratorum fidei committantur, ut ad Altissimi Dei, ejusque gloriosissimæ Matris Mariæ honorem custodiantur, & asserventur, conditione hac expressa, ut quandocunque perpetuis temporibus aliquis ex Procuratoribus cesserit, vel decesserit, alius in ejus vices per Reverendiss. D. Patriarcham, ejusque successores eligendus substituatur.

Lo essimio Dottor di Leze Meser Gasparo Ursato.

Lo essimio Dottor di Leze Meser Pietro Albignano.

Eximius Juris Doctor Dom. Gaspar Ursatto.

Eximius Juris Doctor Dom. Petrus Albignanus.

Iis ex hac luce sublatis, alii deinde continuatis vicibus ordinaria Patriarchæ authoritate suffecti fuerunt, quorum cura cum Virginis cultus, & Sacelli ornatus in dies augeretur, Joannes Trivisanus Patriarcha Venetiarum ad ipsorum Procuratorum

torum preces ut in ipſo Sacello *Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pro adoratione Chriſti fidelium tantum* aſſervaretur, indulſit (A).

Collati beneficii, & mox conſecratæ anno ſequenti Eccleſiæ memoria in grati animi argumentum *Ædis curatores* marmori inſculpi, & Eccleſiæ parieti infigi mandarunt.

„ Cum Joannis Triviſani Venetiarum Patriarchæ Dalmatiæ-
„ que Primatis benignitate Kal. Aprilis 1572. conceſſum fue-
„ rit, ut ſacroſancta, ac divina Euchariſtia in hoc ipſo Dei-
„ paræ Conſolationis Sacello ad piorum ſolatium ſtatueretur,
„ Ædis Curatores marmoream tabulam ad ſingulare optimi
„ Antiſtitis beneficium declarandum, & perpetuam amantiſſi-
„ mi Decreti memoriam unanimes poſuere. 1580. Kal. Martii.
„ Sacroſancta Euchariſtia a Joanne Triviſano Venetiarum
„ Patriarcha, VI. Nonas Julii MDLXXII. ingenti Civium con-
„ curſu, propriis manibus in Ædem deportata Julius Super-
„ chius Mantuanus Epiſcopus Caprularum, ejusdem Triviſa-
„ ni Patriarchæ juſſu IV. Idus Maii MDLXXIII. tertia Pente-
„ coſtes Feſta die, Ædem Conſolationis Deo Optimo Maxi-
„ mo, & Deiparæ Virgini, ſolemni cæremonia ſacravit. Gre-
„ gorio XIII. Pont. Max. Venetiarum Duce Aloyſio Moce-
„ nico Ædis Curatores ad poſteritatis memoriam poſuere.
„ 1580. Kal. Martii.

Eccleſiam quam primum Altaris privilegiati decore, mox Indulgentiis ornaverat annis 1621. & 1622. Gregorius XV. (B) in ſpiritualibus adminiſtrarunt ſub Capellani titulo Sacerdotes ſæculares ad ejus regimen Procuratorum ipſius Eccleſiæ ſuffragiis adlecti, quorum noviſſimus Hermanus Stroiffi piiſſimus Sacerdos Venetus Petro Armanni adhuc viventi ſuffectus eſt, qui cum religioſiſſime Divina Officia per luſtra ſupra ſeptem in ea Eccleſia peregiſſet, ſenio, & laboribus confectus Hermanum ſibi adjutorem dari, atque ſucceſſorem deſignari poſtulavit. Eo in munere Hermanus non in Eccleſiæ tantummodo decus, ſed & in animarum ſalutem ſedulo incumbens aliquos pietate, & zelo præſtantes ad eandem vitæ rationem aggregare exoptans, duos Deo bene juvante ſocios ſibi adjunxit Auguſtinum Nanium, & Joannem Baptiſtam Bedetti eximiæ virtutis ſacerdotes, quorum primus ex Senatorio Venetorum ordine ad Sacerdotium ſe ſe traduxerat, alter vero e longinquo Divinæ bo-

nitatis dispositione ad egregii operis fundationem Venetias advenerat. Piissimi hi viri, quorum animos Dei charitas in unitate conjunxerat, ædes etiam sibi communes apud Ecclesiam elegerunt, utque in ea concordia facilius æque, ac valentius ad animarum salutem incumberent, de suavissimo Divi Philippi Nerii instituto in Urbe fundando unanimi voto consilium inierunt. Die itaque IV. Maii anno 1662. supralaudati tres Sacerdotes supplices libellos Principi humiliter porrexerunt pietatem publicam exorantes, ut ad Congregationem Oratorii ritè Venetiis fundandam angustum Divæ Mariæ de Consolatione Templum concedere dignaretur. Vota excepit facili aure Senatus, cumque non de nova Religione inducenda, sed de liberis viris in unitate charitatis uniendis ageretur, lato ad diem X. Junii ejusdem anni decreto postulantibus (collaudato primum amplissimis verbis ipsorum mox amplexando instituto) & Ecclesiam, & Congregationis fundandæ facultatem indulsit. Re igitur Deo favente feliciter incepta, Divinæ primum clementiæ gratias egere, cujus beneficio exortas difficultates expedite superaverant, mox solliciti de facultate ecclesiastica, (ne quid rei deesset) obtinenda, Joannem Franciscum Maurocenum Patriarcham Venetiarum adierunt, ab eo suppliciter exposcentes, ut Congregationem Oratorii in Divi Leonis Parœcia institui pateretur. Libentissimo animo homines amplexus est Patriarcha, atque Congregationem Oratorii ab ipsis fundandam non modo rite approbavit, sed & summis laudibus exornavit, se confidere asserens ipsorum sanctimoniam, & charitatem Ecclesiæ Venetæ tum præsidio, tum ornamento futuras (C). Ordinariam Præsulis concessionem Apostolicæ authoritatis munimine roboravit Clemens hujus nominis Papa X. datoque die XXI. Novemb. anno MDCLXXIV. Pontificio diplomate Venetam Oratorii Congregationem sub instituto Divi Philippi Nerii confirmandam esse decrevit, multisque ornatam privilegiis *omnimodæ jurisdictioni Patriarchæ Venetiarum pro tempore existentis* subjectam remanere decrevit (D). Interea dum hæc aguntur statutus Procuratorum Ordo, qui Ecclesiæ regimini præsideret, non interupta serie continuatur, dum eos subinde decedentes Patriarcharum electio suffectis aliis restituit. Eos inter præcipue recenscendi veniunt Marinus Grimanus Hermolai filius, & Joannes Baptista Cornelio Thomæ filius, Senato-

natores pietate non minus, quam prudentia præstantes, quorum primus spretis mundi vanitatibus Congregationi Oratorii in urbe Brixiensi nomen dedit, alter vero sub superius laudati Joannis Baptistæ Bedetti disciplina adeo in virtutum exercitio profecit, ut in Laicali vita regularis perfectionis apicem attigisse videretur. Ipsius encomium operis hujus Decade I. pag. 181. dedimus, ubi annum ejus emortualem 1709. signavimus; breves vero hasce laudes a piissimo viro jure meritas hic quoque, dum ejus mentio incurrit, mihi afferre liceat veluti amantissimi Filii erga Patrem optimum perenne amoris, & grati animi monumentum.

Usque ad sequentis sæculi XVIII. exordia in angustissimo loco degerunt pii Sacerdotes, cumque ad animarum salutem pro viribus adjuvandam tum privatis colloquiis, tum publicis concionibus sedulo insisterent, ingens civium numerus ad ipsorum Ecclesiam, ut in Christiana re institueretur, accurrere cœpit. Ad eos igitur excipiendos cum antiqua Ecclesia, quæ jam vetustate fatiscebat, angustior esset, anno 1701. de ampliori Templo ædificando consultum est.

Ecclesiæ latiori spatio dilatandæ, atque Ædium comparandarum facultatem, supralaudato Joanne Baptista Cornelio in primis adnitente, Senatus indulsit, anno 1701. die III. Martii, qui & in sacri ædificii subsidium ex publico ærario aliquam pecuniæ summam erogari præcepit. Operis initia rite disposuit Joannes Baduarius Patriarcha Venetiarum primum lapidem rite benedictum in fundamentis injiciens; cui incisa fuit hæc epigraphes.

D. O. M.

„ Beatæ Mariæ Virgini Consolationis, ac Beato Philippo
„ Nerio excitatum Templum Clemente XI. Pontifice Max.
„ Aloysio Mocenico Duce, Joanne Baduario Patriarcha MDCCV.
„ Nonis Augusti.

Opus cui per decennium artifices plurimi insudarunt magnificum prodiit anno MDCCXV. cujus anni die 11. Decemb. novam Ecclesiam Dominicus Sanzonius Congregationis Sacerdos (facultatem concedente Petro Barbadico Patriarcha) solemni ritu benedixit, moxque salutarem hostiam inter frequentis populi plausus pro gratiarum actione litavit. Die Nona ejus-

ejusdem Decembris, ut Divinis officiis in veteri Ecclesia finis imponeretur, in novissima Missa quicquid de Eucharistico pane residuum erat consumpsit Christophorus Savoldellus ejusdem Congregationis Presbyter iisdem fere temporis momentis quibus in novo Templo Petrus Sanzonius ex ipsa Congregatione sacrificium offerens sacramentum Dominici Corporis ibidem asservandi confecerat; quo etiam die ex vetusta Æde, quæ, ubi modo area patens extat, sita erat, ad novum Templum prodigiosa Deiparæ imago cum magna populi frequentia comitante deducitur. Solemnes inde sequenti die largitori bonorum omnium gratiæ actæ sunt, cujus benignitate tantum opus magnis sumptibus confectum fuerat.

Ut autem tantæ ædis magnificentiæ interna quoque ornamenta ex æquo responderent, sex paris structuræ altaria ex Ligustico marmore hinc inde disposita extruuntur, pavimentum ex varie coloratis lapidibus sternitur, atque ornatissimum Divino Eucharistiæ Sacramento asservando Tabernaculum ex Smaragdino, & Orientali Cœruleo, ut vocant *Lapislazulo* pretiosis lapidibus erigitur. Præcipuum tamen decorem ex sacris Divorum lipsanis Ecclesia percipit: etenim Sanctorum Martyrum tum plurima Ossa, tum octo integra corpora in ea asservantur. Horum sex sub adscitis Gaudentii, Clementis, Justini Eugenii, Deodati, & Faustini nominibus; duo vero, unum viri proprio Felicis nomine insignitum, alterum pueri proprio itidem nomine Philippi connotatum e sacris Romæ Cœmeteriis effossa Venetias translata sunt.

Vetustam ædem sacro thesauro ditaverat Regina Justiniano, Laurentii Mauroceni Equitis Nobilissima Vidua, *planta* scilicet *pedis carne circumdata Beatissimi Christi Martyris S. Mamantis Cæsareæ Capadociæ sub Alexandro Præside imperante Aureliano necati; cujus festum sub die* XVII. *Augusti in Martyrologio Romano, in Græco Menologio* IV. *Nonas Septembris celebratur.* Hanc *sanctissimam Reliquiam* Franciscus *Maurocenus* postea Dux Venetiarum *cum in Regno Cretæ pro Veneta Republica supremi Generalatus munere fungeretur, pietatis ergo, ne in Barbarorum potestatem deveniret* Venetias asportavit, atque anno MDCXC. die XXIV. Junii supralaudatæ piissimæ matronæ olim Fratris sui uxori elargitus est (E); de cujus deinde munere ad Veneti Oratorii Congregationem delata Joannis Baduarii Patriarchæ

Ve-

Venetiarum authoritate approbata fuit die v. Octobris ejusdem anni. Alterum quoque munus idque *pretiosissimum*, *&* *infiniti valoris* addidit ornatissima Vidua; *duo* enim *frustula de vivifica Cruce Domini Nostri Jesu Christi*, *vera adeo probataque*, *ut si flammis immergantur candorem utique inde ferant sine combustione*, atque *aliquos Capillos de pulchra*, *&* *benedicta Cæsarie Immaculatæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ*, quæ sacra pignora de liberali Francisci Ducis supralaudati donatione sibi provenerant (F) Veneti Oratorii presbyteris dono dedit; eaque ut publicæ venerationi exponerentur supralaudatus Joannes Baduarius Patriarcha concessit die XIII. Maii anno MDLXXXXIII. Illustris Matronæ pietatem æmulatus Franciscus Maurocenus Dux *unam de Sanctissimis Spinis Domini Nostri Jesu Christi*, *quam in fatali Cretensis regni oppugnatione*, *ubi tunc pro Veneta Republica supremi Generalatus vices agebat*, *ne in Barbarorum manus deveniret*, *ereptam* Venetias, ut *publicæ adorationi* exhiberetur, attulerat, *Dilectis Sacerdotibus Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii pietate*, *&* *exemplaritate claris* donare decrevit, *ut in sua Ecclesia qua majori valerent reverentia ac splendore* (prout *ex eorum religione sibi promittebat*) *in futurum* servarent, *statisque congrue diebus in honorem Salvatoris Nostri Christi suorumque fidelium spiritualem utilitatem publice colendam*, *&* *venerandam exponerent*. Amplissima Principis Viri donatio peracta fuit die XXIV. Aprilis 1693. atque die XXIV. Septembris ejusdem anni sacra reliquia Patriarchali authoritate publico honoranda cultu approbatur (G).

In eo itaque studio, ut dictum est, Oratorii Sacerdotes totis viribus enixi fuerant, ut Divinis officiis peragendis, sacrisque concionibus audiendis aptiorem locum erigerent; qua de causa, quæ ad vitæ commodum opportuna erant negligentes, usque ad sæculi XVIII. primordia in obscuris domunculis degerunt loci angustia, & rerum inopia adeo arctati, ut uni eorum Bartholomæo Gritti dum Præpositi munere fungeretur angulus pro cubiculo, storea pro pariete deserviret. Aspera tamen vitæ incommoda, ut hilariter sustinerent, faciebat ea, qua ad Sancti parentis exemplum præditi erant insuperabilis charitatis patientia; attamen ut in laborum partem adsciscerentur ii, qui novo instituto aggregari magno animi fervore deposcebant,

bant, visum est ad ædes quoque privatas aliquo modo excitandas animum adjicere; cum vero ad tantum opus non modo perficiendum, sed & inchoandum opus esset præsenti pecunia, Divina dispositione factum est, ut & quidam proceres viri ad necessarios sumptus eleemosinas erogarent, & duo optimi juvenes Georgius, & Christophorus Fratres Savoldelli, qui institutum Divi Philippi ab infantia dilexerant, eidem nomen darent, & meliorem patrimonii sui partem in religiosi ædificii impensam insumerent. Paterna hæc Dei providentia viris pecuniæ inopia laborantibus animos, & securitatem adjecit, ut inchoatum opus prosequerentur, quod tandem perfectum est non augustum quidem, sed tum animorum moderationi, tum instituti usibus opportunum; siquidem laxioribus spatiis Oratorium, & Bibliotecham extruentes, quod reliqum fuit loci arctis cubiculis assignarunt. Nec tamen tenui hoc vitæ commodo, aut mortificationis studium, aut fervens charitatis ardor deferbuit, siquidem virtutum exercitia, & alienæ salutis zelus, in eo fervoris spiritu adhuc perseverant, quem ab ornatissimis fundatoribus acceperunt.

Series Præpositorum Congregationis Oratorii Venetiarum, quorum regimen triennale est.

1663. Hermanus Stroiffi Patavinus Congregationem rexit usque ad annum 1675. Iterum electus anno 1685. perseveravit in munere usque ad ejus emortualem annum 1693. Is, quem Veneta Oratorii Congregatio Fundatorem, & Patrem agnoscit, Patavii ortus a primis adolescentiæ suæ annis Venetiis Pictoriæ arti Bernardo Strozzio Presbytero Januense Magistro operam dedit. Liberalis hujus artis studio eximiam pietatem conjungens in Christianæ virtutis exercitiis adeo excelluit, ut Gasparis Columbini Patavinæ Congregationis Oratorii Presbyteri, quem sibi rerum spiritualium ducem, ac moderatorem elegerat, hortatu Clericali militiæ nomen dederit, atque trigesimum ætatis annum agens de amplexando Divi Philippi Nerii instituto serio cogitaverit. Igitur dum de loco eligen-

gendo deliberat, Divina dispositione ad ponenda in Veneta Urbe novæ Congregationis initia excitatum se sensit. Hoc ut præstaret facilius in gloriosi operis socium, & adjutorem Joannem Baptistam Bedetti e S. Marini oppido piissimum sacerdotem assumpsit. Eo in proposito se se invicem confirmantes cum apud S. Gregorii Ecclesiam Oratorio sæcularium virorum diu præfuissent anno *1658.* Patavium se contulerunt, ut in ea urbe studiorum sede Hermanus doctrinæ subsidiis, & sacrarum litterarum cognitione ad animarum lucra se se efformaret. Venetias inde reversi Augustinum Nanium Senatorem amplissimum a sæculi fastu ad Sacerdotium primo, mox ad ejusdem propositi communionem evocarunt. Hosce igitur socios Dei beneficio nactus Hermanus cum de obtinenda Divi Gregorii Abbatia plurimæ in dies oborirentur difficultates, Divino instinctu factum est, ut angustum Beatæ Mariæ de Consolatione Sacellum peterent, & obtinerent. Ad illud igitur traducti cum vicinas ædes non sine gravi labore, gravique impensa proprii juris fecissent, Congregationis Præpositum Hermanum quem veluti Patrem venerabantur unanimes declararunt anno *1663.* quo munere per plures annos cum magna pietatis, & prudentiæ laude perfunctus sanctissime obiit die IV. Julii anno *1693.* ætatis suæ annorum *77.* De eo fusius Joannes Marcianus Cong. Oratorii Neapolitani Presb. in libro cui titulus *Memorie Historiche della Congregazione dell' Oratorio* Tom. V. pag. 158.

1676. Joannes Baptista Bedetti egregia charitate in Deum, & homines flagrantissimus omne studium, omnesque labores in proximorum salute procuranda conferebat, unde & quamplurimos pietate præstantes viros in Christiana perfectione erudivit. Satanæ insidiis impetitus, plurima propter justitiam, & dilatandæ fidei ardorem constanti animo toleravit, ac tandem cum Mantuanam, & Senogalliensem Oratorii Congregationes, illam opera, hanc vero consilio egregie instituisset Fabriani ubi fortuito adventarat anno *1697.* die

XIII. Decembris evolavit ad superos. De eo Marcianus Tom. V. pag. 369.

1679. Bartholomeus Gritti morum suavitate, & prudentia clarus. Iterum anno 1682. 1694. 1697. 1700. 1703. 1706. 1711. 1714. Octuagenarius obiit in munere die ultima Decemb. 1716.

1708. Jacobus Poloni. Obiit V. Augusti 1714.

1717. Reginaldus, seu Rinaldus Bellini. Ut earum mulierum, quas ab impuræ vitæ cœno ad pœnitentiam revocaverat, saluti consuleret, magnum, & laudatissimum opus aggressus est, Conservatorium nempe quo Pœnitentes reciperentur fundavit, jam nostris hisce diebus Divinæ largitatis bonitate, & ædificiis, & redditibus copiose instructum. Ob. 30. Novemb. 1724.

1720. Joannes Baptista Ferro probitate non minus quam Sacrorum Canonum peritia clarissimus. Iterum 1723. Ob. die VIII. Maii anno 1730.

1726. Galeatius Antelmi.

1729. Christophorus Savoldellus. Iterum 1732. 1735. 1738. 1744.

1741. Franciscus Sugana Tarvisinus.

1747. Georgius Donato.

1750. Joseph Barra.



Joan-

Joannes Trivisanus Patriarcha Venetiarum indulget, ut in Ecclesia Sanctæ Mariæ Consolationis conservetur Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum.

A.

1572. 1. Aprilis.

Ex Archivo Congregationis Oratorii Venetiarum.

JOannes Trivisanus J. U. D. Miseratione Divina Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas. Dilectis Nobilibus in Christo D. Presbytero Augustino Rivoaltella Capellano, nec non clarissimis, & spectabilibus Dominis Procuratoribus Ecclesiæ, seu Capellæ S. Mariæ Consolationis Salutem in eo qui est omnium vera salus. Exigit illa sincera fervensque devotio, quam ad Sanctam Catholicam, & Apostolicam fertis Ecclesiam, ut petitiones vestras illas præsertim per quas ad Dei laudem, & gloriam, & jam propagata animarum salute, divini cultus speratur augmentum, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Cum itaque sicut nobis exposuistis cooperante Spiritu Sancto divino amore, & charitate repleti Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, in Ecclesia, seu Capella prædicta conservare desideratis, & a nobis humiliter supplicastis, ut vobis in præmissis licentiam, & facultatem, sine tamen præjudicio jurium Parochialium Ecclesiæ S. Leonis Venetiarum sub qua reperitur constructa dicta Capella concedere dignaremur. Nos igitur attendentes quod in iis quæ animarum profectum, & salutem redundare noscuntur favorabiles esse debemus, & nolentes præterea alicui præjudicium inferre, ad præsentiam nostram vocari fecimus D. Presbyterum Marcum Bettega Plebanum, & alios titulatos parochialis Ecclesiæ prædictæ S. Leonis, a quibus, de, & super concernentibus sua, & Parochiæ prædictæ jura, & consuetudines informationem summariam accepimus. Vestris ideo in hac parte supplicationibus inclinati Vobis Dom. Capellano, & Cl. Dominis Procuratoribus, ut libere, & licite possitis, & valeatis prælibatum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, pro adoratione Christifidelium tantum, & non ad effectum illud alicui personæ præbendi, aut aliquas processiones faciendi cum ipso Sacramento, nec etiam in die Corporis Domini Nostri Jesu Christi, & sine prejuditio jurium, & consuetudinum hactenus observatarum, tam Parochialis Ecclesiæ prædictæ S. Leonis quam dictæ Capellæ nolumus, nec intendimus in aliquo derogare. In Capella seu Ecclesia prædicta conservare in loco honorificentissimo ad tanti muneris laudem, & venerationem per vos, & successores vestros, nunc & in futurum visitando auctoritate nostra ordinaria & Patriarchali qua fungimur in hac parte licentiam tenore presentium concedimus & impartimur. In quorum fidem &c.

Datum Venetiis in Patriarchali nostro Palatio apud S. Petrum de Castello die prima mensis Aprilis 1572.

Nomina vero Dominorum Procuratorum Capellæ, seu Eccl. præfatæ sunt.

f. Marinus Venerius q. f. Jo: Antonii Equitis.
f. Petrus Lauretano q. f. Bernardi.
f. Petrus Antonius de Betenis q. f. Joannis.
f. Marcus Molena q. f. Ambrosii.
f. Antonius..... q. Francisci.

Victor de Mapheis Cancell. &c.

Gregorius XV. concedit altare Privilegiatum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Consolationis.

B.

1621. 11. Octobris.

Ex Autographo in Archivo Congreg. Oratorii Venetiarum.

Gregorius Papa XV.

AD perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium Defunctorum animæ Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur Ecclesiam Beatæ Mariæ Consolationis de fava nuncupatam Venetiarum simili hucusque Privilegio, ut accepimus, minime decoratam, dummodo in ea decem ad minus Sacerdotes existant, & in ea sit Altare Beatæ Mariæ Virginis, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Ut quandocunque Sacerdos aliquis ejusdem Ecclesiæ dumtaxat Missam defunctorum in die commemorationis defunctorum, & singulis diebus infra illius octavam, ac secunda, quarta, & sexta feriis, cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuscunque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad prædictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffagii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, Presentibus ad septennium tantum valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die undecima Octob. 1621. Pontificatus nostri anno primo.

Gregorius XV. plenariam criminum remissionem indulget visitantibus Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Consolatione Venetiarum die XI. Julii.


1622. 22. Aprilis.

Ex Autographo in Archivo Congreg. Oratorii Venetiarum.

Gregorius Papa XV.

UNiversis Christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ad augendum fidelium religionem, & animarum salu-

salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere penitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis qui Ecclesiam Beatæ Mariæ de fava nuncupatam Venetiarum Die secundo visitationis ejusdem Beatæ Mariæ a primis Vesperis usque ad Occasum Solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia Heresum exstirpatione, & S. Matris Ecclesie exaltatione pias ad Deum preces effunderint. Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero, qui Litanias singulis Sabbathis in dicta Ecclesia decantandis interfuerint, & ut prefertur oraverint, quo die prefatorum id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pænitentiis in forma Ecclesie consueta relaxamus præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuo, vel ad tempus, nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda Aprilis 1622.



Joannes Franciscus Maurocenus Patriarcha Venetiarum facultatem concedit instituendi in Urbe Veneta Congregationem Oratorii sub instituto Divi Philippi Nerii.

C.

1663. I. Martii.

Ex Archivo Venetæ Congregationis Oratorii.

Die Prima Martii 1663.

Venetiis in Palatio Patriarchali.

Coram Illustrissimo, & Reverendissimo D.D. Joanne Francisco Mauroceno Miseratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primate &c. Comparuit Rev. Presb. Hermannus Stroiffi Venetus, agens tam nomine suo, quam etiam R.R. D.D. Augustini Nani, & Joannis Baptistæ Bedetti, & actualiter, humiliterque porrexit, & presentavit scripturam supplicationis, & instantiæ de erigendo in Ecclesia S. Mariæ Consolationis dicta della Fava in confinio S. Leonis Papæ, ac fundando piam Congregationem Sacerdotum, & Clericorum sæcularium, juxta Instituta S. Philippi Nerii supplicans instans, & petens in omnibus, & per omnia juxta tenorem, & continentiam ejusdem scripturæ supplicationis &c. & ita &c. omni meliori modo &c.

Tenor Supplicationis.

Illustriss. e Reverendissimo Sig. Sig. e Patron Colendiss.

Desiderando io D. Hermano Stroiffi, insieme con li RR. DD. Agostino Nani, e Gio: Battista Bedetti, che nella Chiesa di S. Maria di Consolatione detta della Fava di questa Città di Venezia a Gloria del Signor Iddio, e salu-

salute delle anime sia canonicamente instituita la pia Congregatione de' Preti, e Chierici Secolari, secondo l'instituto di S. Filippo Nerio Fondatore di detta Congregazione in S. Maria in Vallicella di Roma acciò tanto da noi sudetti, come da altri, quali tocchi da buon spirito voranno intrare in detta Congregazione si possi con la frequente amministrazione de Santissimi Sacramenti, sermoni, & altri esercitii pii conforme alle Regole stampate della detta Congregatione di Roma andar facendo profitto nella via dello Spirito, nel modo che si fa ivi in Roma, in Brescia, Padova, & altrove; Per tanto supplico io sudetto per nome anco de tutti li altri sopranominati, che V. S. Illust. e Reverendiss. si degni con l'autorità sua ordinaria ergere, & fondare in detta Chiesa la sudetta Congregazione per la totale, perfetta, stabile, e perpetua erezione, e fondazione di essa Congregatione, che sia ad honore, e gloria di S. D. M. & ajuto dell' Anime.

Qui quidem Illustrissimus, & Reverendissimus D. Patriarcha &c. Supplicationis scriptura recepta Visaque, & illius tenore intellecto considerata instantia sibi in ipsa facta de erigendo scilicet, & fundando Congregationem Sacerdotum, & Clericorum sæcularium ut supra juxta instituta S. Philippi Nerii ad effectum, & prout in ea; Habitaque super negotio hujusmodi matura consideratione quoniam sibi, utique constitit, Quod si pia Congregatio hujusmodi in hac Civitate erigatur ac fundetur, valde utilis futura erit pro animarum salute causa frequentis Sacramentorum administrationis sermonum, ac aliorum piorum exercitiorum, prout habetur in Regulis impressis dictæ Congregationis alias a dicto S. Philippo Romæ institutæ, ac fundatæ. His igitur de causis, & aliis ac rationabilibus animum Amplitudinis suæ Illustriss. & Reverendissimæ æque moventibus.

Domini Nostri Jesu Christi Nomine humiliter invocato, a quo bona cuncta procedunt Congregationem predictam Sacerdotum, & Clericorum Sæcularium juxta Instituta S. Philippi Nerii illius Romæ Fundatoris in Ecclesia S. Mariæ de Vallicella erigendam, & fundandam esse duxit, prout ordinaria sua auctoritate erexit, & fundavit, ac erigit, & fundat, erectamque, & fundatam esse vult in Ecclesia supradicta S. Mariæ Consolationis dicta della Fava hujus civitatis, juxta tenorem dictæ supplicationis, & prout in scriptura ipsa, & ita &c. non solum &c. sed & omni alio meliori modo &c.

L. S. (Jo: F. Patr. Aff.

Andreas de Episcopis Protonotarius Apostolicus
Cancell. S. Juc. & Path. Venet. &c.



Cle-

Clemens X. Venetam Congregationem Oratorii Sancti Philippi Nerii confirmat.

D.

1674. 21. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Congreg. Oratorii Venetiarum.

CLEMENS PAPA X.

AD perpetuam rei memoriam. Ex quo Divina Majestas, ad Pastoralis Officii fastigium Nos, quamquam immeritos, evexit, illud quantum in nobis fuit superno auxilio freti, conati sumus, ut Divinus Cultus, & Catholicæ Fidei propagatio, & animarum Salus opportunis mediis augeretur; & propterea Clericorum Congregationes id operari cupientes intentis studiis promovemus, & instituimus, favoribusque, & gratiis prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque sicut accepimus in Ecclesia S. MARIÆ, de Consolatione nuncupata, Civitatis Venetiarum; Congregatio Clericorum Sæcularium Oratorii S. PHILIPPI NERII, auctoritate ordinaria erecta, & instituta sit, iidemque Clerici, Sacerdotes Christifidelium Confessiones audire, Ecclesiæ Sacramenta administrare, exhortationes ad Populum habere, infirmos visitare, ac alia pietatis, & charitatis opera, non sine notabili piarum animarum spirituali consolatione, Divinique Cultus augumento, juxta pium eorum Institutum exercere cupiant, & de presenti exerceant. Pro erectionis autem, & institutionis hujusmodi subsistentia, & validitate plurimum cupiant illas Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri; Nos Presbyteros, & Clericos præfatos, ut ad pia, & sacra opera hujusmodi exercenda Promptiores reddantur, ac fructus, quos in Vinea Domini plurimos hactenus Domino obtulerunt, eosdem uberius in posterum afferant, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pænis, a jure, vel ab homine, quavis ocasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, erectionem, & institutionem præfatas, quatenus illæ canonice factæ fuerint, Apostolica auctoritate, tenore presentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; ac nichilominus in eadem Civitate unam præfatorum Presbyterorum, & Clericorum sæcularium in illam pro tempore residere volentium Congregationem, ad instar Congregationis Oratorii hujusmodi in Ecclesia S. Mariæ in Vallicella, & Gregorii de Urbe, dudum Apostolica auctoritate erectæ; dummodo tamen Presbyteri, & Clerici hujusmodi ordinationes, & instituta Domus dictæ Congregationis Oratorii, alias a fel. record. Paulo Papa V. Prædecessore nostro confirmata receperint, & illa pro viribus observare intendant, auctoritate, ac tenore similibus etiam perpetuo erigimus, & instituimus. Ac nunc, & pro tempore existentibus Præposito, & Presbyteris, ac aliis ejusdem Congregationis, sic de novo erectæ, qui ab Ordina-

nario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium, quocumque anni tempore audire, ac illis debita pænitentia pro modo culpæ injuncta, ac aliis, quæ injungenda fuerint, injunctis, absolutionem impendere salutarem possint, ac valeant. Sacerdotes vero in eadem Congregatione recepti, Parochis, eorumve jurisditioni minime subjaceant, & sibi ipsis ad invicem quæcumque Sacramenta Ecclesiastica, quovis etiam Paschatis Resurrectionis Dominicæ tempore, vice, & loco Parochi ministrare. Superiores autem Congregationis per præsentes erectæ, per se, vel alium, seu alios ex ipsis jam approbatis, suos subditos a censuris, non tamen in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, neque in literis die Cænæ Domini legi solitis contentis, absolvere; illisque debitam pænitentiam similiter injungere, iidemque Superiores, receptos inobbedientes, & ipsius Congregationis constitutionum transgressores punire, & pænitentia pro modo culpæ eorum arbitrio, servata tamen forma ordinationum, ac institutionum, hujusmodi afficere, ac si sibi videbitur cum consensu majoris partis dictæ Congregationis, culpabiles eiicere, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, libere, & licite similiter possint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis, concedimus, & indulgemus. Ac demum, quod Congregatio per præsentes erecta, sit, & perpetuo remaneat subjecta omnimodæ jurisdictioni Patriarchæ Venetiarum pro tempore existentis; Qui tamen ordinationes, & instituta præfata, nullo modo mutare, aut alterare possit, similiter perpetuo statuimus, & ordinamus. Decernentes præsentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortire, & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari; & ita per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, judicari, ac definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac insuper, ut Ecclesia Congregationis sic erectæ in majori veneratione habeatur, & ab ipsis Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, aliique Presbyteri ad Congregationem per præsentes erectam ingrediendam magis incitentur; omnibus, & singulis Presbyteris, qui eamdem Congregationem de cetero ingredientur, die prima eorum ingressus, si vere pænitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam; Ac ipsis nunc, & pro tempore, existentibus Presbyteris, & aliis Conviventibus ejusdem Congregationis in eorum mortis articulo, nomen Jesu, corde, si ore nequiverint, devote invocantibus, etiam Plenariam; nec non tam illis, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui ejusdem Congregationis per præsentes erectæ Ecclesiam, die Festo Visitationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem etiam perpetuo concedimus, & elargimur. Hec non tam Presbyteris, & aliis ejusdem Congregationis quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus, iisdem exhortationibus interessentibus, decem annos, Et qui Ecclesiam dictæ Congregationis, in S. Mariæ Magdalenæ, ac SS. Laurentii, Francisci de Sales, ac Rochi, festis diebus a primis Vesperis, usque ad occasum Solis Festorum hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi, ut præfertur, oraverint, septem annos, & totidem quadragenas. Eisdem vero Presbyteris, & aliis dictæ Congregationis quoties Divinis Officiis in sua Ecclesia, vel Oratorio more dictæ

ctæ Congregationis celebrantur, & Congregationibus publicis, vel privatis, & secretis, pro quocumque opere pio exercendo interfuerint; aut infirmos consolati fuerint; vel Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint; aut conscientiam suam, antequam cubitum eant, examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint; vel quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, tam pro animabus Presbyterorum, & aliorum dictæ Congregationis, quam aliorum in Christi charitate Defunctorum, recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad salutem sunt, docuerint; aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet præfatorum operum exercitio, sexaginta dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta, relaxamus. Non obstante regula nostra, de gratiis ad instar non concedendis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Sinodalibus Conciliis editis generalibus constitutionibus, & ordinationibus, statutis, legibus, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie; ac alias in contrarium præmissarum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, vel individua; & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis, alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ firmatis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die XXI. Novembris M.D.C.L.X.X.IV. Pontificatus nostri anno quinto.

E.

FRanciscus Maurocenus Dei Gratia Dux Venetiarum. Cum in Regno Crete olim pro Serenissima Reipublica supremi Generalatus munere fungeremur, inter sanctorum reliquias, quæ pietatis ergo, ne in Barbarorum potestatem devenirent, illinc asportavimus fuit Planta pedis carne circumdata, Beatissimi Christi Martyris S. Mamantis, Cesareæ Cappadociæ sub Alexandro Præside, imperante Aureliano, necati; cujus Festum sub die XVII. Augusti in Martyrologio Romano, in Græco vero Menologio quarto nonas Septembris celebratur; prout ex scripturis sub die XXIV. Januarii stylo veteri 1668. (a) aliis-

(a) Ea die XXIV. Januarii anno 1668 Francisco Mauroceno tunc in Regno, & Urbe Cretæ supremo Imperatori (Capitano Generale) Reliquiam S. Mamantis Martyris dono dedit quidam Armeniæ minoris Catholicus Episcopus nomine Crucidatus, ejusque donationi subscripsit Gregorius Ciragusensis Smirnensis Ordinis Prædicatorum.

que annexis nobis bene visis. (a) Hanc autem Sacratissimam Reliquiam, quam primum velo serico coloris viridis involvi curavimus, & chordula serica ejusdem coloris obstringi, proprio sigillo septem in locis munita, mox ærea in capsula bombace intus posito includi, & tandem eadem chordula serica coloris viridis ab extra firmari, dicto nostro sigillo decem in locis superaddito. Hanc, inquam, Sacratissimam Reliquiam Nobili Mulieri Reginæ Justinianæ Maurocenæ, uxori quondam Nobilis Viri Fratris Nostri Laurentii Equitis Mauroceni piissimæ, & religiosissimæ Matronæ dono dedimus, cessimus, & consignavimus, ad hoc, ut habitis prius debitis, & necessariis licentiis, & servatis in similibus servandis, valeat & possit eam, vel penes se retinere, vel alteri donare, vel Ecclesiæ alicui exponere, ut publice a Fidelibus debito cultu adoretur. In quorum testimonium præsentes ex Nostra Cancellaria expediri, & Nostra manu subscriptas per nostrum infrascriptum Cancellarium contrasignari, & Nostri Ducalis sigilli jussimus appensione muniri.

Datæ in Nostro Ducali Palatio sub die XXIV. Mensis Junii Indictione XIII. MDCLXXXX.

(Franciscus Maurocenus Dux Venetiarum &c.

Alexander Contarini Canc. Duc.

(a) Annexa donationi fuit vita ejusdem Martyris præclarissimi apud Orientales nominis, quam fusius exaratam referunt eruditissimi Biographi Antuerpienses ad diem XVII. Augusti.



F.

Franciscus Mauroceno Dei gratia Dux Venetiarum &c. Omnibus quantum fieri potest, dilectionis, & æstimationis argumentis, pietatem, ac religionem Nobilissimæ Matrone Reginæ Justinianæ Maurocenæ Uxoris q. Nob. Viri Laurentii Fratris Nostri Equitis Mauroceni, prosequi, atque insignire volentes: Ipsam pretiosissimo dono decorare, & infiniti valoris thesauro locupletare decrevimus. Hic est ærea quædam capsula Pontificium Munus, Torcellano Antistiti Marco Justiniano primum, & ab eo deinde Nobis exhibitum: ubi asservantur inprimis de vivifica Cruce Domini Nostri Jesu Christi duo frustula, vera adeo, probataque, ut, si flammis immergantur, candorem utique inde ferant, secus combustionem (a): Post hæc, aliquot Capilli de pulchra, & benedicta Cæsarie Immaculatæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ. Est autem capsula, primo, & exteriori tegmine variecolorata charta cooperta, filoque serico purpureo, ac sigillo nostro per quatuor vices firmata: Deinde filo itidem coccineo, sexque aliis sigillis præfati Episcopi munita. Intus demum bombace mundo referta; cujus in medio condita sunt ex regia charta alba involucra duo ejusdem Præsulis sigillo unumquodque obsignatum. Quorum unum Crucem Dominicam claudit, alterum Virgineos Capillos. Hanc itaque pretiosissimam capsulam, prout sic bene stat, & jacet prædictæ Nob. Mulieri ultro concedimus libenter donamus, ac plene impertimur. Declarantes, ut & penes se retinere, & alteri cedere, nec non alicui Ecclesiæ ad publicum fidelium cultum (habita ordinarii licentia) largiri, pro sui prorsus libito possit, ac va-

(a) De prodigio hoc sæpius experientia probato testimonium perhibuit quidam ejusdem Congregationis Presbyter asserens se diversis utique temporibus ter oculis vidisse sacra ipsa vivifici ligni frustula flammis injecta atrum colorem in purpureum mutasse, mox educta pristinam formam recepisse. Ita Marcianus Tom. V. pag. 366.

valeat. In quorum fidem præsentes per Cancellarium nostrum fieri mandavimus Sigillique Nostri Ducalis appensione muniri. Datum in nostro Ducali Palatio Die Secunda Martii Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio.

Francesco Moresini Doge di Venezia.

Alexander Contarini Canc. Duc.

G.

FRanciscus Mauroceno Dei gratia Dux Venet. &c. In fatali Cretensis Regni oppugnatione, ubi tunc pro Serenissima Republica supremi Generalatus Vices agebamus, ne sacræ Ecclesiarum Res in Barbarorum manus unquam devenirent, omnimodis, quantum fieri potuit, diligentia, & zelo curavimus. Et quidem præter cætera Icones aliquas antiquitate, signisque venerabiles, nec non pretiosiores quasdam Reliquias servare, Nobis divinitus datum est. Quas deinde huc Nobiscum allatas, ut in nobilioribus Urbis Basilicis religiose collocarentur, & publicæ adorationi exhiberentur, potissimum nostrum & studium, & gaudium fuit. Sed cum sola adhuc Nobis superfit una de Sanctissimis Spinis Domini Nostri Jesu Christi (hæc enim semper ut talis, usque ab immemorabili tempore habita est) Eam dilectis Sacerdotibus Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, pietate & exemplaritate claris, donare, & commendare decrevimus: ut in sua Ecclesia, qua majori valent reverentia, ac splendore, (prout fas est, & ex eorum religione Nobis promittimus) in futurum servent; statisque congrue diebus in honorem Salvatoris Nostri Christi, suorumque fidelium spiritualem utilitatem, publice colendam, & venerandam exponant. Inclusam autem ipsam largimur parvula Scattula, bombace mundo intus circumdatam, exteriusque vitta coccinea ligatam, nostroque sigillo quater firmatam. In quorum fidem & valorem præsentes per Cancellarium Nostrum fieri mandavimus, Sigillique Nostri Ducalis appensione muniri. Datum in Nostro Ducali Palatio die 28. Aprilis, Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio.

Francesco Moresini Doge di Venezia.

Augustinus Zenus Ducal. Canc.



DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI LEONIS IX. PAPÆ.

PRO Ecclesiæ suæ juribus tuendis adversus Gotebaldum Aquilejensem Patriarcham, Apostolicæ Sedis, quam tunc occupabat Sanctissimus Pontifex Leo hujus nominis nonus, authoritatem interpellavit Dominicus Patriarcha Gradensis, conquestus ab æmulo Antistite dignitatem suam titulosque turbari, quos semel atque iterum Pontificia Diplomata confirmaverant. Justas Patriarchæ querelas excepit Leo, atque in hujus causæ cognitione Synodum Romæ anno 1053. coactam versare, decrevit. Ad Concilii itaque judicium ex Apostolico mandato deducta quæstione Dominicus Gradensis immo *Novæ Aquilejæ Patriarcha* ad Synodum venit ibique *querimoniam de sua, & Forojuliensi Ecclesia lacrymabiliter coram fecit*. Oblatis itaque, & ad examen revocatis antiquis Pontificum Privilegiis, quibus Gradensis Patriarchatus dignitas, & possessio innitebantur, ex concordi Patrum consensu firmatum est, *ut nova Aquileja* (Gradus nempe Insula) *totius Venetiæ & Istriæ caput, & Metropolis perpetuo haberetur : Forojuliensis vero Antistes tantummodo finibus Longobardorum esset conten-*

ten-

tentus. Hæc ex supralaudati Leonis Papæ Epistola patent ad Episcopos Venetiæ, ac Istriæ data, quæ in Collectionibus Concil. num. 2. afferuntur. Non satis tamen hoc habuit Pontifex, qui in ipsa Synodo Dominico Patriarchæ Pallium tribuit, & ut Crucem ante se deferret concessit. Collatos Gradensi Antistiti honores recenset Dandulus lib. IX. cap. VII. part. XI. ubi & Sanctissimum Pontificem, ut Divi Marci Evangelistæ, quem singulari devotione prosequebatur, exuvias veneraretur, Venetias adventasse testatur: " Leo Papa in Synodo Dominico Patriar-
" chæ Pallium tribuit, & ut Crucem ante se deferret con-
" cessit, Patriarchalemque suam sedem approbavit, & Episco-
" pis Venetiæ, & Istriæ scripsit, ut huic Patriarchæ tanquam
" Primati suo obedientiam, & reverentiam exhibeant, cum
" Aquilegiensis Antistes his terminis debeat esse contentus,
" qui sunt in finibus Longobardorum juxta privilegium anti-
" quitus præfatis Ecclesiis concessum. Post hæc idem Ponti-
" fex ob singularem devotionem, quam ad Beatum Marcum
" gerebat, Venetias accedens, a Duce, & a Civibus reveren-
" ter suscipitur, & Ecclesiam intravit, & Evangelistæ oratio-
" nes, & laudes exolvit, & Ducatui, & huic Ecclesiæ, & aliis
" piis locis Indulgentias, & immunitates indulsit.

His itaque beneficiis, & eximiæ sanctitatis splendore Sanctus Vir Venetorum Civium amorem, atque admirationem sibi demeruit, quapropter cum non multis ab ejus felicissimo obitu transactis annis nova Venetiis extrueretur, seu potius reædificaretur Ecclesia, ipsius Sancti Leonis nomine, quod plurimis Deus illustraverat prodigiis, cum universo Urbis consensu visum est eandem nuncupare.

Ecclesiam hanc remotiori ævo ædificatam Divæ Catherinæ Virginis, & Martyris titulo fuisse insignitam antiqua refert ipsius traditio, quæ & multis comprobatur argumentis; siquidem tum in majoris aræ tabula, tum in organi pneumatici valvis Diva hæc Virgo simul cum Divo Pontifice Titulari depicta conspicitur, cujus quoque solemne Officium musicis notis expressum in vetustis chori codicibus exhibetur hymnis, & Antiphonis propriis concinnatum.

Ecclesiæ huic Divi Leonis alteram antiquissimam Sanctæ Crucis de Luprio fuisse subjectam autumant aliqui, eo quia ut ex Dan-

Dandulo colligitur, *Badoarius Ecclesiæ S. Leonis Vicarius, Joannes, & Petrus Badoario fratres, Deo, & Abbati Sanctæ Mariæ de Charitate Ordinis Cluniacensis Ecclesiam Sanctæ Crucis in Luprio pro Cœnobio construendo concesserunt*: Hæc Dandulus lib. IX. cap. XI. part. VIII. ad annum Septimum Ordelaphi Phaledro Ducis, qui fuit Christi 1109. Verum enim vero ad jura familiæ potius quam Ecclesiæ supralaudati Baduarii spectasse delubrum ex eo arguitur, quod donationis hujus participes nuncupantur ipsius Badoarii fratres Joannes, & Petrus, quorum progenitores ex insita pietate plurimas in urbe Veneta sacras Ædes extruxerant.

Temporum injuriis labefactata circa finem XV. sæculi pæne ex integro reædificata fuit, ad cujus ornatum in aræ majoris tabula Divos Leonem Pontificem, & Catherinam Jacobus Palma depinxit; Divum vero Jacobum Zebedei filium ad ejus altare Titianus expressit.

Super ostium quo ad aream patet aditus affixa est marmorea inscriptio consecrati Templi memoriam exhibens.

" D. O. M. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Lucas Stella
" Archiepiscopus Jadrensis Templum hoc Divo Leoni dica-
" tum consecravit. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Francisco
" Vendrameno S. R. E. Card. Patriarcha Ven. Dalmatiæq.
" Primate concedente. Reverend. Dominico Scroffa Ven. Ple-
" bano. Sereniss. Dom. Antonio Priulo Duce. Anno Salutis
" MDCXIX. x. Kal. Octobris.

Corpus Sanctæ Christi Martyris Faustinæ, atque alia Sanctorum lipsana decentibus inclusa loculis ad aras Ecclesiæ honorifice asservantur.



Ordo

Ordo Chronologicus Plebanorum Ecclesiæ S. Leonis IX. Papæ.

1108. Badoarius Vicarius Ecclesiæ Sancti Leonis. Ex Chron. Danduli.

1310. Marcus Ancini. Obiit exul ob conjurationem, cui assenserat, Bajamontis Theupuli.

1310. Rambaldinus de Rambaldis. Ex rog. Michaelis Blanco Presb. S. Marinæ, & Not.

1333. Constantinus Lauredanus. Ex schedis Cl. Viri Apostoli Zeno.

1338. Paulus Trivisano. Ex rogito Raphaini de Caresinis Notarii.

1357. Simeon Maurocenus Canonicus Tarvisinus, & Vicarius Generalis Nicolai Mauroceno Episcopi Castellani. Ex Ughell. Tom. v. col. 555. & ex Archivo Ecclesiæ S. Gervasii.

1381. Antonius Dalmarius Pleban. Sancti Leonis invenitur hoc anno in rog. Petri Zonello Plebani Sancti Martialis, & Aulæ Ducal. Cancell. his verbis: *De domo posita in confinio Sancti Simeonis Prophetæ, quæ fuit Venerabilis Viri Domini Antonii Dalmario Pleb. Sancti Leonis &c.* Quo autem anno Ecclesiam administraverit incompertum.

1382. Zanotus Roselli Notarius, Presbyter primum Ecclesiæ Sancti Joannis de Rivoalto, mox Plebanus Sancti Joannis Decolati, postremo Plebanus Sancti Leonis. Anno 1390. Test. condidit, in quo hæc inter cætera: *Et cum iturus sim Deo dante Nigropontum, in quo viagio meum deferro libros &c.* Obiit 1391.

1391. Pax Pace. Ex rog. Petri Zane Not.

1402. Fantinus de Bonovisinis. Ex rog. Antonii Spinelli Pleb. S. Joannis Decolati, & Not.

1410. Victor de Bonfantinis Not. Donati filius fuerat primum Capellanus Ecclesiæ Sancti Marci, & Capellanus Bajuli Veneti in Nigroponte, postea Plebanus San-

Sancti Leonis, Canonicus, & Vicarius Sancti Marci, & Archipresbyter Congregationis Sancti Pauli. Ex test. & rog. ipsius.

1433. Antonius Mileto Canonicus Castellanus. Pro Congregatione Sanctæ Mariæ Formosæ deputatus ad Concilium Basileense. Electus fuit postea Episcopus Mileti, ut ex Chronica Marini Sanuto col. 1034.

1438. Gaspar de Monterubino. Ex rog. Joannis Rizzo Pleb. S. Sophiæ, & Not.

1457. Franciscus Niger Commissarius Dominici Michaelis Patr. Gradensis. Canonicus Concordiensis interfuit electioni Antonii Phileti in Episcopum Concordiensem. Ex Archivo Ecclesiæ, & ex Actib. Capitularib. Ecclesiæ Concord.

1474. Natalis Columna Not. Ex rog. ipsius. Ob. anno 1502. De ejus electione legitur infrascriptum Decretum Veneti Senatus.

1474 die XIII. Februarii.

Quod scribatur S. Paulo Mauroceno Oratori ad Summum Pontificem.

Per obitum Plebani olim Sancti Leonis hujus nostræ Venetiarum Civitatis summo consensu omnium Parochianorum tam Nobilium, quam Popularium eidem Parochiæ designatus fuit eidem Ecclesiæ, & Parochiæ in demortui loco Plebanus Presbyter Natalis Colona, qui a Puero usque ad ætatem annorum circiter quinquaginta in ipsa Ecclesia cum supradictorum Parochianorum omnium summa gratia inservivit. Qui omnes proinde nobis supplicarunt, ut pro confirmatione ejusdem electionis ad Summum Pontificem scribere dignemur. Cupientes itaque his in rebus honestis eorum supplicationibus satisfacere, Mandamus vobis cum nostro Consilio Rogatorum, ut cum Summo Pontifice solita prudentia dexteritateque viam curare

rare debeatis. Quod hujusmodi electio per illius sanctitatem confirmetur, Ut in similibus casibus fieri semper consuetum est. De qua electione fides ampla sit per litteras Rever. Patriarchæ hujus nostræ Venetiarum Civitatis, quibus in conservatione hujus honestæ intentionis nostræ, & suprascriptorum Parochianorum uti poteritis, Quod eorum voti compotes fiant; Ut in Divinis Ceremoniis Ecclesiæque Sacramentorum ministratione Plebanum, & Sacerdotem gratum habeant pro salute Animarum eorumque.

Summæ eruditionis vir fecit postillas ad Venetorum statuta civilia; fuitque Archipresbyter Congregationis Sancti Salvatoris.

1503. Petrus Matthias. Ex rog. Petri Floriano.

1515. Franciscus de Julianis. Ob. 1534.

1534. Hieronymus Novello olim Pleb. S. Jo: in Oleo Canon. Ducal. Ob. 4. Novemb. 1540.

1540. Marinus a Melle Lucæ, & Bellæ filius. Ob. 27. Januarii 1547. ut ex ejus lapide Sepulcrali.

„ Ne Lucæ a Melle Viri integerrimi Ossa despecto in
„ loco jacerent pietas filiorum in Patrem optimum
„ hoc illi monumentum erexit, in quo & ipsi, &
„ mater dulcissima posterique ad diem supremum una
„ quiescerent. Obiit die VI. Augusti MDXXXII. Ma-
„ rinus Templi Antistes Parentibus ne soli cubarent
„ ex filiis primus jungi properavit die XXVII. Janua-
„ ri MDXLVII.

1547. 2. Februarii. Marcus Bettega Plebanus prius Sancti Bassi, Canonicus Sancti Marci, Vicarius Patriarch. atque Congregationis Sancti Salvatoris Archipresbyter. Obiit 29. Aug. 1579.

1579. Alexander Marcello. Obiit 1590.

1590. Sanctus Simonettus Canonicus primum Cathedr. Eccl. mox Ducal. Basilicæ.

1606. Joannes Baptista Panzato Canonicus Ducalis. Obiit 15. Octob. 1618.

1618. Dominicus Scroffa. Obiit 28. Octob. 1630.

1630. Joannes Baptista Vidali. Ob. 22. Febr. 1630. M. V.

1630. M. V. Antonius Riccius. Ob. 13. Decemb. 1649.


1649. Augustinus Roccatagliata. Obiit 25. Januar. *1656.* M. V.
1656. M. V. Benedictus Canalis. Obiit 22. Martii *1666.* ut ex ejus emortuali inscriptione.

Ossa sub hoc lapide jacent admodum Reverendi Benedicti Canalis hujus sancti Templi Plebani cujus anima post annos septuaginta eadem die qua S. Benedictus migravit in cælum Anno Domini MDCLXVI.

1666. 26. Martii. Petrus Bruseda. Ob. 11. Aprilis 1687.
1687. 15. Apr. Joannes de Mediis J. U. D. Ob. Kal. Januarii 1711. M. V.
1711. M. V. Joannes Baptista Rotta. Ob. 2. Aug. 1722.
1722. 5. Aug. Marcus Rossetti. Ob. 11. Febr. 1725. M. V.
1725. M. V. Simeon Piazola. Ob. 16. Febr. 1744. M. V.
1744. M. V. Clemens Petrobelli.



DE



DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTÆ MARINÆ VIRGINIS.

EX præclara S. Marinæ Virginis translatione nomen susceperit vetustissima Ecclesia, in qua venerandum ejus corpus e partibus Romaniæ deductum magna religione asservatur. Templum hoc remotiori ævo fundatum D. Liberalis Cannarum Episcopi, & Martyris, (addit Sansovinus & D. Alexii) nomine vocabatur., quod de susceptis S. Marinæ exuviis in ejusdem titulum populi religio mutavit.

Hujus illustris Virginis, & toto Oriente celeberrimæ sanctam vitæ conversationem, & eximiam patientiam nemo unus ignorat, digna propterea, ut a Romana Ecclesia ob invictam in tolerandis adversis animi constantiam, aliquando inter Martyres recenseatur. In Phœnicia Syriæ provincia ortum habuisse, & in monasterio Montis Libani, quod Chanubin dicitur, monachum sub virili habitu egisse, ibique post innumeras, quas ad miraculum fortiter sustinuit, tribulationes, & angustias sancto fine quievisse acta ejus testantur, quæ fuse descripta referunt Antuerpienses Biographi in ejus vita Tom. 4. Ju-

lii ad diem ejusdem mensis XVII. In eodem monasterio tumulum habuit intra ejusdem sacelli parietes, ubi etiam nunc Patriarchæ Maronitarum in tantæ Virginis reverentiam sibi sepulturæ locum delegerunt. Ibi per aliquot annos asservatum fuisse indubium est, donec ignoto tempore, sive ob Barbarorum excursiones, sive alia quacunque de causa in Romaniam Græci Imperii Provinciam delatum fuit, admirabili Numinis dispositione, quod dum eas regiones Barbaris devastandas desererat, ancillæ suæ corpus deducendum, ubi condigno honore coleretur, decrevit.

Hujus translationis tempus, & author alta oblivione delitescunt; autumant aliqui virum pium a Deo excitatum reliquias remotæ illius regionis circa octavum sæculum in Romaniam transtulisse, ne Saracenorum incursionibus violarentur; alii tradunt quamdam Orientis Imperatricem Marinam, seu Mariam nomine (quod idem est apud Græcos) corpus Divæ Virginis Marinæ e Monte Libano ad partes Romaniæ prope Urbem Regiam tranferri jussisse, idque evincere nituntur ex græca inscriptione, quæ thecæ argenteæ sinistram Virginis manum reservanti incisa est; *Hanc ad quærendam impulit me devotio, quærens inveni illam ex desiderio*. Utcumque res se habeat, hoc certum exploratumque est in aliquo Romaniæ loco, qui non longe Constantinopoli distat usque ad XIII. sæculi exordia Divæ Marinæ corpus fuisse servatum. Hoc omnes Venetarum rerum Chronologi unanimiter asserunt, & præcipue celeberrimus Dandulus, qui Virginei Corporis translationem hoc modo affert l. 10. c. 5. p. 3. "Extra „ Urbem Constantinopolitanam Joannes de Bora de quodam „ Monasterio pretio, & precibus inductis custodibus Corpus „ Beatæ Marinæ Virginis, quæ in Cœnobio Monachorum ac„ cusata de adulterio pœnitentiam egit, abstulit, & Venetiis „ in Ecclesia Sancti Liberalis nunc vocata ejus nomine col„ locavit.

Translatio porro hæc anno 1213. assignatur, quando Veneti, jam una cum Gallis Orientali Imperio magna ex parte potiti per quartam partem, & dimidiam Romaniæ dominabantur, qua temporis opportunitate usus Jacobus a Bora Venetus religionis studio excitatus in Romaniæ partes venit, ibique & pretio, & precibus sacri corporis thesaurum ab illius custo-

custodibus impetravit. Hoc autem contigit Petri Ziani Ducis anno IX. qui post Henrici Danduli obitum anno 1205. Ducalem dignitatem obtinuerat: ex quo corrigendi veniunt Petrus de Natalibus, & Maurolicus, & si qui alii translationem hanc Jacobi Theupoli Ducis tempore peractam fuisse affirment, qui anno 1229. Ducale fastigium ascendit.

Sacro pignore accepto Constantinopolim venit Jacobus, ut Venetias ex eo loco trajiceret, ibique paratam navem ascendit, quæ e littore vento secundo cum discessisset, post aliquam itineris partem felici cursu confectam, repente atra tempestate coorta, cæpit ventis, & fluctibus diu multumque agitari, nec ullo modo naufragium evasisset, nisi implorato per Jacobum Marinæ patrocinio præsentem ejus opem mirabili prorsus modo sensisset.

In patriam itaque ex periculosa navigatione reversus Jacobus, cum in Divi Liberalis confinio paternas Ædes haberet, sacrum thesaurum, quo dives erat, constituit in ipsius Ecclesia locare, quæ exinde (ut supra meminimus) unanimi populi voto cæpit S. Marinæ titulo nuncupari.

Nec defuere prodigia quæ gloriosæ Virginis merita contestarentur, præsertim in imminentis naufragii periculis, a quibus ejus, ope implorata, non semel erepti nautæ ad ejus sepulcrum gratias acturi accesserunt. Mirabilis quoque est ejus corporis conditio, quod post tot sæcula, si vultum excipias, reliquis in partibus mirabili incorruptione donatur.

Jacet venerandum corpus ad Aram Sacelli Majoris ea ipsa sindone involutum, qua Venetias allatum fuit, caput carne spoliatum est, a collo vero reliqua corporis membra carne, & pelle circumtecta conspiciuntur; cartilagines ac nervi per partes adhærent, ipse thorax, & venter illæsi sunt, & pelle cooperti; hinc credendum est, quod viscera, & intestina omnia adhuc contineant; brachia carne induta apparent, dexterum tamen a cubitu usque ad manum turgidum, & quasi inflatum videtur; dextera manus brachio juncta manet carne, pelle, & unguibus integris, sinistra a corpore separata est, de qua mox dicendum erit. Femora adeo carne repleta sunt, ut tumida, & rotunda appareant; genua quoque, ac poplites tibiæ, ac pedes ab omni corruptione immunes servantur. Pellis fulvum colorem refert, & carni tenaci-

naciter adhæret, pluribusque in locis mollem ac tractabilem se exhibet.

Sinistra, ut diximus, a corpore separata, pelle tamen, & carne ut reliquum corpus tecta non extenditur, sed pollice dempto, ac quatuor digitis a secundo articulo reflexis thecæ argenteæ inauratæ includitur, cui quidem thecæ duplex inscriptio græcis litteris incisa est, quas hic exhibendas censeo:

Inscriptio lateralis thecæ in qua manus S. Marinæ V. conservatur.

Ζητεῖσθε αὐτὰ τίνος ἡ χεὶρ τυδχάνει
Μάρτυρος ἥδε Μαρίνης τῆς αγίας
Ἧς τὸ κράτος ἔθλασε δρακόντον κάρας.
Αυτὴν με πρὸς ζήτησιν ὤτρυνε σχέσιε
Ζητῦσα τὺν ἔτυχον άντῆς ἐκ πόθυ
Γρὸς κόσμον ὗν ἔσπευσα τοὺ τῆς κοσμίας.

Quæ latine ita sonant:

„ Quærantur ista, cujus hæc manus sit,
„ Martyris ista Marinæ sanctæ
„ Cujus potentia fregit Draconum capita,
„ Hanc ad quærendum impulit me devotio
„ Quærens igitur, inveni illam ex desiderio
„ Ad ornatum igitur festinavi ornatæ ex se.

Inscriptio aversa ejusdem thecæ.

Μικρὸς μὲν ὗτος τῆ μεγάλη τυδχάνει
Ἇμως δ ἄ πειρος σὺν προαιρέσει πόθος
Τοίνον ἀμαραντινον ἄυθος ματρύρων
Ζάλης ρῦονμε τῶν νοντῶν πνευμάτων
Νίκην κάτ αὐτῶν καὶ κράτος ε παρέκοις
Ἀνάλογον νέμυσα τῆ σχέσει δόσιν.

„ Parvus quidem iste erga magnam est,
„ Attamen infinitus ob studium affectus.
„ Igitur non marcescens flos Martyrum,
„ Turbine libera me intellectualium spirituum;
„ Victoriam super ipsos, & robur præbe,
„ Proportionale impertiens devotioni donum.

Ita

Ita interpretatus est græcas inscriptiones Theodorus Damadenus Eques, & Comes S. Mariæ de Castro, atque Abbas S. Marthæ, qui pro summa qua Sanctam Virginem Marinam prosequebatur devotione, ipsius vitam quam Biologiam vocavit, latino sermone concinnavit anno 1676.

Pollex digitus sinistræ manus ad infimum articulum argento inclusus est, atque ex aliqua parte carne spoliatus conspicitur, cui apposita est græca inscriptio,

Λήψανον τῆς ἁγίας Μαρίνας.
„ Reliquiæ Sanctæ Marinæ.

Nec mirum videatur, si ex prima thecæ inscriptione titulum Martyris accipiat Marina, quæ utique obdormivit in pace; tali enim honore solent aliquando ab Ecclesia decorari ii, quos etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii acerbitate lenioris, sed diuturnitate molestioris claros, & invictæ patientiæ exemplar cæteris proponendum effecit. Quapropter, & in Martyrologio Romano ipsa Marina XIV. Kal. Julii, ut Martyr memoratur his verbis: *Alexandriæ passio S. Marinæ Virginis.*

Altare quo sacrum Virginis depositum clauditur, Patritiæ Gentis Bragadenæ expensis ornatissime elaboratum, selectisque marmoribus varie compactum, tria exhibet Divarum simulacra ex alabastro laudatissima, quorum quod eminet Virginem Titularem mediam inter Sanctas Catharinam, & Mariam Magdalenam egregio opere repræsentat.

Quamvis autem hujus Divæ obitus apud Græcos, & præcipue Syriacos die XVI. Augusti, apud Latinos vero die XVIII. Junii recolatur, attamen in ejus Ecclesia solemniori pompa recolitur die Translationis nempe XVII. Julii, qua ejus venerandum Corpus jampridem Venetias Kalendis Septembris anni præcedentis appulsum, ad tunc Divi Liberalis Ædem festiva supplicatione deductum fuit, quod & testatur Martyrologium Romanum XVI. *Kal. Augusti Translatio S. Marinæ Virginis.*

Solemnius ab anno 1512. viguit festum hoc, quando ipsa XVII. Julii die e fœderatorum Principum potestate inter Cameracensis belli angustias Patavium receptum fuit, quod utique Divinæ clementiæ beneficium Marinæ Virginis intercessioni Veneta pietas acceptum retulit, siquidem ex S. C. statutum

tum fuit, ut quotannis ipsa die recurrente Dux, & Senatus Sanctæ Marinæ Templum acturi gratias inviserent.

M. D. XII. *Die* xxv. *Junii. In Rogatis.*

Ostendit sæpius præteritis temporibus post Urbem hanc nostram conditam Omnipotens, & misericors Deus noster benignitatem, & clementiam suam erga nos, in protegenda Civitate, & Statu nostro ab imminentibus periculis; Sed sicut nullum fuit majus discrimen, aut formidolosius, quam postrema hæc omnium fere Christianorum in nos conspiratio, quod hostilis, atque armata progressio ita nullibi, & ullo unquam tempore ante hanc major fuit, aut expressior Divinæ protectionis, & liberationis demonstratio, quod quæ nuper visa est; In qua Deus ipse noster potentiam suam, ac pietatem nullis nostris præcedentibus meritis mirabiliter est operatus. Habendæ igitur ei sunt a nobis, & agendæ gratiæ, & tanti muneris memoria aliqua congrua, & solemni celebritate quotannis est recensenda: Fuit ille dies initium liberationis nostræ a conventu malignantium, & a furoribus inimicorum nostrorum, quo Civitas Paduæ non humana ope, aut consilio, sed divino auxilio fuit recuperata, fuitque ille dies, in quo S. Marinæ Virginis de Mense Julii festivitas colitur: In cujus etiam templo appensæ conspiciuntur claves, & sigilla Civitatis Paduæ sub sepulcro Serenifs. Dom. Michaelis Steni in monumentum primæ ipsius aquisitionis. Quamobrem

Vadit pars quod auctoritate hujus Consilii statutum firmiter sit, atque decretum, ut dicto die solemnia Beatæ Marinæ Virginis cum omni honore, & reverentia celebrentur. Sit sub gravissimis pœnis vetitum in tota Urbe aperire apothecas, aut elaborare, sive aliquid feriale agere; Serenissimus vero Princeps Noster comitatus Dominio, & Nobilibus, ut fit in solemnibus, præcedentibus vexillis, & insignibus proficiscatur mane ad visitationem Templi præfatæ B. Virginis; ibique audita decantatione horarum, ut in die Dominicæ Apostolorum servari solet in Ecclesia S. Geminiani, postmodum Serenitas Sua ad B. Marci Templum revertatur, ubi intersit celebrationi solemnis Missæ, & honorificæ ac ordinatæ supplicationi faciendæ a Scolis Verberatorum, & universo Clero juxta consuetum. Quæ supplicatio per ordinem procedat subsequenter ad visitationem

Tem-

Templi Sanctæ Marinæ : Et hæc omnia fiant cum omni honore, & devotione, ut divinum hoc tam præclarum Donum debita veneratione recolatur, atque ad posteros grata memoria transmittatur. Et hoc idem mandetur Paduæ quotannis cum omni diligentia die prædicta solemniter ab illis Rectoribus observari.

Viget adhuc in Ecclesia erga Divum Liberalem olim ejus Titularem devotio, cujus binæ costæ ad ejus Aram conditæ frequenti populorum Religione coluntur; ubi etiam Sanctorum Innocentium, aliorumque Divorum Reliquiæ loculis marmoreis inclusæ honorifice asservantur. Consecratio vero ejusdem Templi Kalendis Julii recolitur.

Ex adverso Aræ Principis marmoreo inclusus sepulcro jacet Michael Stenus Venetorum Dux LXII. ad cujus pedes conspiciuntur Patavii, Vincentiæ, & Veronæ Urbium claves in perpetuum monumentum appensæ, quod ejus Principatus tempore hæ Urbes in Venetæ Ditionis jura devenerint. Sepulcralis Epigraphes hæc habet.

„ Jacet in hoc tumulo Serenifs. Princeps, & D. D. Michael
„ Steno, olim Dux Venet. amicus justitiæ, pacis, & uber-
„ tatis. Anima cujus requiescat in Pace. Obiit MCCCCXIII.
„ D. XXVI. Decembris.

Nicolai Marcelli Venetiarum Ducis LXVIII. memoria nobili mausoleo decorata in majori sacello magnifice exurgit, cujus marmoreo simulacro medium locum habenti subjacet hæc inscriptio.

„ Nicolaus Marcellus Dux Clarissimus, justus, pacificus,
„ cunctis gratus, ubertatis annonæ ærario publico conserva-
„ tor, Cypro in potestatem recepto, Scodra acerrima Theu-
„ crorum obsidione liberata, curis R. P. anxius vivens, mo-
„ riensque in pauperes Piiss. animam Cælo, hic tradidit ossa.

Ob rem fortiter Patavii gestam Cameracensis belli tempore Thadeo Vulpio Equiti Imolensi & militum Præfecto Equestrem statuam in hoc Templo erigendam decrevit Senatus, ut in subjecta Epigraphe legitur.

„ Thadæo Vulpio Equiti Præfecto fortissimo, receptæ Urbis
„ Patavii, sacra Divæ Marinæ luce, authori prudentissimo,
„ Carniæ oræ propugnat. acerrimo, Exercitus Veneti ad Bono-

„ niam servatori præcipuo, Andreas Gritus Dux Senat. q. gra-
„ tiss. optime semper de Rep. Venet. merito moniment. ætern.
„ hac potissimum sede jure pos. vixit. an. LX. obiit.

Memorandus hoc loco venit Joannes Baptista Egnatius Vir doctissimus, & optime de litteris meritus Presbyter Titulatus hujus Ecclesiæ, in qua etiam sepulturæ demandatus fuit. Ejus vitæ notitias eruditissime conscripsit Joannes de Augustinis Ordinis Minorum de Observantia Venetiis typis editas anno 1745. apud Simonem Occhi.

Ordo Plebanorum Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Marinæ Virginis.

1244. Joannes Visinus. Ex Archivo Ecclesiæ.
1271. Jacobus de Canalibus. Ex Archivo Ecclesiæ.
1291. Romeus Diacon. & Pleb. S. Marinæ, & Not. Ex Catastico Eccl. S. Martini.
1310. Thomas Quirinus Canonicus Castellanus ob conjurationem Bajamontis Theupoli pulsus in exilium. Ex Chronica Marci Barbari lib. 3. pag. 351. ms. in qua dicitur filius Turni Quirini.
1320. Andreas Dotto Notarius, & Aulæ Ducal. Cancell. Ex rogitis ipsius.
1322. Michael Blancho Not. Ex rog. ipsius, in quibus anno 1323. 27. Maii 19. Septembris, & 19. Novembris in subscriptione, & in enunciatione se dicit Plebanum Sanctæ Marinæ; anno vero 1325. & 1331. se dicit Presbyterum Sanctæ Marinæ, tacito nomine Plebani.
1343. Andreas Notarius Testamentum condidit die 1. Maii 1345.
1348. Nicolaus Rosetti, vel Roselli Vicarius super Decimis, & Judex Delegatus. Ex rogitis Marini Plebani Sancti Gervasii.
1373. Nicoletus Pelegrinus. Ex rog. Joannis Rizzo Pleb. Sancti Eustachii.

1375.

1375. Petrus de Apollonio. Ex rog. Jo: Campioni Presb. S. Canciani, & Not.

1389. Nicolaus Felza olim Presbyter Sanctæ Mariæ Formosæ, deinde Plebanus Sanctæ Marinæ, & Archipresbyter Congregat. Sanctæ Mariæ Formosæ. Ex Arch. Patriarchali.

1424. Constantinus Fusco. Ex rog. Dominici de Guidonibus Not.

1438. Laurentius Latapanus. Ex rog. Pauli Benedicto Pleb. S. Mariæ Jubenico, & Not.

1471. Matthæus de Cayme de Clugia Canon. Clugiens. & Not. Ex rog. ejusdem.

1474. Marcus Tazza Canonicus Basilic. Ducal. plurimum laboravit pro ædificatione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Miraculorum, cujus fuit primus Rector, & Capellanus perpetuus. Ex Historia Monast. Sanctæ Mariæ Miraculorum.

1488. Lucas Gallus Canon. Castell. Obiit 1508. Ex Archivo Ecclesiæ.

1508. Georgius Lupato Canon. S. Marci. Ob. 9. Martii 1518. Ex Arch. Eccl.

1518. 26. Aprilis Franciscus Contareno Magnifici Petri Contareno filius. Obiit 24. Julii 1545. Ex ipsius Testamento.

1545. 4. Aug. Lucas de Fornasariis claudus. Hic fuit Prædicator eximius. Ob. 15. Julii 1564.

1564. 2. Aug. Sebastianus Polesinus. Ob. 10. Julii 1571.

1571. 27. Julii. Marcus Cinthius. Hic ortus fuit 1518. 26. Apr. qua die electus fuerat Pleb. Franciscus Contareno supradictus. Ornavit Fontem Baptismalem, ubi ejus effigies; & gesta Divæ Marinæ pictis tabulis exposuit. Ob. 31. Octob. 1583.

1583. 14. Novemb. Cæsar Turana ætat. annor. XXVIII. Canon. Ducal. & Archipresb. Congreg. S. Lucæ. Sermones spirituales composuit, quos citat Daniel Rosa in suo opere Testim. de B. Laurent. Justin. Bona sua in subsidium pauperum, & ad Ecclesiæ ornamentum legavit. Ob. 25. Novemb. 1628.

1628. 12. Decemb. Bartholomæus Bellarito pestifera lue correptus. Ob. 1630. M. V. 20. Januar.

1630. M. V. 1. Febr. Petrus Dentella. Ob. 14. Martii 1639.

1639. 20. Martii. Jo: Bapt. Bussi Archipresb. Congr. S. Lucæ. Ob. 18. Martii 1661.

1661. 23. Martii. Michael Florenus Canon. Castell. Sacrarium renovavit ubi ejus marmoreum simulacrum visitur. Ob. 18. Maii 1690.

1690. 23. Maii. Bartholomæus Ronconi. Ob. 1704. 18. Septembris.

1704. 21. Septemb. Jo: Baptista Janesi Dioecesf. Aquilejensis Altare S. Liberalis a fundamentis renovavit. Ob. die 1. Januar. 1727. M. V.

1727. M. V. 5. Januarii. Aloysius Comini J. U. D.



DE



DE
MONASTERIO
S. MARIÆ VIRGINIS MIRACULORUM.

PRODIGIORUM multitudo, quæ supplicum fidei per imaginem suam præstitit Virgo Deipara, Templo nomen indidit, quod eidem Virgini dedicatum passim ab omnibus *I Miracoli* nuncupatur. Ex Familia Veneta Amadi opibus, & honoribus præclarissima Franciscus Joannis filius Virgineam Mariæ imaginem filium Jesum brachio amplexantem depingi jussit, deque ejus veneratione sollicitus ipsam ligneo inclusam tabernaculo propinquæ domus, quæ de jure erat Patritiæ Familiæ Barotiæ, parieti viam publicam respicienti affixit, eo utique consilio, ut ex ejus aspectu ad cultum tantæ Dominæ transeuntes excitarentur.

Res cessit e voto, siquidem propinquæ ædis habitator Marcus de Rasti, lampade perpetuo ardente, cereisque in quolibet Sabbato accensis pietatis suæ testimonia primus omnium exhibuit, ejusque deinde exemplo abrepti, & adducti quamplurimi sacram effigiem præcipua religione venerari cæperunt. Hæc porro piorum devotio, quam Deo placuerit, miracula comprobarunt; siquidem anno 1480. quædam pia Vidua, quæ statutis

tutis quotidie ante ipsam imaginem precibus Virgineum patrocinium implorare consueverat, dum die 23. Augusti post Solis Occasum vehementius orat, a consanguineo de injustæ litis ab ipsomet intentatæ sententia sibi timente proditorio impetitur gladio, cujus iteratis ictibus semianimis cadens alta voce Mariæ nomen, & auxilium inclamat, ex quo languentis clamore suscitati vicinarum ædium incolæ, dum ad mulierem auxilium allaturi festinant, ipsam quam geminatis ferro vulneribus confossam audierant, salvam, & incolumem obstupuere.

Tanti fama prodigii per urbem vulgata, ingens confestim hominum concursus in virgineæ imaginis venerationem est factus, atque plurima quæ ad exorantium fidem subsequuta sunt signa Dei voluntatem de icone ad decentiorem locum transferenda non obscure significarunt. Multiplicato itaque prodigiorum numero, & hæreditaria in Virginem devotione excitatus Angelus Amadi supralaudati Francisci ex Fratre Nepos sacram imaginem lignei tabernaculi angustiis contineri ultra non sustinens, proximum domui suæ sacellum ex tabulis construi jussit in quo Virgineam effigiem ab antiqua statione noctu deductam decenter collocavit, cujus loci ut augeretur religio, facultatem ibidem salutarem hostiam offerendi a Patriarcha Venetiarum Maphæo Gerardi impetravit. Rem ægre tulit Ludovicus Barotius, qui cum in S. Moysis Parœcia paternas domos excoleret, de prodigiosa imagine in ejusdem Prophetæ Ecclesiam transferenda concilium inierat. Ea propter apud ipsum Patriarcham vehementius conquestus est, sacram imaginem a propriæ domus pariete se inscio furtim ereptam, atque alio deportatam fuisse, proindeque ejus justitiam obtestari, ut per ordinariam ipsius authoritatem ablata effigies pristino loco arbitrio suo transferenda reduceretur. Sub hæc audita prudens Episcopus, ne in re alieni juris inauditis partibus quidquam minus juste agere videretur, Marcum Tazzam Plebanum S. Marinæ, piique operis promotorem accersiri jussit, & ab eo seriem rei pro veritate cum excepisset, ex certis gentis Amadiæ juribus haud difficulter in eam sententiam adductus est, ut omnia ab Angelo usque adhuc peracta æqui bonique faceret, confirmaretque. Verum enim vero Barotius Patriarchali Decreto minime acquiescens postulatum suum ad supre-

pre-

premam Principis authoritatem adduxit. Deducta igitur ad Sexviros quos Consiliarios vocant quæstione, auditisque utriusque Familiæ oratoribus, venerandam Iconem gentis Amadiæ impensis depictam ad ipsam pleno jure pertinere declaratum est (A).

Gratiis igitur Deo primum actis, visum est piis clarissimisque Viris, quos superius laudatus Plebanus S. Marinæ ad sacrum promovendum opus procuratores instituerat, uti pro ædificanda ad Dei ejusque Virginis Matris gloriam Ecclesia res opportunas disponerent.

Die igitur vigesima octava Septembris superius enuntiati anni 1480. Angelus Amadi, cæterique Procuratores contiguas sacello domunculas pretio ex eleemosinis coacervato ad Templi erectionem necessarias coemerunt, quo negotio rite peracto ad Antistitem se se contulerunt exorantes, ut Pastorali benignitate facultatem novæ Ecclesiæ construendæ concedere dignaretur. Pia vota facilis excepit Patriarcha, atque optimos homines amplexatus collaudato ferventi ipsorum studio ad expetitæ facultatis concessionem pecuniam quoque eleemosinæ titulo libenter addidit, atque se Ecclesiæ primum lapidem in fundamentis injecturum fore promisit. Hoc idem summa cum urbis lætitia solemniter præstitit die octava subsequentis Decembris Immaculatæ Conceptioni Deiparæ Virginis sacra, cujus quoque intemerati mysterii titulo insignita postmodum fuit ipsa Ecclesia.

Ut autem ea quæ provido studio disposita erant majori firmitate solidarentur, optimum esse duxerunt Procuratores Ecclesiæ Pontificem Maximum Sixtum IV. enixe supplicibus libellis exorare, ut Beatæ Mariæ Virginis Ecclesiam Apostolico permissu ædificari concederet, atque ab omni subjectione exemptam in Beati Petri immediatam protectionem reciperet. Suscepta benigne per Pontificem supplicatione, cum jam ex fama ipsi prodigia innotuissent Deiparæ Virginis intercessione patrata, expetitam Ecclesiæ exemptionem liberaliter admodum tribuit, atque Pontificio Diplomate dato die III. Januarii anno millesimo quadringentesimo octuagesimo ipsam ab omni seu Parochiali, seu alieno jure immunem esse declaravit.

Sub hæc ferme decreta Procuratores operis unanimi voto

supra-

supralaudatum Marcum Tazza de religioso opere optime meritum in primum Templi Rectorem elegerunt, atque venerandam imaginem in ligneum facellum, quod in medio præsignatæ Ecclesiæ extructum fuerat, solemni pompa deduci curarunt.

His actis cum undequaque piorum largitiones ad tanti operis incrementum in dies affluerent, Templum magnificentissimum ad Petri Lombardi Archetypum erigere dispofuerunt. Deo itaque bene juvante septenni spatio Ecclesia ad sui perfectionem deducta est magnis quidem impensis, sed adeo eleganti structura, ut jure & merito post auream Divi Marci ædem, omnibus quæ in Veneta Urbe sunt opere, & materia præferendam censuerit Sabelicus in suo de Situ Urbis libro: *Exterior ejus facies* (Ughell. Ital. Sac. Tom. v. col. 1178.) *a summo ad imum Ligustico saxo, Istrico, & Benacensi interiectis est ceu tabulis contecta, a fronte Porphyrites, Spartanusque lapis.*

Januæ majori in exteriori parte superimpositum est Virginis simulacrum a Pirgotele sculptorum ætatis suæ facile Principe elaboratum.

Spectatissima sunt aræ majoris ornamenta, inter quæ Sancti Apostoli Petrus, & Paulus, pluresque Angeli ex ære ducti conspiciuntur.

Marmorei pueri miræ pulcritudinis media in parte eminentes sub organo pneumatico collocati Prasiteli tribuuntur Ravenna Venetias translati. Statuas, & ornamenta Sacelli ex pario marmore Tullium Lombardum elaborasse testantur Monasterii monumenta.

Sacratioribus etiam ditatur ornamentis, plurimis nempe Divorum lipsanis ad aras Divorum Francisci, & Claræ collocatis. Sacrum Corpus Martyris sub imposito Theodori nomine e Cryptis Romanis eductum sub ara Divi Antonii requiescit.

Interea dum Templum sollicito opere exurgit, optime factum visum est, si pro religione loci sacræ personæ advocarentur, quæ illud Divinis noctu, diuque frequentarent officiis. Quæsitum ergo cum fuisset, cujus sexus cujusve instituti ad id muneris seligerentur, Augustinus Superantio qui Fratri suo Marco nuper in Procuratoris officio successerat, Sanctimoniales Minoriticas ex Murianensi S. Claræ Asceterio deducendas proposuit, quod viri consilium tamquam a Numine afflatum

tum

tum sine controversia amplexandum omnes concorditer approbarunt. Ædibus itaque Ludovici Barotii, quæ primum sustinendæ imaginis honorem susceperant, numerata pecunia coemptis, Monasterium haud quidem amplum, usibus tamen pauperum Virginum satis idoneum extruitur, in quod anno 1489. die 31. Decembris duodecim sacræ Virgines e Seraphicis claustris acceptæ festivo apparatu, & mirabili totius Urbis lætitia inducuntur. Harum regimini una ex ipsarum numero Margarita nomine, morum, & prudentiæ laude conspicua sub Abbatissæ titulo præficitur; quibus actis supralaudatus Venetiarum Patriarcha Maphæus Gerardus ipsa eadem hora superveniens Ecclesiam primo solemni benedictione insignivit, gratiisque Deo de more actis Monasterium ingressus, dum ad Capitulum pervenisset, ibi Sanctimoniales in genua provolutas invenit, quarum Angelica modestia commotus Antistes, cum fletum cohibere vix posset, ipsas primum, indeque Monasterii loca Pastorali benedictione munivit.

Pronunciatis exinde Apostolicis Sixti IV. Epistolis, quibus construendi Monasterii, & in illud Sanctimoniales Ordinis Seraphici ex Monasterio S. Claræ Murianensis Insulæ deducendi facultas Patriarchæ Venetiarum tanquam Apostolico Commissario ad id specialiter Delegato committebatur (B); Præsul ipse supralaudatam Margaritam Asceterii Fundatricem, primamque omnium matrem, & Abbatissam pronuntiavit, & multa, qua erat facundia præditus, gravibus verbis eas adhortatus est, ut quemadmodum sæculi pompas per voluntariam inopiam, & corpus per virginitatem Christo dedicaverant, ita voluntatem ipsam, omnesque animi motus veluti gratissimas obedientiæ victimas cœlesti Sponso immolarent, qui se ad mortem usque Crucis perfectum Cœlesti Genitori pro ipsarum salute holocaustum obtulerat.

His ex Pastoralis officii munere dictis, & rite peractis, cum novæ Antistitæ in manus ipsius Monasterii claves resignasset, iterata Sanctimonialibus benedictione discessit.

Templum deinde die prima Septembris per Dionysium Ordinis Minorum alumnum Episcopum Millopolitanum Consecrationis sacrum munus accepisse refert marmorea epigraphe parieti ad lævam Aræ majoris apposita.

„ Domus Mea Domus Orationis. Omnis in ea qui petit ac-

„ cipit. Quam consecravit R. in Christo Pater & Dominus Frater Dionysius Græcus Ordinis Minorum Observantium Episcopus Millopolitanus die Prima Septembris.


Dionysius Græcus Ordinis Minorum Observantiæ Episcopus Millopolitanus, seu Millopotamensis, de quo Wadingus Tom. VIII. ad annum 1529. & Lequienius in Oriente Christ. Tom. III. obiit Venetiis in Parœcia S. Jo: in Bragora, sepultusque est in Claustro S. Francisci de Vinea.

Ad contestandam supralaudati Angeli Amadi pietatem libet hic metrum afferre ab ipso Angelo in Deiparæ Patronæ honorem, incondito quidem, sed devoto carmine concinnatum.

Regina Cæli, o Claustro intatto e puro,
Immaculata Virgo Virginorum,
Sole di questo Mondo tanto oscuro.
Sacra Maria, vera Mater Deorum
Miracolosa effigie a giorni nostri
E sempre fu in sæcula sæculorum.
Pregamo genuflesso, che ne mostri
Dell' errante camin salute e porto
Cantando sempre gli hinni, e salmi nostri.
Miserere di Noi che tanto torto
Habbiam commesso verso il tuo figliolo
Il qual per Noi fu flagellato e morto.
Questo cotanto luto pianto e dolo
Rasciuga madre con quel sacro velo
Nel qual fu involto el Dio del Mondo solo.
Questo è'l nostro desir, quest'è pur quello
Che ne trarrà di man dell' inimico
Satan che a noi e stà sempre ribello.
Perdona Madre al fal, che ancor replico
Nostro, e per noi innanzi Christo exora
Che ne perdoni el gran peccato antico.
Tu con tanti prodigii d' hor in hora
Salvi i languori nostri, salva noi
Salva l'anima ancor, che tanto plora.
Ricordati d' indegni servi tuoi
Che di quel angul trasse la tua Imago
La qual fu posta per gl' Antichi suoi.


Vedi

Tom. 3. pag. 267.



Vedì che gl' occhi suoi son fatti un lago
  Per tenera dolcezza e gran fervore
  Ch' el popol d' onorarti è tanto vago.
E corre da lontan dentro e di fuore
  Paralitici, ciechi, claudi, e muti,
  E chi per mar ha havuto gran terrore.
Tu Madre sani, e salvi gli fai tutti.
  Che poi dipinti in tuola, & statua eterna
  Offeriscon per grazia gran tributi.
Di quali con memoria sempiterna
  Fondano un Tempio ove de collocarsi
  Maria di questo Mondo gran lucerna.
E perchè in vano i prieghi non sien scarsi
  E intitolato questo dì la pura
  Concezion di cui debbia fidarsi.
La qual a ponto a ponto con misura
  A otto di Decembre si fa festa
  Sicome il concistoro già procura.
Maria cuoprine adunque di tua Vesta.

In fundamentis Ecclesiæ ipsum Angelum jecisse fertur æneum numisma effigiem ex una parte, ex altera vero gentilitium ipsius Angeli Stemma exhibens.



Consiliarii Venetiarum lata sententia statuunt Imaginem B. M. V. Miraculorum pertinere ad familiam Amadi.

A.

1480. 28. Septembris.

Ex Schedis N. V. Petri Gradonico de S. Justina.

1480. 28. Septembris.

CUM verteretur differentia inter Virum Nobilem Ludovicum Barotium ex una parte, & Parochianos S. Mariæ Novæ, & S. Marinæ præsertim illos de Chà Amadi ex altera, causa Imaginis, seu Anchonæ Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ erat in angulo callis illorum de Chà Amadi appensa, & adjacens partim muro illorum de Domo Mauroccena partim muro domus ipsius f. Ludovici Barocio, quia ipse f. Ludovicus dicebat Imaginem, seu Anchonam ipsam esse suam cum esset appensa muro ipsius suæ domus; Parochiani vero S. Mariæ No-

Novæ, & S. Marinæ præsertim illi de Chà Amadi dicebant illam esse suam, ad quod probandum egregius Angelus Amadi produxit quemdam librum quondam egregii Francisci Amadi Avi sui, quo manifeste intelligitur ipsum fieri pingi, & apponi fecisse dictam imaginem in illo angulo ut supra, ex quo certe tenendum est, quod ipsa imago, seu anchona sit illorum de Chà Amadi. Infrascripti Domini Consiliarii auditis audiendis, & visis videndis præsertim libro illo declararunt, & terminarunt ipsam imaginem, & anchonam esse illorum de Chà Amadi, & consequenter posse stare in eorum domo sicut nunc est, quo usque factum fuerit Sacellum, seu Ecclesia in venerationem ipsius Beatissimæ Virginis in loco ubi nunc dirutæ sunt domus, quæ emptæ sunt in Curia nova Contratæ S. Mariæ Novæ causa Sacelli, seu Ecclesiæ ipsius fabricandæ.

CONSILIARII.

ſ. Lucas Mauro.	ſ. Augustinus Barbadico.
ſ. Maphæus Contareno.	ſ. Zaccarias Vecturi.
ſ. Hieronymus Diedo.	ſ. Christophorus Capello.



Sixtus IV. concedit Facultatem extruendi Monasterium juxta capellam, seu Ecclesiam Sanctæ Mariæ Miraculorum, in quo habitent Moniales Ordinis Sanctæ Claræ deducendæ a Monasterio ejusdem Ordinis in Diœcesi Torcellana Sanctæ Claræ de Muriano nuncupatæ.

B.

1482. 3. Januarii.

Ex Archivo S. Francisci a Vinea Venetiarum.

SIxtus Episcopus Servus Servorum Dei. Ven. Fr. Patriarche Venetiarum salutem, & apostolicam benedictionem. De celesti remedio animarum sedulo cogitantes personas utriusque sexus presertim sub regulari observantia Domino famulantes que fervore caritatis accense sua pro salute populi fideliter altissimo jugiter vota persolvunt, & quarum voces divinis laudibus intente die noctuque humili, & devota constrepunt oratione precipuo favore prosequi, & illarum numerum ampliari pium meritoriumque censemus, ut per earum preces, & sanctas operationes populus ipse spe, fide, & caritate munitus post prefinitum tempus dissolutionis aule celestis premia valeat cum beatis feliciter adipisci. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Francisci Diedo legum doctoris, & Francisci Marci Zeno, ac Marci Nicolai Superantii nobilium, necnon Aloisii, & Angeli de Amatis Civium Venetiarum nobis exposito quod cum tunc proximis temporibus operante divina gratia apud quandam ymaginem beate, & gloriose virginis Marie sitam, seu pictam in quadam tabula appensa, seu affixa parieti cujusdam domuncule spectantis ad dictos Aloisium, & Angelum diversa miracula apparere cepissent, & in dies miracula ipsa ante dictam ymaginem magis, ac magis clarescerent cum prefatis Francisco

cisco Diedo, & Francisco Zeno, ac Nicolao & Aloisio, ac Angelo ut in loco Curia nova nuncupato in Civitate Venetiarum consistente unum sacellum, seu unam capellam ad honorem prefate virginis Marie sub vocabulo conceptionis ejusdem ex piis Christi fidelium elemosinis edificare illamq. paramentis, & aliis ornamentis ecclesiasticis exornare, ac duos sacerdotes seculares in perpetuos capellanos ejusdem capelle qui inibi cum duobus clericis deservirent in divinis sub certis modo, & forma eligere eisque de necessariis pro eorum substentatione providere, ac nonnulla alia facere, ac procurare possint, & valeant licentiam, & facultatem concesseras, & volueras quod dicta Capella pro tempore edificanda nulli alteri parochiali ecclesie subjecta foret cum certis aliis condicionibus honestis, & determinationibus. Nos tunc hec & alia in certis tuis litteris contenta ad supplicationem Francisci Diedo, & Francisci Marci Zeno, ac Marci & Aloisii, nec non Angeli predictorum cum insertione litterarum tuarum predictarum, per alias nostras litteras confirmavimus, & approbavimus supplentes omnes, & singulos defectus, tam juris, quam facti si qui forsitan intervenissent in eisdem prout in nostris litteris predictis plenius continetur. Cum autem sicut pro parte Francisci Diedo, & Francisci Marci Zeno, ac Marci Nicolai Superantii nobilium partibus ex quatuor vocibus deputatorum predictorum nobis nuper petitio exhibita continebat; licet ipsi deputati de consilio tuo pariter, & assensu ex dictis oblationibus unam ecclesiam, seu capellam in loco ubi ymago dicta erat edificare ceperint, & illam quam huc usque magna ex parte erexerunt adjuvante Domino perficere intendunt proinde tamen consideraverint quod si apud dictam Capellam unum Monasterium Monialium Ordinis S. Clare de Observantia cum claustro, dormitorio, refectorio, hortis hortalitiis, & aliis necessariis officinis erigeretur, & monasterio monialium S. Clare de Muriano Torcell. Dioces. etiam de Observantia in omnibus, & per omnia subjiceretur, ita quod Abbatissa, seu Priorissa, & Moniales dicti Monasterii de Muriano, Monasterio de novo erigendo hujusmodi de Monialibus & Servitricibus, seu Conversis usque ad xxv. seu alias in sufficienti numero tam pro primaria vice, quam alias quoties opus fuerit, nec non ipsi pro tribus vocibus deputati de Capellano, seu capellanis presbiteris secularibus super oblationibus hujusmodi providere, & residuum quod inde ex dictis oblationibus superesset in pias causas, & alias juxta priorum litterarum nostrarum tenorem & formam convertere, & de eis disponere, & alia circa hec necessaria, & opportuna facere possent licentia, & facultas concederetur profecto locus ipse melius gubernaretur, & id cederet ad non modicam populi Civitatis Venetiarum consolationem. Quare pro parte Nobilium predictorum deputatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis quod in dicto loco ubi dicta capella consistit, unum monasterium monialium ordinis, & observantie predictorum cum claustro dormitorio, refectorio, ortis, ortalitiis, & aliis necessariis officinis ex oblationibus hujusmodi erigere ac Abbatisse, seu priorisse prefate ad illud taliter erectum moniales predictas ex dicto monasterio S. Clare de muriano transmutare ipsisque pro tribus vocibus deputatis quod pro tempore existenti Abbatisse, & monialibus dicti monasterii de novo erecti de capellano, seu capellanis super oblationibus hujusmodi providere, & alia circa hec necessaria & oportuna, ut promittitur gerere, facere, & exercere prout eis videbitur expedire alias tamen juxta priorum litterarum predictarum tenorem possint & valeant licentiam, & facultatem concedere, ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui divini cultus augmentum & religionis propagationem nostris potissimum temporibus intensis desideriis affectamus alias tamen de premissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tue per apo-

apostolica scripta mandamus quatenus de premissis omnibus, & singulis eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse repereris super quo tuam conscientiam oneramus eisdem deputatis quod in dicto loco ubi dicta capella consistit etiam unum monasterium ordinis & observantie predictorum cum claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis de oblationibus hujusmodi sine tamen cujuspiam ecclesie prejudicio erigere in monasterio monialium S. Clare de muriano torcellane Diocesis de observantia in omnibus, & per omnia subicere, ita quod Abbatissa, seu Priorissa, & moniales dicti monasterii de Muriano dicto monasterio de novo erigendo de monialibus & servitricibus, seu conversis, ut premittitur tam prima vice, quam alias quotiens opus fuerit, nec non deputati hujusmodi qui pro tempore erunt eisdem monialibus, nec non monialibus S. Clare & servitricibus, seu conversis de necessariis, ac capellano, seu capellanis presbyteris secularibus super oblationibus hujusmodi pro eorum deputatorum arbitrio providere residuum vero quod inde ex dictis oblationibus supererit in pias causas, & alias juxta ordinationem tuam predictam predicti deputati, & qui pro tempore erunt disponere libere, & licite possint & valeant auctoritate nostra licentiam, & facultatem concedas jure tamen parochialis ecclesiæ infra cujus limites dictum monasterium de novo erigendum fuerit, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nos enim si concessionem, translationem, & alia premissa per te vigore presentium fieri contigerit, ut prefertur Abbatisse & monialibus, que in dicto monasterio de novo erigendo pro tempore degerint, quod sub habitu S. Clare, & regularibus institutis ejusdem S. Clare de observantia omnibus & singulis privilegiis immunitatibus exemptionibus libertatibus indulgentiis, gratiis, & indultis quibus dictum monasterium S. Clare de muriano in genere potitur utitur, & gaudet uti, potiri, & gaudere sub cura, & protectione Frarum minorum de observantia ac ipsarum, & cujuslibet earum dotes communiter nuncupatas, & alia que ad dictum monasterium S. Clare, vel aliud portarunt, & alias res ad ipsarum usus deputatas secum ad dictum monasterium de novo erigendum asportare etiam libere & licite possint, & valeant concedimus per presentes constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, & ordinis predictorum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunque. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice MCCCCLXXXII. Tertio non. Januarii Pontificatus nostri anno duodecimo.

L. de Cortesiis.



DE



DE ORPHANODOCHIO S. MARIÆ VIRGINIS DERELICTORUM

EXTREMIS calamitatibus, & annonæ caritate adeo insignis fuit annus MDXXVII. ut nemo adeo gravem soli sterilitatem, nec tantam comparandæ frugis difficultatem se, aut oculis vidisse, aut relatu accepisse recordaretur. Per hyemem præcipue tanta rei frumentariæ inopia omnes fere Cisalpinæ Galliæ urbes afflictæ fuerunt, ut passim per compita, & vicos pauperes jacentes fame confecti deplorabili modo deficerent. Extremis hisce ærumnis, quas ex certis indiciis prospexerant, ut omni, qua fas erat, ope subvenirent Venetæ annonæ Præfecti segetes ex maritimis longinquis provinciis conquisitas per onerarias naves deportari Venetias jusserunt. Cum vero ex finitimis civitatibus mira populorum multitudo Venetias adventasset, consumpta brevi dierum spatio parata annona gravi adeo Urbs caritate laboravit, ut pauperum greges fastidientis stomachi nauseam præ famis atrocitate superantes, sordidos, putrentesque cibos devorarent, iisque deficientibus horribili inediæ tabe absumerentur. Eo spectaculo commoti nonnulli pii viri, quos inter recolendæ memoriæ

moriæ

moriæ est Gualterius Chirurgiæ professor, ut iis calamitatibus aliquo modo succurrerent, in frequentiore Urbis loco domum disponere curaverunt, ubi extrema inopia laborantes colligerent. Amplam itaque terræ planitiem templo SS. Joannis, & Pauli adjacentem elegerunt, quæ ut pote explodendis in experimentum tormentis bellicis destinata *Bersaglio*, Venetis *Bresaggio* vocabatur: ibi rusticum quidem, sed vastum, & ad illorum temporum calamitates valde opportunum tectum erexerunt, in quo ex palea, & stragulis lectulos instruxerunt, queis languentes, & ægrotos passim sub dio jacentes exciperentur. Laudabile opus Veneti Senatus providentia egregie adjuvit, atque in egenorum subsidium non locum tantummodo, quod publici juris erat, sponte contulit, sed & ingentem pecuniæ vim ex ærario publico destinavit. Ii igitur viri qui inopum curam magno animi ardore susceperant, corrogatis undique fidelium eleemosinis, atque a Patriarcha Veneto impetrata condendi Oratorii facultate (A) prima Xenodochio initia fecerunt, ubi indefessa charitatis officia quotidiano, nec unquam interrupto fervore ad hæc usque tempora cum totius Urbis admiratione frequentantur. Eos inter, qui majori pietatis ardore tantum opus ursere, præcipue enituit Hieronymus Æmilianus, is quem nuper Benedictus XIV. Beatorum fastis adnumeravit. Hic cum profusa in pauperes charitate quemcunque extrema periclitantem inopia, non cibo tantum, sed & pecunia, & vestibus adjuvasset, illustre misericordiæ exemplum præbuit, quod in arduis rerum necessitatibus alii quoque imitarentur. Excitato itaque amplo valetudinario, mirum est, quam copiosa egenorum turba ad eum convolarit, quos Xenodochii Præsides ita omni amoris officio prosequebantur, ut profecto ostenderent, se non despectis, & egentibus viris, sed Christo Domino, quem in pauperibus venerabantur, ex animo deservire. Præclaro huic Christianæ religionis instituto, non multo post magnum aliud, & laudabile in hoc loco primitus instituit supralaudatus Hieronymus, ad cujus consilium non humana ratione, sed divino afflatu adductum fuisse, rei exitus comprobavit. Ex gravissimis, quas attigimus, annonæ angustiis teterrima lues exorta universam Urbem invaserat, perque inopum capita fœde desæviens adeo ingentem mortalium stragem edidit, ut frequentes orphanorum greges, parentibus morbo sublatis, per vicos errarent omni-

omnibus prorsus corporis animique destituti subsidiis. Acerbam puerorum calamitatem miseratus Hieronymus, cum jampridem ad hanc ineundam provinciam internis sese motibus excitari cognosceret, non solum ad ipsorum inopiam sublevandam, sed & ad mores Christiana doctrina instituendos animum adjecit. Ea propter collecta undique vagorum puerorum agmina in Ædem a se conductam deduxit, ubi corporum ærumnas tolleret, & rudes animos fidei præceptis instrueret; ut vero pueri ad victum sibi ex laboribus comparandum instruerentur, artifices pacta mercede accivit, qui eos in lanificio erudirent, ex quo deinde honeste aliquando vivere, & ali possent. Præclara sanctissimi viri institutio ipso potissimum adnitente Hospitalis hujus curatoribus credita fuit, ex quo tempore in Orphanodochium evasit, atque ex pio opere nomen sibi inditum accepit *Hospitale Pauperum Derelictorum* cujus spirituale regimen sæcularibus olim Presbyteris creditum non multis ab obitu Beati Viri transactis annis ipsius filii, Congregationis Somaschæ ab eo fundatæ alumni, susceperunt, quod etiam in præsenti laudatissime administrant. Hieronymum itaque Æmilianum, quem in sacro alendorum Orphanorum instituto parentem agnoscunt Xenodochii Præsides, cum Beatorum fastis adscriptum Anno MDCCXLVII. accepissent, ipsius gloriam tanta lætitia prosequti sunt, ut tota Civitate plaudente solemnem Beatificationis ejus festivitatem solemni quoque Divinorum Officiorum pompa celebrarint.

Anno MDXXXVII. mense Januario Divus Ignatius Societatis Jesu Fundator Venetiis degens cum socios Parisiis advenientes excepisset, eos in duobus Derelictorum, atque Incurabilium nosocomiis locavit, ut quædam quasi exordia futuro sanctissimo instituto disponeret, ipse vero alternis nunc in uno, nunc in altero Xenodochio ægrotis ministravit. Hanc primam vineam evangelicam fuisse, quam Societas Jesu colere cæpit, Venetæ nempe Urbis nosocomia, testatur Daniel Bartolus in Historia Societatis Jesu lib. 2. cap. 16. & 17.

Angustum Oratorium ad spirituales ægrotantium, atque infirmorum indigentias excitatum, nova postmodum molitione in ornatissimum Templum renovatum fuit, in quo septem æqualis Architecturæ Altaria decoro opificio ex selectis marmoribus exsurgunt. Eorum unum, quod majori a cornu Evangelii ad-

jacet novissimis hisce temporibus anno nempe 1748. Beato Hieronymo Æmiliano Parenti Optimo dedicari, ejusque pariter annuam solemnitatem Congregationis Religio festive celebrari decrevit.

Marmorea Ecclesiæ facies Bartholomæi Cornioni impensis erecta fuit, ut ex Epigraphe innotescit in medio spatio super portam exculpta.

D. O. M.

„ Bartholomæus Cornionus, Thesaurizaturus sibi thesauros
„ in cælis, illuc opes, non nisi per manus Pauperum depor-
„ tandas intelligens, Xenodochium pene ex axe voluit hære-
„ dem sic dotem Virginibus Orphanis genitores infirmis vale-
„ tudinario, hospitum seniori forma, Templum augusta fa-
„ cie, puriori Deum cultu, scripsit, dedit, consuluit, instau-
„ ravit, ornavit, & auxit viator lapide scit functus, quia fun-
„ gens lapide scis-age, & jus flammas carpe charitatis, ut re-
„ vivifcas MDCLXXIV.



Hieronymus Quirino Patriarcha Venetiarum concedit facultatem erigendi Sacellum in Hospitali in Parœcia Sanctæ Mariæ Formosæ.

A.

1528. 27. Junii.

Ex Authographo in Archivo Hospitalis Derelictorum.

Die 27. Junii 1528.

Reverendissimus D.D. Hieronimus Quirino Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas, cognito fervore vehementi, & devotione maxima erga Deum, & Opera Misericodiæ Bonorum Virorum f. Bartholamei Marci Causidici, & f. Aloisii Marzarii ad Leonem album, f. Bartholamei Boninparte mercatoris lignaminum, & aliorum plurimorum, qui nuper quodam Hospitale sub invocatione D. N. J. C. in Parochia S. Mariæ Formosæ Venetiarum erexerunt prope SS. Jo: & Paulum in Loco dicto, il Bresalio, in quo Hospitali quamplures Pauperes tam Mares, quam Fœminæ Infirmi collocati, & Hospitati sunt, Hospitantur, vivunt, & degunt ex elemosinis tam dictorum supranominatorum, quam aliorum Christifidelium S. Reverendiss. D. supplicantium, ut eis concedere vellet, quod in dicto Hospitali possint unam Capellam erigere; & Missam per Presbiterum secularem idoneum celebrari dictis Pauperibus facere, qui etiam eisdem omnia Ecclesiastica Sacramenta Ministrare, nec non prædictis Suppli-

plicantibus, & quibuscumque aliis Personis prædictis Pauperibus districtus, & Hospitalis prædictis Benefactoribus Sacratissimum Eucharistiæ Saramentum ministrare possit eisdem Supplicantibus, ut devotio sua magis, atque magis crescat ad Laudem, & Gloriam Dei Omnipotentis, quod infra ipsum Locum Hospitalis Virorum, & Mulierum possint erigere dictam Capellam, & per Presbiterum Peregrinum Astrum Vincentinum S. Reverendiss. Domini per eos præsentatum celebrari Missam quotidie facere in dicto Loco, qui curam Animarum dictorum Pauperum Infirmorumque haberet, ipsisque exponentibus, & aliis in dicto Hospitali existentibus, ac Pauperibus subministrantibus tantummodo in dicto Loco Eucharistiæ Sacramentum ministrare, exceptis tamen in diebus Nativitatis Domini, ac Paschæ Resurectionis ejusdem, & interim cedente, vel decedente dicto Presbitero Pregrino, per alium Presbiterum cum licentia S. Severendiss. Domini possint, & valeant dictam licentiam, & facultatem concessit, ac per presentem concedit.

Victor de Mapheis Cancellarius in fidem subscripsit.





DE
MONASTERIO
SANCTÆ MARIÆ A PLANCTU.

ANNO a Virginis partu 1629. gravissima pestilentia per Italiæ urbes immaniter desæviens plurima mortalium millia brevi tempore absumpsit. Venetiis tamen atrox morbi vis ferocius evagata ingenti clade urbem fere totam deformavit. Cumque pestifera lues in vulgares potissimum grassaretur, languentes pauperum greges omni prorsus corporis, & spiritus solatio destituti, non in privatis solum ædibus, sed per compita, & vias humi projecti miserandum in modum jacebant.

Eo ferali spectaculo commota piissima quædam Virgo Maria Benedicta nomine, quæ nuper in Burianensi Insula Monasterium erexerat assiduis enixisque precibus, queis ex continuato jejunio, atque ex acri corporis castigatione robur accesserat, Divinam a populo indignationem avertere satagebat. Dum igitur, ut tantæ animarum calamitati occurreret, Divinam irati Numinis voluntatem exploratura ferventius orat, cœlesti lumine illustrata intellexit, ad sumendam de humanis sceleribus ultionem pestis flagellum desævisse, atque majorem in

urbe

urbe Veneta fecisse vastitatem eo, quod in ipsa pro animabus piaculari igne detentis interdicta, atque ablata fuissent debita, & consueta suffragia.

His ex superna illustratione perceptis, cum ex animarum suppliciis, atque ex populorum calamitatibus sese pia Virgo geminato sentiret cruciatu vulneratam, in lacrymas profusa cæpit Omnipotentis Dei misericordiam vehementius obtestari, ut suam vitam, & sanguinem pro peccatis populi hostiam suscipere dignaretur, quod si holocaustum hoc pro sui vilitate minus dignum reputaret saltem quanam ratione Divinæ Justitiæ satisfieri posset ostenderet. Humilia sponsæ suæ vota benigne suscipiens Deus ipsam interiori voce admonuit, præclara atque perpetua duraturi operi institutione rependendas esse vices de interdictis Purgatorio subsidiis, ideoque Principis authoritate interveniente Monasterium, quo eximiæ virtutis Virgines includerentur, atque adhærens Templum pro litandis quotidianis hostiis esse in ipsa Venetiarum Urbe erigenda. Sacerdotes vero pro Defunctorum animabus quotidie offerentes, atque Sanctimoniales Virgines non intermissis precibus orantes publicis sumptibus alerentur, hac enim ratione judicium in misericordiam verteretur. Supernæ voluntatis arcanum sibi divinitus patefactum in Monasterii fastis adnotari jussit Abbatissa, atque pio Sacerdoti ejusdem confessiones excipienti demississime significavit, cujus consilio excitata Nobilibus viris Monasterii Procuratoribus rem omnem aperuit. Hi quamvis pro Virginis sanctimonia vocem a Deo esse confiterentur, attamen de variis hominum judiciis trepidantes in incertum, quid acturi essent, hæserunt. His iterato repetitis, Maria Benedicta satis usu ipso edocta Divina negotia nonnisi ad præfinitum a Deo tempus compleri, omni humana spe abjecta opus optimum, ipsius Omnipotenti Authori commendare non desinebat, licet rem ipsam cordi penitus insidentem plena oblivione neglexisse extrinsecus videretur. Post hæc improvisi bellorum motus a Turcarum Imperatore suscitati Rempublicam graviter turbarunt, quæ dum incerto marte aguntur, Maria Benedicta per hiemem ægrotans, dum Veneta arma assiduis Domino exercituum precibus commendaret, novo eoque acriori impulsu ad rem exponendam excitari se sensit; cumque in dies interior animi stimulus augeretur, de eo cum quadam religiosa

soro-

sorore, quæ sibi ægrotanti ministrabat, disseruit, cujus consilio roborata ad Venetum Senatum epistolam mittere decrevit, cui tamen ex humilitate nomen suum apponere recusavit. In hoc consilio quamvis Deum accurata supplicatione consuluisset, attamen pietatem cum prudentia conjungens virum authoritate præstantem ad consultandum adhibuit, qua communicatione id assequuta est, ut & opus ab eo probaretur, & quantum authoritate & gratia valeret, totum id ad rei complementum promitteret; Facultate exinde per Confessarium facta epistolam ad ejus pedes provoluta concinnavit, in qua ex obedientiæ mandato proprio nomine subscripta omne divinæ voluntatis arcanum ex ordine patefecit. Epistolam P. C. (pro ea qua pia Virgo valebat Sanctimoniæ gratia) humanissime exceperunt, nullaque interposita mora Magistratui, cui Monasteriorum cura commendata est (Proveditori sopra Monasteri) onus rei perficiendæ (assignatis ex publico ærario impensis) demandarunt, utque nihil seu inconsulta, seu renuente Veneranda Abbatissa ageretur, decreverunt. Ipsam itaque Triumviri operi præfecti personaliter adeuntes, ut in omnibus consilii sui rationem aperiret, obsecrarunt, quæ cum de se ipsa demisse, & humiliter sentiret, se ad hujusmodi consilia minus aptam, utpote infimam, & opis Divinæ maxime egentem esse fatebatur, Illustrium tamen Virorum precibus victa, cum id, quod opportunum putaret, aperuisset, id omne sine variatione perfectum est. Re per Urbem vulgata ingens confestim virorum cujusque ordinis concursus Burianum est factus, tum visendæ Virginis, tum ejus orationum suffragia expetendi gratia, ut per totam diem fatigata noctis horas partim consuetis meditationibus, partim vero Monasterii regimini pene insomnes transigere cogeretur. *Quamvis autem famula Dei nec sibi, nec suis alumnis Monasterium construendum petiisset, idque solum optasset, quod Ordini Servorum B. Virginis dolorosæ nuncupatum esset, unanimi tamen universi Senatus consensu electa in Fundatricem hujus Monasterii fuit, quatuor adhuc Monialibus pro ejus libito adscitis, jure quoque concesso decem alias Puellas eligendi, quæ Deo, ac Deiparæ ibidem famulari deberent.* Ex iis itaque, quæ certatim sacro cœtui dare nomina expostulabant, prudenti Abbatissæ delectu decem constitutæ sunt, quas austeriori instituto aptiores fore cognoverat. Tres inde præstantioris virtutis sorores

res è Burianensi Monasterio selegit, quas ardenti sermone ad religiosam perfectionem promovendam accommodato ita adhortata est, ut ex ardenti vultu, oculisque divini amoris ignem spirantibus non minus quam ex verborum sensu cognoscerent ipsam de ejus loci fundatione sollicitam esse, quem sibi ingredi non daretur, quod & apertius significavit; siquidem Sanctimoniali sciscitanti cur non præcepta talia opportuniori tempori reservaret, sine cunctatione reposuit: *Id plane contingat quod Deus voluerit, filia, non autem quod Ego velim, si superstes fuero:* Hæc autem interiori spiritus illustratione dicta fuisse probavit eventus. Veneranda enim mater, antequam primus lapis in fundamento jaceretur, ad Sponsum migravit. Dum igitur ad sacri loci erectionem opportuna disponuntur, Maria Benedicta vicinæ mortis præscia unam ex alumnis suis quam tanto operi præficiendam putaverat salutaribus monitis ad fundationem rite perficiendam roboravit, eamque jam morti proxima mirabiliter his verbis solata est: *Bono animo esto Filia, ne timeas, tibi nunquam deero, viriliter age, fiduciam in Deum jugiter foveas, ejusque voluntati conformitatem. De te ac reliquis in Monasterio illo degentibus sollicita maxime apud Dominum ero*. Quanti meriti apud Deum extiterit materna Mariæ Benedictæ sollicitudo ex eo probatur, quod tanta parente orbatæ ejus filiæ stetere animis, atque ad Divinæ voluntatis mandatum strenue perficiendum majori spiritus vigore se excitari senserunt: Post hæc S. C. Oratori suo in Romana Curia dedit in mandatis ut Alexandro VII. Summo Pontifici Venetæ Reipublicæ nomine exponeret, quod ipsa recenter *ad Divinam opem in necessitatibus publicis implorandam ex suggestione Mariæ Benedictæ de Rubeis Monialis expresse Professæ Monialium Cappuccinarum nuncupatarum Oppidi de Burano Ordinis Servorum B. M. V. secundæ reformationis Montis Senarii nuncupatæ sub regula S. Augustini* ac pariter *ex insito pietatis instituto Monasterium, & Oratorium sive Ecclesiam sub invocatione, seu denominatione S. Mariæ de Planctu, Ordinis, & sub regula hujusmodi sumptibus, & expensis Reipublicæ, & de illius bonis mere laicalibus in Civitate Venetiarum fundandis, construendi, & dotandi votum emiserit, idque pro monachandis in eo duodecim puellis Virginibus pauperibus bonæ vitæ, & famæ; quodque pro voti hujusmodi implemento ædes ad usum Monasterii, & Ec-*

& Ecclesiæ in dicta Civitate in loco ad id opportuno propriis sumptibus erectæ, & ad debitam clausuræ formam aptatæ reperiuntur (A); quapropter summopere exoptabat Senatus, ut Monasterium ipsum Apostolica Pontificis Alexandri authoritate erigeretur, & institueretur; sub ea tamen conditione, quod Monasterium ipsum, utpote *de bonis Reipublicæ fundatum sit, & esse intelligatur jurispatronatus ejusdem Reipublicæ.*

Piis Reipublicæ votis benigne annuit Pontifex, atque Pastoralis officii sui partes libenter ad tanti operis perfectionem impendens Patriarchæ Venetiarum datis die XI. Novembris anno 1657. Epistolis mandavit (B), quatenus *ædes prædictas sacra, & profana suppellectili sufficienter instructas in Monasterium Monialium Ordinis Servorum B. M. V. secundæ reformationis Montis Senarii nuncupatæ sub regula Sancti Augustini, & sub invocatione Sanctæ Mariæ de Planctu pro commoda, & perpetua habitatione unius Abbatissæ, & quatuordecim Monialium* erigeret & institueret, ac *juspatronatus dicti Monasterii, & illius Ecclesiæ Venetorum Reipublicæ perpetuo reservaret, ita & taliter ut Moniales quoad temporalia tantum sub cura, gubernio, & superioritate ejusdem Reipublicæ, & pro tempore existente illius Magistratus Provisorum super Monasteriis, in reliquis vero curæ, & regimini ipsius Patriarchæ, & successorum suorum de jure subjicerentur.* Cum vero de felici Fundatricis obitu Pontifex adhuc ignarus esset, adjecit, ut e Monasterio Burianensi *Mariam Benedictam, & alias duas Moniales expresse professas memorati Monasterii Oppidi de Burano peritia gubernandi præditas de Superiorum licentia* assumeret, & *ad dictum novum Monasterium ibi perpetuo mansuras* deduceret, eo potissimum consilio, ut sæculares adolescentulas illuc introducendas ritibus, moribus, & institutis Regularibus dicti Ordinis instruerent; ipsæ vero puellæ statuta forma admitterentur, atque *habitum* per Moniales *Cappucinas de Burano gestari solitum susciperent, & elapso probationis anno professionem* emitterent. Cum autem Pontifici nuntiatum esset, Mariam Benedictam e vivis ante translationem excessisse, ipse ad Veneti Senatus preces Mariam Innocentiam Contarenam spectatæ virtutis in eodem Monasterio Sanctimonialem in defunctæ locum suffecit; atque de Pontificia concessione tum Patriarcham Venetiarum, tum Torcellanum Episcopum conscios fieri mandavit.

vit. Eo itaque anno ſupralaudata Maria Innocentia ſecum aſſumptis Maria Felice Zerbina, atque Maria Joanna de Clavarolis Monaſterii Burianenſis Sanctimonialibus univerſa ferme civitate ad rei novitatem plaudente, Monaſterium S. Mariæ de Planctu ingrediuntur, in quo admirabile vitæ genus, quod Montis Senarii Eremitæ profitentur, inſtituerunt. Ad religionis inde conſortium ſæculares Virgines ſuſceperunt, quas & exemplo, & adhortationibus ita in ſanctimoniæ ſpiritu accenderunt, ut iis clauſtris Angelorum chorus includi videretur; atque ex iis quamplurimæ ob vitæ auſteritatem, atque diligenti virtutum ſtudio a Domino cœleſtis gratiæ chariſmatibus ditatæ fuerint. Inter eas præcipuo celebranda venit encomio Maria Angelica Conſortinari ejuſdem Monaſterii regulam profeſſa die XXII. Julii anno *1663*. cujus vitam virtutibus, & prodigiis ornatiſſimam ſuperius laudata Maria Innocentia Contarena prout ipſa vidit Italico ſermone contexuit, atque in latinum translatam Placidus Maria Bonfrizzerius T. III. Annalium Ordinis p. *664*. inſeruit.

Converſa itaque, ut fit, in novum Monaſterium univerſæ civitatis admiratione, cum in illud admitti quamplures etiam præclarioris nobilitatis Virgines vehementiſſime cuperent, ut ipſarum votis ſatisfieret, viſum fuit deinde ſtatutum Sanctimonialium numerum augere, atque ſalutaris inſtituti ſanctitatem in multarum utilitatem extendere. Quem autem ardentiſſimum orationis & ſolidæ virtutis ſpiritum a Fundatricibus piæ hæ Virgines ſuſceperunt, ita prorſus ferventem in alias tractu temporis ſuccedentes deduxerunt; ut non immerito ſe ipſarum exemplo inſtrui, & precibus fulciri civitas Venetiarum fateatur.

Primo lapidi in fundamentis Eccleſiæ anno *1647*. per Joannem Franciſcum Maurocenum Patriarcham poſito adjectum fuit numiſma argenteum Deiparæ compatientis effigiem ex una parte, ex altera vero hæc verba referens:

„ Deiparæ Virgini a Planctu Delubrum ad mortuorum animas ſacerdotum hoſtiis, Virginum precibus expiandas Senatus vovit, primoque jacto lapide dicavit. Franciſco Molino Duce, Joanne Franciſco Mauroceno Patriarcha *1647*.

Templum octogonæ figuræ ordine Corinthio ſeptem habet lapidea Altaria, quorum Princeps ex candido marmore Carrarienſi Chriſtum e Cruce depoſitum manu Lucæ Jordani depictum exhibet.

Inter reliqua spectabile est Altare in quo Christus Crucifixus ligneo opere laudatissimo exsculptus visitur. Aræ Fundatores, & sacri simulacri authorem exhibet adjecta epigraphe lapidi lydio inscripta:

„ Hoc Alberti Dureri arte vivum Dei exanimis simulacrum
„ comploranti obtulere Deiparæ Jo: Baptista, & Thomas A-
„ dolphus Fratres Vanaxel, quorum Majores a Belgici Martis
„ procellis in hunc Adriatici, pacisque sinum delati sunt, ipsi
„ vero Serenissimo Patriciorum albo demum adscripti. An-
„ no MDCLXV. XXX. Maii.

Ut autem ædificatæ sacræ Ædis & Fundator, & causa perpetuo manifesta essent, ex S. C. adjecta est exteriori Templi prospectui marmorea hæc inscriptio.

„ D. O. M. Comploranti Deiparæ Publico voto Templum
„ sacrisque Virginibus excitatæ Ædes ut piis fidelium mani-
„ bus pro Reipublicæ incolumitate litetur Anno MDCLVIII.
„ Joanne Pisauro Venetiarum Principe.

Solemnia Consecrationis peregit die 7. Maii anno 1687. Aloysius Sagredo Patriarcha Venetiarum, cujus rei memoriam affert lapis parieti ipsius Ecclesiæ affixus.

D. O. M.

„ Deiparæ Dolorosæ Virgini, vulgo del Pianto Ejusque Spon-
„ so B. Joseph Aloysius Sagredo Patriarcha Venetiarum Dal-
„ matiæque Primas hoc Monialium Templum, alias le Cap-
„ puccine, publicæ Majestatis Juspatronatum consecravit. An-
„ no a Puerperio Virginis MDCLXXXVII. IV. Nonas Maii Marco
„ Antonio Justiniano Duce.

Divi Fausti Martyris, atque Divæ Justinæ Martyris pariter, & Virginis Corpora, atque alia Sanctorum lipsana e Romanæ Urbis Cæmeteriis ad hanc Ecclesiam ornandam deducta sunt, cujus decorem auxit Pontificia liberalitate Benedictus XIV. qui S. Stanislai Kosthæ e Societate Jesu Confessoris reliquiam aureis circuminclusam ornamentis Monasterio huic dono obtulit anno 1744. ex quo tempore Angelici Juvenis festa dies solemni apparatu celebrari cœpit.

Ut vero Dominicæ Passionis cultus in religioso loco majora incrementa reciperet, pro iis, quibus erga piissimas has Vir-

gines

gines afficior veneratione, & affectu, ipsis aciem ex Spinea Christi Corona obtuli incredibili quidem lætitia exceptam. Hanc ex ipsarum pietate quotannis secunda ex Feriis quintis mensis Martii publicæ Christifidelium venerationi exponendam decreverunt, quod ut solemnius ageretur, Officium proprium Sacratissimæ Coronæ Domini ea die celebrandum a S. R. C. impetrarunt.

Series Abbatissarum Monasterii Sanctæ Mariæ de Planctu.

1658. 6. Junii. Maria Innocentia Contarena prima post Mariam Benedictam de Rubeis Fundatrix, & Abbatissa perpetua regimen ejusdem prudenter tenuit per unum, & quadraginta annos ad usque finem anni *1699*.

1699. 4. Januar. Maria Gabriella de Fantonis.

1703. 17. Januar. Maria Archangela de Mattheuciis confirmata 1706.

1709. 2. Apr. Maria Electa Antonia ex nobilissima Zinzendorfia Familia in Saxoniæ Ducatu progenita. Hæc Lutherana tabe infecta, errores, in quibus versabatur, Divino illustrata lumine cum agnovisset, paternam Domum reliquit, atque Angelo tutelari comite in Italiam venit, ac deinde Venetias appulsa cum ad Ecclesiam S. Mariæ de Planctu aliquando divertisset, ibi ad suscipiendum Religionis habitum interiori spiritus motione vocatur.

Habitu itaque Servorum Deiparæ indui suppliciter petiit, neque multo post Deo operante ipsum per sacras Jo: Baduarii Patriarchæ Venetiarum manus excepit anno 1702. indeque anni Tyrocinio pie exacto ante ipsius Patriarchæ pedes posita solemnia regularis professionis peregit die XVII. Septemb. 1703. Religiosis inde cæpit adeo clarere virtutibus, ut jam inde ad majora a Divino Spiritu disposita agnosceretur. Familiari per ea tempora Sanctimonialium consuetudine utebatur Teresa Cunegunda Maximiliani Emanuelis S. R. J. Electoris, ac Bavariæ Ducis uxor, quæ Venetiis de-

gens ipsarum pietate capta novum Servitarum Reformatarum Montis Senarii Monasterium Monachii propriis sumptibus erigere disposuerat. Itaque Mariam Electam, quam in ipsis vitæ religiosæ primordiis perfectionis apicem noverat attigisse sibi ad sacrum opus erigendum Fundatricem assignari postulavit. Humilitatis studiosissima illa onus sibi demandatum magna contentione quandiu potuit, detrectavit, quod tamen ne divinæ voluntati adversaretur tandem ex obedientia suscepit. Assumpta itaque in consortium Fundationis socia Maria Rosa, quam pridem tyrocinii sui Moderatricem habuerat, Monachium petiit, in qua urbe post varia rerum adversarum discrimina constanti animo superata anno 1716. mense Martii initia Fundationis disposuit. Monasterio inde ædificato, & ad regularis formæ perfectionem deducto, cum alumnas ibi constitutas verbo, & exemplo ad Dei famulatum, & mutuam charitatem per plures annos mire accendisset Venetias rediit, ut ubi religiosæ vitæ cursum inceperat, ibi & felicius consumaret. Præfecta igitur fuit Monasterio anno 1733. quod per triennium sanctissime rexit, ac tandem meritis, & virtutibus cumulata migravit ad Cœlum die xx. Januarii anno 1742.

1712. 2. Apr. Maria Cherubina de Alexandris.

1715. 15. Apr. Maria Candida Confortinari superius laudatæ Mariæ Angelicæ neptis.

1718. 26. Apr. Maria Seraphina de Silvanis, iterum 1724. 5. Maii, & 1727. 6. Maii.

1721. 27. Apr. Maria Gertrudes de Corradis.

1730. 30. Maii. Maria Mansueta Trivisana. Iterum 1736. 2. Junii.

1739. 4. Junii. Maria Cœlestis Flangini. Confirmatur 1742. 1745.

1748. 20. Julii. Maria Angela de Angelinis.

Sena-

Senatus Venetus Fundationem Monasterii S. Mariæ de Planctu Ordinis Servorum B. M. V. ære publico faciendam decernit.

A.

1646. 21. Junii.

Ex Archivo Monialium S. Mariæ de Planctu Venetiarum.

1646. 21. Giugno. In Pregadi.

DOvendosi ne presenti gravi bisogni publici sempre con più fervore e divoto spirito riccorrere alla protezione, & alla grazia del Signor Iddio, e della Beatissima Vergene protetrice della Republica per quel sollievo, che si deve principalmente attendere dalla Mano di Sua divina Maestà, e per plaçare con atti di divozione e di preci continue l' ira sua giustissima per l' errori e privati, e universali credesi venga a meritare, e conseguire quanto s' implora, e si suplica con umil intercessione.

L'andera parte, che seguendo il raccordo di Suor Maria Benedetta de Rossi Monacha Capuccina in Burano di vita religiosa, e divota, e l'instituto sempre pietoso della Signoria nostra s' intenda de presenti fatto voto di spendere fino Ducati 6000. nel errezione di un piccolo Oratorio, e luogo Sacro moderato, e senza apparenza ove abbiano ad esser ricevute, e vestite dodeci Vergini di povertà e di tutta buona vita, le quali debbano esser scelte e nominate dalla predetta Suor Maria benedetta, e viver sotto il governo di lei, e di due altre madri più vecchie, e divote del Monastero di Burano che dovran esser riddotte con essa in questa nuova clausura, cosi che siano in tutte quindici non potendo essere accresciuto questo numero, ma restar sempre fermo con sostituzione d' altre in luogo di quelle che morissero per elezione delle Monache stesse. Sia il Monastero nella forma, e nel sito regolato a beneplacito di questo Consiglio e dedicato al nome di S. Maria del Pianto dovendo vivere esse Monache sotto la Regola di S. Agostino con li Ordini di S. Maria de Servi della seconda rifforma, e sempre sotto la publica protezione; Siano eletti cinque Mansionari di vita essemplare da Proveditori sopra monasteri con l' approvazione del Colleggio, li quali abbino in detto Oratorio tutti ogni giorno celebrar messa per quell' anime del purgatorio mancanti de destinati suffragj secondo la publica intenzione.

Siano deliberati, e pagati ogn' anno da i Camerlenghi di comun delli danari della S. N. Ducati 1200. moneta corrente, 500. che dovrà servire d'elemosina alli cinque Capellani predetti, e l'altri 700. d' esser tenuti in deposito, e riserva per supplire ai bisogni della Chiesa, e delle Monache per vito e vestito a diffetto dell' ordinarie elemosine secondo che conosceran necessario e conveniente l' istessi Proveditori sopra li Monasteri, e sia scritto a Roma per aver le Monache di Burano.

1646. 7. Luglio in Pregadi.

DOvendosi incaminare la buona opera della Chiesa, e Monastero deliberato da questo Consiglio in honor del Signor Iddio, & in sollievo dell'ame de defonti, onde segua con la celerità, e pontualità che si deve.

L'anderà parte che sia questo negozio racomandato alli Proveditori sopra li Monasterj, li quali debbano riconosce-

scere e scielgere il sito più proprio a quest' effetto informarsi della forma conveniente della fabrica con Periti, trattar delle materie, e delli operari, e stabilite tutte le buone regole per rapresentar col modello li loro sensi, e operato nel Collegio per decretarlo immediatamente, onde celeremente si proceda nell' operare, e nella perfezione desiderata. Sia scritto a Roma per il consenso di poter levare dalla Clausura di Burano cinque Monache per il governo di questo nuovo Monastero essendo stato deliberato di levarne solo tre che non sono conosciute bastevoli, senza però alterare il numero delle 15. gia stabilito. Dovranno li detti Proveditori sopra li Monasteri conferir per il sito, forma della fabrica, e per altre occorenze anco con la Madre Suor Maria Benedetta da Burano per meglio indirizzarle col suo Consiglio, e raccordo. Accadendo altri Sacerdoti oltre li cinque Mansionarj per supplire alle messe cantate, & altre ceremonie alle quali pur dovranno essere obligati i detti religiosi Mansionarj sarà cura de Religiosi sudetti di provedere secondo che conosceranno il bisogno supplendo per l'elemosina loro col dinaro già deliberato in questo proposito.

1646. 29. Agosto in Pregadi.

Ha li Proveditori sopra li Monasterj fatte tutte le diligenze per vedere e ricevere le più particolari informazioni delli luochi quali riuscir potessero più propri alla costruzione dell' Oratorio, e Monastero di Clausura di quindeci Religiose decretato da questo Consiglio. E poiche più di uno viene decretato a questo proposito, avendo anco avuto sopra tutti la volontà di Suor Maria Benedetta Cappuccina di Burano, resta solo, che si devenga alla risoluzione con l'elezione di quello, che più approposito fosse stimato, il che dovendosi far con la minor interposizione di tempo, per render anco in questa parte adempita la publica volontà.

Sia però l'elezione medesima del loco rimessa alli sopradetti Proveditori sopra li Monasterj, quali dovranno procurare tutto il maggior vantaggio, e manco incomodo publico possibile, ricevuta prima la volontà & sodisfazione di essa Suor Maria Benedetta impartendo loro facoltà di concludere anco un assegnamento di pro di Cecca, e di tutto portando notizia nel Collegio Nostro.

Alexander VII. Fundationem Monasterii Monialium S. Mariæ de Planctu Ordinis Servorum B. M. V. confirmat.

B.

1658. 11. Decembris.

Ex Archivo Monasterii Sanctæ Mariæ de Planctu.

Venerabili Fratri Patriarchæ Venetiarum.

Alexander Papa VII.

Venerabilis Fr. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Militantis Ecclesiæ regimini Divina dispensatione nullo licet nostrorum suffragio meritorum præsidentes ad ea, quibus Monasteria, & alia regularia loca devoti fæminei sexus ad religionis, & Divini cultus augmentum animarumque saluti propagari valeant propensis studiis intendimus, ac desuper pastoralis Officii Nostri partes libenter interponimus, prout pia Christifidelium præsertim nobilitatis clarita-

ritate & dignitatis splendore conspicuorum vota postulant, & Nos locorum, temporumque qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Senatus, & Respublica Venetorum, quod ipsi alias ad Divinam opem in præsentibus eorum necessitatibus implorandam ex suggestione dilectæ in Christo Filiæ Mariæ Benedictæ de Rubeis Monialis expresse Professæ Monasterii Monialium Cappucinarum nuncupatarum Oppidi de Burano Ordinis Servorum B. M. V. secundæ reformationis Montis Senarii nuncupatæ sub Regula S. Augustini Torcellen. Diœcesis, ac pariter ex eorum pietatis instituto Monasterium, & Oratorium sive Ecclesiam sub invocatione, seu denominatione S. Mariæ de Planctu Ordinis, & sub regula hujusmodi sumptibus, & expensis dictæ Reipublicæ, & de illius bonis mere laicalibus in Civitate Venetiarum fundandis, construendi, & dotandi votum emiserunt; idque pro monachandis in eo duodecim puellis Virginibus pauperibus bonæ vitæ, & famæ, ad electionem tamen ipsiusmet Mariæ Benedictæ prædictæ sub cujus gubernio ac aliarum duarum ex Senioribus, & magis devotis Monialibus dicti Monasterii Capuccinarum Burani pro hujusmodi Monasterii institutione de speciali Sedis Apostolicæ licentia extrahendæ ac sub regula prædicta vivere, & persistere debeant: Annuo reditu mille ducentorum ducatorum monetæ Venetæ summam octingentorum, vel circiter scutorum monetæ Romanæ constituentium super publicis introitibus prædictæ Reipublicæ pro Monasterii sic erigendi dotatione ad infrascriptos usus, & cum infrascriptis conditionibus assignato: Quodque pro voti hujusmodi implemento ædes ad usum Monasterii, & Ecclesiæ in dicta Civitate in loco ad id commodo, decenti, & opportuno propriis dictæ Reipublicæ sumptibus ad undecim millium ducatorum parium summam ascendentibus erectæ, & aptatæ, ad debitam clausuræ formam redactæ jam reperiuntur; Assignatio vero mille ducentorum ducatorum hujusmodi per Camerarios publicos memoratæ Reipublicæ, del Commune vulgo vocatos, annuatim persolvetur, nempe ducati septingenti pro sustentatione Monialium ac aliis usibus, & necessitatibus Ecclesiæ, & Monasterii erigendi hujusmodi, reliqui autem quingenti ducati pro stipendio, & manutentione quinque Presbiterorum exemplaris vitæ Mansionariorum, seu Capellanorum nuncupatorum, qui Ecclesiæ prædictæ inservire debeant. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti exponentes ædes prædictas in Monasterium Monialium Ordinis hujusmodi auctoritate nostra Apostolica erigi, & institui summopere desiderent, sub iis quidem conditionibus videlicet, ut idem Monasterium erigendum attento quod de bonis dictæ Reipublicæ fundatum existit, sit, & esse intelligatur jurispatronatus ejusdem Reipublicæ, ipsaque Respublica, & pro ea Magistratus pro tempore existens Virorum Nobilium super Monasteriis Provisorum nuncupatorum habeat gubernium œconomicum, & temporale tantum dictorum Monasterii, & Ecclesiæ ad hoc, ut prædicti ducati septingenti sicut supra per Rempublicam assignati una cum eleemosynis per Christifideles elargiendis in beneficium, & utilitatem Monasterii hujusmodi, prout prædictis Provisoribus videbitur magis expedire erogentur, sicque per eos cunctis illius necessitatibus remaneat sufficienter provisum. Præterea, ut numerus Monialium in dicto Monasterio erigendo Monachandarum semper, & perpetuo sit, & esse debeat quindecim tantum, & non ultra computatis tribus predictis Monialibus ex dicto Monasterio Burani, ut supra pro illius institutione extrahendis. Puellarum electio pro hac vice prima spectet ad supradictam Mariam Benedictam de Rubeis, quæ ejus vita durante sit Abbatissa, seu Priorissa dicti Monasterii erigendi, sed ipsarum aliqua decedente, semper, & quandocumque ad omnes Moniales, sicut & ipsa electio Abbatissæ post mortem ejusdem Mariæ Benedictæ ad triennium tantum, & non alias facienda, adhibito tamen consensu dictorum Provisorum

præ-

prævia notificatione illius facienda antequam ad vota secreta pro admissione, & electione dictarum Monialium deveniatur.

Quinque vero Mansionarii, seu Capellani pro illorum stipendio & manutentione singuli habere debeant ducatos centum quolibet anno per dictos Camerarios publicos persolvendos, & Missas in Ecclesiam Monasterii sic erigendi pro refrigerio animarum in purgatorio existentium, quibus destinata suffragia deficiunt juxta publicam intentionem celebrare teneantur, illorumque ad nutum admovibilis sit electio, & spectet ad dictum Magistratum Provisorum super Monasteriis pro tempore existentium cum approbatione tamen, & non alias Collegii dictæ Reipublicæ semperque, & inperpetuum Monasterium prædictum sub protectione prædictæ Reipublicæ esse, & vivere intelligatur. Cumque nunc adsint aliquæ pauperes Puellæ Religioni nomen in eodem Monasterio erigendo dare cupientes; præmissa vero omnia, & singula in divini cultus, & fidelium devotionis incrementum; Puellarumque hujusmodi spiritualem consolationem, ac prædictæ Civitatis decorem cessura sint: Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem dictis exponentibus gratiam facere volentes, eorumque, ac dictæ Mariæ Benedictæ singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui negotium prædictum mandato Nostro mature discusserunt, consilio, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus quatenus constito tibi prius, quod omnia in præsentibus litteris enarrata fuerint plene adimpleta ædes prædictas, si & postquam sacra & profana suppellectili sufficienter ejusdem Reipublicæ sumptibus instructæ fuerint in Monasterium Monialium Ordinis Servorum B. M. V. secundæ reformationis Montis Senarii nuncupatæ hujusmodi sub Regula S. Augustini, & sub invocatione, seu denominatione ejusdem S. Mariæ de Planctu pro commoda, & perpetua habitatione unius Abbatissæ, seu Priorissæ, & quattuordecim Monialium, computatis in eis tribus Monialibus pro institutione, & instructione ipsius novi Monasterii ex alio Monasterio supra expresso extrahendis, quæ omnes, modo, & forma præmissis, & non aliter, nec alio modo admitti, inibique, habitum per Moniales Cappucinas prædicti Monasterii Oppidi de Burano gestari solitum suscipere, & elapso earum probationis anno concurrentibus in eis aliis necessariis requisitis ad præscriptum Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretum, professionem per easdem emitti consuetam expresse emittere, ac perpetuam clausuram, ritusque, & mores, atque consuetudines regulares dicti Ordinis aliqua præscripta servare Divinisque laudibus insistere, ita, & taliter, ut Moniales prædictæ, quoad temporalia tantum sub cura, gubernio & superioritate ejusdem Reipublicæ, & pro tempore existente illius Magistratus Provisorum super Monasteriis; In reliquis vero, Visitationi, correctioni, obedientiæ, curæ & regimini tuis, & pro tempore existentis Patriarchæ Venetiarum, prout de jure subjici, ac ita subjectæ vivere debeant, & teneantur, nec non quinque Mansionariatus, seu Capellanias pro totidem Presbyteris Mansionariis, seu Capellanis nuncupatis ad nutum ejusdem Reipublicæ, & pro ea dicti Magistratus Provisorum super Monasteriis eligendis, & amovendis, & a Collegio dictæ Reipublicæ, ut supra approbandis, qui Missas celebrare debeant cum assignatione salarii supra expressi auctoritate nostra Apostolica perpetuo, sine cujusquam

quam præjudicio erigas, & instituas, ac Juspatronatus dicti Monasterii erigendi, & illius Ecclesiæ memoratæ Reipublicæ itidem perpetuo resserves, ipsique Monasterio sic erecto, & instructo pro congrua illius dote, ac commoda illius Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialium prædictarum sustentatione onerumque illi incumbentium supportatione reditus annuos, & perpetuos septingentorum Ducatorum prædictæ monetæ Venetiarum, ut præfertur per dictam Rempublicam assignatos, ex quibus ipsæ Moniales commode sustentari, seque manutenere poterunt, nec non omnia, & singula alia per quasvis personas in perpetuum, vel ad tempus simul successive pro augmento dotis Monasterii hujusmodi quandocunque, & qualitercunque elargienda, donanda, eroganda, & assignanda bona, proprietates pecuniarum, summas, & jura, & ex nunc prout postquam elargita, donata, & assignata fuerint, ita quod liceat Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialibus prædictis illorum omnium, & singulorum corporalem, realem, & actualem possessionem, vel quasi per se, vel alium, seu alios earum, & dicti Monasterii nominibus propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, reditus, proventus, & emolumenta ex iis provenientia quæcunque, ac eleemosynas dicto Monasterio illiusque Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialibus pro tempore existentibus elargitas recipere, colligere, levare, & cum consensu, & licentia dictorum Provisorum earum, & dicti Monasterii nominibus locare, & dislocare, arrendare, & recuperare, ac in dicti Monasterii illiusque Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialium communes usus, necessitates, & utilitatem convertere perpetuo, pariterque eadem auctoritate concedas, & assignes.


Præterea eidem Monasterio, illiusque Abbatissæ, seu Priorissæ Monialibus, & earum cuilibet necnon aliis personis, & Christifidelibus Ecclesiam Monasterii hujusmodi pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus exemptionibus prærogativis præeminentiis, concessionibus, indulgentiis indultis favoribus aliisque gratiis universis, tam spiritualibus, quam temporalibus aliis Monasteriis Monialium dicti Ordinis, & presertim memorato Monasterio Oppidi de Burano, earumque Abbatissis, seu Priorissis, & Monialibus, aliisque personis, & Christifidelibus illorum Ecclesias visitantibus in generali, vel in specie, & per viam simplicis communionis, vel alias quomodolibet concessis dummodo sint in usu, nec hactenus revocata, ac Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, maximeque Concilii Tridentini decretis, & regularibus dicti Ordinis institutis non adversentur, ac imposterum concedentur, & quibus illa, vel illæ de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur fruuntur, & gaudent, ac uti frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum similiter absque ulla prorsus differentia, uti frui potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter absque ulla prorsus differentia in omnibus & per omnia, perinde, ac si illi monasterio novo illiusque Abbatissæ, seu Priorissæ Monialibus, & personis hujusmodi specialiter & expresse concessa essent dicta auctoritate etiam concedas, & indulgeas. Ad hæc Abbatissæ, seu Priorissæ, ac Monialibus, & Conventui dicti Monasterii erigendi quecunque statuta, ordinationes, institutiones capitula & decreta ad ipsius Monasterii, ejusque personarum rerum, bonorum, & jurium perpetuam directionem gubernniumque, & administrationem, ac monialium prædictarum receptionem, probationem, admissionem, ætatem, conditiones, usum & regulam, disciplinam quomodolibet spectantia, & pertinentia, ac alia honesta, & rationabilia, sacrisque Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus Conciliique Tridentini Decretis, & Ordinationibus, ac Regulæ similiter minime contraria, & a te, seu pro tempore existente Patriarcha Venetiarum examinanda, & approbanda fa-

ciendi, & condendi, & quoties pro rerum, & temporum qualitate expediens videbitur prævia tua, & pro tempore existentis Patriarchæ approbatione, corrigendi, & moderandi, & si opus fuerit abrogandi, ac etiam alia ex integro condendi facultatem, & auctoritatem prædicta auctoritate impartiaris. Demum tibi Puellas in Monasterium novum hujusmodi introducendi, nec non pro illarum directione, ac in ritibus, moribus, & institutis Regularibus dicti Ordinis instructione dictam Mariam Benedictam, & alias duas Moniales expresse professas memorati Monasterii Oppidi de Burano peritia gubernandi præditas ex earum Monasterio de illarum Superiorum licentia assumendi, & ad dictum novum Monasterium ibi perpetuo mansuras, ita quod sese in habitu, & aliis regularibus dicti Ordinis institutis omnino conformare debeant, ac ad Abbatissæ, seu Priorissæ, aliaque officia ejusdem Monasterii novi assumi, illaque gerere, & excercere possint sub debito tempore, modo, & forma præmissis, obtenta tamen prius quo ad ipsas Institutrices particulari licentia Congregationis memoratorum Cardinalium transferendi facultatem dicta auctoritate earumdem, tenore præsentium tribuimus, & impartimur. Decernentes ipsas præsentes gratias sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, restrictionibus, ac aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices sub quibusvis verborum expressionibus, & formis motu proprio pro tempore faciendis minime comprehendi, vel comprehensas censeri, sed tanquam pro fundatione Monasterii erigendi ad Religionis, divinique cultus, & bonorum piorumque operum augmentum concessas semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, & de novo, etiam sub quacunque posteriori data per Abbatissam, seu Priorissam, & Moniales Monasterii erigendi prædicti quandocunque eligenda concessas, firmasque, & validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices, Ordinarios, & delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, & de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Monasteriorum quorumvis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus Conventibus Monialibus, & personis quibuscunque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, & si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus spetialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die 11. Novembris MDCLVII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

C. Gualterius.

DE



DE ECCLESIA PAROCHIALI SANCTÆ MARIÆ FORMOSÆ.

NON uno in loco hujus operis Sanctum Magnum Episcopum Opiterginum memoravi, de quo iterum, & sæpius dixi, sævientibus Longobardorum incursionibus, & Rothario Rege Opitergium arcta obsidione premente, eum Venetias una cum Opiterginis quamplurimis concessisse, ibique populum adhuc rudem armisque, & nauticæ in primis addictum Sanctimoniæ exemplis, & piis adhortationibus ad majorem erga Deum, & Cælites pietatem incitasse. Ea de causa plures divino nutu Ecclesias fundavit, quas inter venit in primis Ecclesia S. Mariæ Formosæ. Hanc, ut habet vetus traditio, ipsamet Deipara sibi extrui, & dicari jussit. Oranti enim Sancto Viro conspiciendam se dedit, & ibi, inquit, Templum meo nomini sacrum excitabis, ubi candidam nubem suspensam adspexeris. Nec mora, dum ille ad exequendum imperium obambulat, nubem formosissimam loco, ubi nunc est Ecclesia, insistentem vidit. Inde novo Templo nomen S. Mariæ Formosæ inditum est, quod primum fuit Venetiis Deiparæ sacrum, & ad annum circiter sexcentesimum trigesimum nonum referri debet.

Si fides habenda sit Sansovino, Joannes Sanudo Episcopus Olivolensis hanc Ecclesiam reædificavit duobus ferme post sæculis nempe anno 842. At Dandulus in Chronico post annum 864. narrat Ecclesiam S. Mariæ Formosæ vetustate collabentem a filiis Marini Patritii fuisse refectam. Hæc lib. VIII. cap. V. part. IV. *Per hos dies Ecclesia S. Mariæ Formosæ, quæ vetustate pæne consumpta erat, a filiis Marini Patritii consolidata est*. Apud sanioris critices eruditos Danduli authoritas, quippe magis antiqui & accurati Scriptoris, longe præponderat.

Anno 1060. Henricus VIII. Episcopus Methamaucensis Parochiali Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ Venetiarum cessit terram quamdam & hortum positum in Palestina, quæ omnia ad Methamaucensem Episcopatum pertinere antea contendebat; cujus cessionis instrumentum Dominici Contareni Ducis manu subscriptum e Tabulario Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ eductum in Italiæ Sacræ Tom. X. affertur inter Episcopatus antiquatos col. 134.

Contigit anno millesimo centesimo quinto memorabile illud incendium quod, ut cætera omittam, Ecclesias vigintiduas absumpsit, adeo vorax flamma per Urbem victrix discurrit. De eo Dandulus lib. IX. cap. XI. ad annum 1105. " *Post LXIX.* „ dies eadem clades ex Hospitio Cavetiani de Gemino suborta, Ecclesias, & habitacula S. Laurentii, S. Severi, S. Zachariæ, S. Proculi, S. Scolasticæ, S. Mariæ Formosæ, S. Bassi, S. Juliani, cum aliquali parte Capellæ & Palatii Ducalis, S. Geminiani, S. Moysis, S. Mariæ Jubenico, S. Mauritii, S. Angeli, S. Paterniani, S. Vitalis, S. Samuelis, S. Gregorii, S. Agnetis, S. Gervasii, S. Barnabæ, S. Basilii, S. Raphaelis, S. Nicolai de Dorsoduro, pariter consumptæ sunt. Quod licet incredibile propter ejus extensionem appareat, verumtamen indagantibus, & materiam consumptibilem ædificiorum considerantibus hæc digna relatu haberi „ *possunt*". Templum S. Mariæ Formosæ quod in cineres totum abierat familia Tribuna (Memmi postea dicti sunt) restituit, ultimam tamen manum admovit Paulus Barbetta anno millesimo centesimo septuagesimo quinto. Notatu autem dignum est, in hoc ædificio quamdam veluti imaginem Templi Divi Marci exhiberi, prout sibi operis magister, & auctor proposuisse videtur, demptis tamen atriis, & cæteris partibus

tibus exterioribus, quas addi loci angustiæ, & ingentes sumptus faciendi non permiserunt.

Credibile est vel incendium cremasse, vel parietum lapsorum rudera obruisse sacras reliquias, Corpora scilicet SS. Nicodemi, & Saturnini, atque Caput S. Romani Monachi. Hisce thesauris Ecclesiam ditaverat Petrus Tribunus Episcopus Olivolensis Petri Tribuni Ducis filius, qui pietatem majorum suorum in Ecclesia restituenda æmulatus tali munere cumulavit. Donationem hanc ab Episcopo factam memorat Dandulus lib. VIII. cap. XI. part. VIII. sub Petro Candiano, quem scimus renunciatum fuisse Ducem anno 932. " Hic (Petrus Tribunus Episcopus) corpora SS. Saturnini, & Nicodemi Presbyteri cum capite S. Romani Monaci Venetias nunc translata in Ecclesia S. Mariæ Formosæ, quam sui Progenitores fabricaverant, devotissime *collocavit*.

Ex Dandulo itaque corrigendi veniunt Ughellus in Patriarchis Venetiarum Tom. V. col. 1199. & Sansovinus ad S. Mariæ Formosæ Ecclesiam, quorum primus initia suscepti a Petro Episcopatus reponit ad annum 971. alter vero ad annum 992.

Per quatuor & ultra sæcula a sui reædificatione duravit Ecclesia, donec anno 1689. ex valido terræ motus impetu concussa magna ex parte corruit; cujus ruinæ damna miseratus Turrinus Tononius æque pius, ac dives mercator magnis impensis ornatiorem restituit.

Duo ex Istrico marmore assurgunt exteriores Ecclesiæ prospectus ex Familiæ Capellæ pietate. Vincentius Capello laudatissimus Venetæ classis Dux, & Divi Marci Procurator prospectum ad rivi partes positum, in quo ejus pedestris statua conspicitur, extrui mandavit; alterum ex testamento legavit Vincentius itidem Capello Vicentii supralaudati nepos. Adjacent primo ex utroque latere hæ epigraphes.

" Vincentius Capellus Maritimarum Rerum Peritissimus, Et
" Antiquiorum Laudibus Par. Triremium Onerariarum Præfe-
" ctus, Ab Henrico VII. Britanniæ Rege Insigne Donatus,
" Classis Legatus V. Imperator Desig. Ter Classem Deduxit.
" Collapsam Navalem Disciplinam Restituit. Ad Zacinthum
" Aulæ Cæsaris Legato Priscam Venetam Virtutem Ostendit.
" In Ambracio Sinu Barbarussam Ottomanicæ Classis Du-
" cem Inclusit, Postridie ad Internecionem Deleturus, Nisi
" Fata

„ Fata Christianis Adversa Vetuissent. In Rizonico Sinu Ca-
„ stro Novo Expugnato Divi Marci Proc. Universæ Reip.
„ Consensu Creatus, In Patria Moritur, Totius Civitatis Mœ-
„ rore. Anno Ætatis LXXII. MDXLI. XIV. Kal. Septemb.

Secundus has exhibet inscriptiones

„ Vincentius Cappellus Vincentii Cappelli Proc. Nepos,
„ Senator Maximis Reip. Negotiis Quandiu Vixit Egregia
„ cum Laude Versatus, Amplissimis Dignitatibus Honorifice
„ Persunctus, Frontispicium Hoc Ad B. Virginis Cultum Re-
„ tinendum, Et Amplificandum, In hanc Illustriorem For-
„ mam Construi Debere Ex Testamento Mandavit. Domini-
„ cus Hieronymus, Et Nicolaus Paternam Pietatem Venerantes
„ Quam Celerrime Fieri Curarunt. Vixit Annos LXXXI. Mens. V.
„ D. IV. Obiit Anno Salutis MDCIV.

„ Dominicus Cappellus Vincentii Filius, Generis Ampli-
„ tudine, Ingenii Præstantia, Animique Candore Clarus, Ma-
„ joribus Suis Æque Par, Omnigenæ Virtutis, Non Aditus
„ Sed Adita Introspiciens, Moribus Antiquis, Nova Industria,
„ Integram Excoluit Innocentiam Summo Patriæ Amore Fla-
„ grans, Vig. Studio Stadio Urbis Magistratuum Excurso, cum
„ Citra Censuram Omnia Gereret, Censoriam Jure Induit Po-
„ testatem Salutaris Consiliorum Sæpe Repetita Purpura, Con-
„ siliarii Dignitate Enituit. Præclarum Sæculo Senatoris Opti-
„ mi Exemplum.

D. O. M.

„ Vincentio Capello Dominici Filio D. Marci Proc. Reip.
„ Genio Genitus, Senatuique Nato. Domi, Foris, Utrobi-
„ que Uni Pietate, Prudentia, Probitate, Munificentia, qui
„ omnia Fere Patriæ Munia Integre Sapienterque Peregit,
„ Foro Julio Præfuit Ex Æquo Ac profuit. Paravino Gemi-
„ nato Regimine, Unice Exibuit Bis Patrem. Procuratoriis
„ Fascibus, Insigni Enituit Dignitate, & virtute. Mortale
„ Promerenti Monumentum Patri Simul, Ac sibi Extructum,
„ Posuere Aloysius Molinus Ejus Privignus Eques, Domini-
„ cus Zenus Nepos, Nicolaus Venerius Pronepos, Suæ Vo-
„ luntati Ex Testamento Obsequentiss.

Ad Altare quod magnificentissimo opere Divo Josepho sa-
crum

crum erigi ex voto mandavit Antonius Grimani Episcopus Torcellanus primum, mox Patriarcha Aquilejensis, asservatur præcipua veneratione Deiparæ imago, quæ prodigiis coruscans anno 1612. die 29. Junii e pariete privatæ domus in sacrum Virgineum Templum per manus Francisci Vendrameni Patriarchæ Venetiarum solemni pompa delata fuit, in cujus rei perennem memoriam adjecta est altari hæc epigraphe:

„ Testimonium hic est immortale propensi huic domui cæ-
„ li in hac parietis parte depictum Mariæ Virginis matris
„ simulacrum suum præstantissimum nomen variis eximiis mi-
„ raculis significavit, probavit; quod uti religiosius coleretur,
„ & sanctius Franciscus Vendraminus Patriarcha circumspe-
„ ctissima sanctione ex hisce privatis præfatis ædibus ad illam
„ publicam sacram ædem, quæ Formosæ Mariæ dicata est,
„ rite transferri curavit, ad aramque donatam collocari CIↃ.IↃ.C.X.
„ Aloysius F. Donatus hunc titulum memoriæ causa, & ve-
„ nerationis.

In veteri etiam loco prope pontem, quo a Divæ Mariæ Formosæ area iter aperitur ad Divæ Marinæ Ecclesiam, in quo pridem loco prodigiosa effigies miraculorum signis clarueerat, lapis affixus fuit translationis peractæ testimonium exhibens.

„ Admirandæ Imaginis Sanctissimæ Deiparæ Hinc Erutæ,
„ Et in proximi Templi Ara Gentis Donatæ Repositæ Ve-
„ stigia Hic venerare Viator. Ast ibi Supplex esto. Et inopta-
„ tis occurret. Tertio Kal. Julii Anno Millesimo Sexcentesi-
„ mo Duodecimo.

Corpus S. Venusti M. quod e Romano Cœmeterio Priscillæ deductum ad hanc Ecclesiam translatum fuit anno 1675. colitur ad aram, quam Angeli Custodis nomine vocant; ubi & plura alia Sanctorum lipsana asservantur. Hanc aram ad sinistrum Sacelli majoris latus e selectis marmoribus excitavit, Divoque Francisco Serafico dicavit Familia Quirina; ex qua prodierunt splendidissima Sanctitatis, & doctrinæ lumina Beatus Franciscus Patriarcha Gradensis, olim hujus Ecclesiæ Plebanus, & amplissimus S. R. E. Cardinalis Angelus Maria Episcopus Brixiensis.

Per diversas quoque Ecclesiæ Aras plurima Divorum ossa decentibus loculis asservata quiescunt. Sacerdotale Collegium Plebanus, quatuor Presbyteri, duo Diaconi, totidemque Subdiaconi,

coni, atque quatuor Clerici, quos Acolythos vocant, efficiunt. Hi omnes Divina Misteria assidue celebrando frequentant Ecclesiam, quæ Matricis honore insignita novem sub se numerat filiales Ecclesias; S. Proculi, S. Joannis in Oleo, vulgo Novi, S. Leonis, S. Marinæ, S. Mariæ Novæ, S. Joannis Chrysostomi, SS. Apostolorum, S. Sophiæ, atque S. Felicis. Unius etiam ex Veneti Cleri Congregationibus Mater est, quæ anno 1145. instituta exinde Sanctæ Mariæ Formosæ titulo vocari cœpit.

Antiquissimum sodalitium Deiparæ sub Præsentationis vocabulo sacrum in hac Ecclesia erectum fuisse traditur anno 933. officia suæ pietatis in immediate proximo Oratorio ex capitulari assensu exercens. Inter reliquas vero Confraternitates ea celeberrima est, quæ sub Sanctissimæ Triadis titulo, & patrocinio ad Aram principem anno 1604. instituta illud in primis Christianæ charitatis officium præcipuum habet, ut captivos Christifideles pio ære a Turcarum tyrannide eximat.

Ex antiquo instituto Duces Venetiarum tenentur, quo velint tempore & etiam ex testamento post mortem pallium, vel aureum, vel argenteum offerre huic Ecclesiæ, quæ quotannis solemni pompa comitante Senatu ab ipsis invisitur Kalendis Februarii in Pervigilio Purificationis Deiparæ. Vetus traditio fert Divum Petrum Urseolum exemplo præisse, sed ea nulli monumento innititur. Horum omnium causam affert Sansovinus lib. XII. quam ab antiquioribus Rerum Venetarum Chronologis hausit.

Tergestini olim pyratæ, ex rapto vivere assueti cum incrementis Venetæ Urbis perdite inviderent, prædamque ex illa avidissime appeterent, in tantum sceleris, atque perfidiæ devenerunt, ut Venetas Virgines rapere, earumque dotibus, & ornamentis ditescere conjuraverint. Noverant pridie Kalendas Februarii popularium Venetorum Matrimonia in Divi Petri coram Episcopo magna cum celebritate contrahi, diemque illam apparatu splendidissimo esse Civibus, & præsertim fœminis, ut est earum ingenium, præ cæteris solemnem. Anno itaque (ut Authores communiter) 943. Triremem viris manu, & audacia promptis complent, qui per opportuna noctis silentia ad ripam Castelli appulsi post Episcopi domos taciti conquiescunt. Ubi lux affulsit, & opportunum tempus advenit,

nit, dum populus nihil tale cogitat, & in plausus nuptiales totus effunditur, emicant repente ex insidiis Tergestini, nudisque gladiis mortem minitantes, si quis obstaret, celerrime in nuptas manum injiciunt, quas cum divitiis asportant. Raptarum clamor, vocesque eorum qui sibi fuga consulebant totam pene suis sedibus Civitatem excitarunt. Confestim magno cum tumultu rates, quæcunque obvenerunt, conscenduntur; ceterosque omnes numero, & vindictæ amore præeunt lignarii capsarum artifices vulgo *Casseleri* ex vicinia S. Mariæ Formosæ, qui remis, velisque instando raptores proxime insequuti deprehendunt illos eadem die in littore Caprulensi spolia dividentes, iisque ad internecionem deletis, Virgines adhuc exanimes earumque opes receperunt. Fabri, quos supra diximus, lignarii, quorum virtuti præcipue adscripta est victoria, e vestigio Ducem, & Primates Reipublicæ adeunt, a quibus, quale sibi præmium dari optent, interrogantur. Illi pro eorum temporum laudabili simplicitate sibi gratissimum fore dicunt, si Princeps ejusque conjux quique ex Magistratibus Principis lateri adstant quotannis eorum Parœciam Deo gratias acturi inviserent. Quibus Princeps: quid vero si Cœlum sit pluvium? Dabimus, inquiunt, pileos quibus caput operiatis, immo nec vinum deerit si forte sitis urgeat. Hinc morem deductum perhibent, ut Plebanus populi nomine accedenti Principi duas phialas vini Cretici, & duo aurantia mala, tum duos pileos, populare munus offerat.

Res tanta tam prospere, & celeriter gesta, nuptæque Virgines connubio & patriæ restitutæ ansam dederunt populari pompæ, quam vulgus Festum Mariarum appellavit, & quam Leges Venetæ nobilem & celeberrimam vocant, eo quia finitimæ gentes visendi studio certatim quotannis accurrerent. Hoc ea ordine transigebatur.

Qui præsunt populo in diversis Urbis regionibus una cogebantur in Templo, sortesque jaciebant quibusnam Parœciis contingeret muliebri ornatu Marias (scilicet Virgines suffragiis electas) decorare. Illas priscis temporibus ad duodecim fuisse constat. An. tamen 1272. Principis decretum quatuor dumtaxat esse voluit, quæ tamen sex in domibus comerentur, & ornarentur. Qua id de causa, non ausim affirmare: crediderim tamen ad compescendas rixas, & populares tumultus tollen-

dos. Ingens enim inter populares æmulatio erat, quinam facie & ornatu elegantiorem venustioremque haberet Mariam. Præstantiores forma eligebantur, nisi forte hæc Paridis judicia consanguinitas, & necessitudo vitiasset. Gemmæ pretiosiores, sericæ vestes auro, & argento intextæ, quidquid nugarum habet fœmineus mundus ad illas ornandas congerebatur. Coronas etiam adhibebant, & pectoralia quæ in Divi Marci Templo asservantur. Tanti momenti Provinciam in se recipiebant iidem Populi ædiles, hoc enim vocabulo eos appellare licet a pompæ publicæ instituendæ munere, quod tanto in honore apud multitudinem habebatur, ut Magnatum commendatione interposita illud sibi certatim eriperent, nec pecuniæ parcerent ut popularem auram aucuparentur. Cæterum legibus cautum erat ne impensa mille nummos argenteos (Venetis Ducatos) excederent.

Præmisso rerum omnium apparatu ad diem & horam dictam sic pompa procedebat. Mariæ levibus navigiis auro & ostro fulgentibus impositæ civiumque oculis eminus conspicuæ ad Palatium Divi Marci inter festivas populi voces, & incredibilem cymbarum numerum accedebant, ut inde Principem, & Primates deducerent. Peculiari lege sancitum fuit Anno 1293. ne ratis ulla Mariam deferens columnas Fori ante præteriret, quam Dux regiam navim (Bucentaurum tunc etiam appellabant) conscendisset. Statutis pœnis in eos animadvertebatur, qui a recepta consuetudine vel leviter declinassent, & pœna ex æquo afficiebantur non adducentes solum, sed & recipientes aliquam ex ornatis Virginibus præter morem, vel horam lege statutam. Ubi Dux præcessisset, una omnes eo ordine quem sors, vel mos definiebat, sequebantur ad Templum D. Petri Castellani. Ibi sacra solemnia celebrabantur, Deoque grates debitæ pro victoria contra Tergestinos pro Nuptis, & opibus receptis rite persolvebantur. Biduo insequenti (nam triduum integrum tenebant hæc Festa) Mariæ per celebriora Urbis loca hac illac magna semper populi caterva comitante distrahebantur. Non raro repentini tumultus in mobili vulgo exorti sunt, dum quisque se præ vicino Mariæ præsentia decorari ambit. Apud fœminas de summa rerum in hoc agebatur. Ut plurimum, nisi peculiaris commendatio intervenisset, consanguineos, & affines Mariæ tanto hoc honore dignabantur,

tur, ibique inter convivia & choreas, & omne popularis lætitiæ genus diem integrum transigebant.

Quarto decimo Ducis Petri Polani anno qui annus est æræ communis 1143. (refert Dandulus in Chronico l. IX. cap. XIII. part. X.) " *Processionis* Scholarum antiquitus institutæ, subor-
" tum litigium ex petitione S. Mariæ Formosæ devotæ plebis
" dicentis, illam rivum, qui Bodefontici nominatur, intrare
" debere, & processionaliter ad eorum Ecclesiam accedere,
" hic Dux sic statuendo sopivit. Sane Prædecessores nostri vi-
" ri Religiosi jussere, & Clerus, & Populus cum devotione
" decreverunt, ut in unoquoque anno in Purificationis Beatæ
" Mariæ die, ad honorem Dei, & ipsius Virginis Processio
" Scholarum fieret, quæ ab ipsis, quorum exercitio optantur,
" eorumdem cura ipsæ Scholæ eodem die usque ad Ducis Pa-
" latium deberent deduci, ibique benedictione accepta, quæ
" ab eo pro Palatii dignitate datur, deberent deduci ad San-
" ctum Petrum Castellanum Episcopatum, ibique deberent
" repræsentari, & cantata Missa ipsa Processio proficisceretur
" usque ad ripam S. Marci de Brolio, & ibi repræsentari.
" Episcopus autem Pontificalibus indutus vestibus, una cum
" Altaris ministris, Abbatibus, & aliis Clericis, devote in
" laudem Dei, & ejus Genitricis gloriam canendo Processio-
" nem sequi deberent usque ad ipsam ripam. Postea hi Pala-
" tium ascendant, & cum Duce, & Nobilibus, & Capella-
" nis processionaliter in Ecclesiam S. Marci se dirigant, be-
" nedictisque candelis renovetur Processio usque ad ripam, &
" cum Sclavis usque ad rivum Fontici nuncupatum; & si aqua
" permiserit per eumdem rivum ad Ecclesiam S. Mariæ For-
" mosæ; si autem ex parvitate aquæ id fieri nequiret, usque
" ad Canalis exitum eadem Processio dirigatur. Quæ solem-
" nitas hodie in triduo tripartita peragitur.

Ducale Decretum quo ordo Processionis Scholarum perpetuo duraturus statuitur, a Clarissimis Viris Ludovico Muratorio, e Ferdinando Ughello aliisque antiquarum rerum collectoribus ex integro affertur.

Obsequia a Plebano S. Mariæ Formosæ Episcopo Castellano statutis diebus præstanda in antiquo Codice Patriarchalis Archivii recensentur, quorum præcipua ad festivam Virgineæ

Purificationis diem, atque ad solemnem *Mariarum* pompam referuntur. Hæc sunt:

„ *Ex Veteri Catastico Episcoporum Castellanorum.*

„ Declaratur quædam consuetudo quam tenetur observare „ Plebanus Sanctæ Mariæ Formosæ D. Episcopo Castellano „ die Epiphaniæ, die conversionis S. Pauli, & die Purificatio„nis S. Mariæ.

„ In primis die Epiphanie ante terciam tenetur dictus ple„banus mittere dicto D. Episcopo Castellano per Subdiaco„num dictæ Ecclesiæ duo paria bonarum aucellarum, vel „ ariatrarum cum pedibus rubeis, & tunc dictus D. Episcopus „ tenetur dare dicto Subdiacono prandium.

„ Item die conversionis S. Pauli tenetur dictus Plebanus per „ nonam, & ante Vesperas ire cum toto suo capitulo ad Ca„stellum, & invitare Dominum Episcopum Castellanum ad „ festum Purificationis S. Mariæ, & ad prandium eciam, & „ si non iverit, vel non steterit in prandio, tunc dictus Ple„banus tenetur dicto D. Episcopo, ut dictum est in Pleba„nis, & tunc tenetur dictus D. Episcopus dare dicto Pleba„no, & suo Capitulo potum de duobus vinis scilicet de ri„bolio, & vino Marchie, vel de alio vino meliori.

„ Item die Purificationis S. Mariæ tenetur Plebanus prædi„ctus summo mane mittere ad Castellum duas barchas cum „ octo hominibus qui debeant remolclare plactum dicti D. E„piscopi sequendo Marias.

„ Item debet ipsa hora mittere unum presbiterum, & unum „ diaconum, & unum subdiaconum ad dictum Castellum cum „ xv. candellis de libra una, & media, & uncias duas incen„si, & cum paramentis sui officii, quæ candellæ debent be„nedici ad missam S. Mariæ, & sunt destribuendæ per Dom. „ Episcopum inter Canonicos, & alios. Et missa cantata di„ctus Dom. Episcopus, vel major Ecclesiæ Sacerdos, vel cui „ voluerit supradictus Dom. Episcopus committere amicto ca„miscia, stola, & pluviale, & cum mitra inducto Episcopo, „ & suste in manibus debet in modum processionis cum Cru„ce, & turribulo exire de Ecclesia majori cum clericis suis

„ ad

„ ad benedicendum Marias si fuerint preparatæ presbytero S.
„ Mariæ Formosæ a dextris, & Diacono a sinistris processionaliter de Ecclesia majori ad Ecclesiam S. Johannis Baptistæ
„ volvendo campanile eundo ad cavanam, & debet in primis
„ ipse D. Episcopus incipere ad Marias quæ erunt apud cavanam dare benedictionem Mariis usque ad finem, & est consuetudo quod nullum de plactis Mariarum debet recedere a
„ ripa nisi benedictio sit completa, & facta benedictione ad
„ ripam, tunc illi qui erunt in campanile debent pulsare campanas, & illa hora pons debet levari, & non antea, & remotis omnibus plactis a ripa, & transactis ultra monasterium S. Elene de littore tunc poterit D. Episcopus cum clericis suis, & Capitulo residente, & Clericis S. Mariæ Formosæ intrare plactum, & barche misse per Plebanum S. Mariæ Formosæ debent remorclare dictum plactum, & cum perventum fuerit ad ripam S. Marci si placuerit D. Episcopo poterit exire, & intrare ecclesiam B. Marci, ac visitare D. Ducem, & si non secundum quod consuetudo est exire, & esse in ecclesia, & sociare eum, & ibi benedicuntur candelle per unum de Capitulo S. Marci, aut per Primicerium si voluerit, & postea distribuuntur secundum consuetudinem illius ecclesiæ. Et omnibus expletis debet cum clericis suprascriptis sociare D. Ducem usque ad bucentorium, & postea intrare plactum & sequi marias usque ad ripam fontici thetonicorum, & ibi erunt barche predicte a placto absolute, & tunc debent remigare domicelli, vel alia familia D. Episcopi usque ad ripam Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ & ibi D. Episcopus debet intrare Ecclesiam, & cum fuerit super hostium Ecclesie Plebanus debet preparare sibi aquam sanctam, incensum, & anconam, & ipse D. Episcopus debet dare benedictionem preparando panum de seta super pavimentum coram eo in Ecclesia predicta hoc & expleto debet intrare in sacrarium, & preparare se ad missam celebrandam, si sibi placuerit, vel ipsam missam committere alteri. Et cantata missa debet remeare cum canonicis castellum, & familia sua ibi in prandio, & si non placuerit sibi ibi prandere tenetur ei D. Plebanus dare prædicto prandio suprascripto v. Grossorum, & sic de omnibus supradictis tenetur dictus Plebanus dicto D. Episcopo omni anno in om-

„ nibus

„ nibus observare. Et hæc est processio que fit pro plebanatu „ in dicta Purificatione S. Mariæ.

Cum vero Veneti anno 1379. acerrimo Januensium bello vexati de imperio & libertate tuenda serio cogitarent, factum est, ut dum de bello comparando unice solliciti meditantur, ludricis hisce pompis finis imponeretur consuetudine tantummodo invisendæ Ecclesiæ sanctius servata. Rem, & rei causam eleganti Epigrammate inclusit Bernardus Georgius Senator Venetus quod a Sansovino allatum libet hic afferre:

Cur nam Febrarii Formosæ ad Templa Calendis
Nullo non anno Duxque Senatus eant
Si nescis causam, paucis (adverte) docebo,
Nam vetus, atque recens hoc monet historia.
Abstulerat nostras prædo ex Tergeste puellas
E templo vellent cum remeare domum,
Per mare lignorum Fabri hos ex urbe secuti
Devictos omnes pœne dedere neci.
Unde Senatores gavisi cæde latronum,
Nuptarum reduci virginitate simul,
Munere pro tanto statuerunt festa Mariæ
Annua jure illo concelebranda die.

Fusius Mariarum pompam expressit Pax Foroliviensis Artium in Patavino Lyceo Professor Elegiaco Poemate quod Petro Gradonico Venetiarum Duci inscripsit. Hoc e ms. codice publicæ D. Marci Bibliothecæ excerpsit non levi labore ob incomptos nimis, & implicatos characterum nexus Cl. V. Hieronymus Zanetti, cujus diligentia opusculum situ blattisque pene obliteratum, & attritum a graviorum temporum injuria servatum est.

Poematis authorem *Pacem de Forlivio in studio Paduano artium M.* sub finem XIII. sæculi floruisse, & ineunte XIV. versus hocce vulgasse ex eo deprehenditur quod Petro Gradonico ad Ducale fastigium anno 1289. evecto opusculum inscribatur, atque in eo (quum reliqua Ducis illius gesta recenseat) de percelebri Boemundi Theupoli conspiratione, quæ anno 1310. accidisse constat, neque leviter auctor quidquam attigerit. Addendum erit Pacis nomen ad Vitas Virorum Illustrium

ſtrium Forolivienſium per Cl. V. Georgium Vuccanum Marcheſium concinnatas.

De Feſto Mariarum olim Venetiis celebrato Poematium Pacis de Forlivio. E Mss. Cod. S. Marci Venetiarum.

„ *Illuſtriſſimo & Magnificentiſſimo Domino Petro Gradonico*
„ *Venet. &c. Pax de Forlivio M. Artium in Studio Paduano,*
„ *devotam ſuæ parvitatis obedientiam ad mandata.*

„ SOlet Principum eſſe natura, ut licet prima fronte pru-
„ denter cordis (ſic) tum attentionem libenter, tum præ-
„ cipue propriis laudibus acquieſçant cum ſuæ probitatis con-
„ ſoni oris (ſic) non ad aſſentationem adblandiloquam, ſed
„ ad ſubmiſſæ devotionis expreſſionem noverint a ſubdi.....
„ celeriter enarrari. Sane Veſtræ Celſitudinis celebris fama dif-
„ fuſa per populos, interceſſione quorumdam veſtrorum Ci-
„ vium nunc mecum in Studio permanentium, in hanc te-
„ meritatis audaciam me induxit, ut breve veſtræ annuæ ſo-
„ lemnitatis typum, imminente nunc Feſto Dominationis Ve-
„ ſtræ nomini, honorique deſcriberem. Quo vero Libellum
„ Vobis oblatum non ratione ſcribentis, verum ſublimitate ma-
„ teriæ acceptum habere dignemini, ſcribendi veniam de om-
„ miſſis, quæ & temporis brevitas, & occupationum, & præ
„ omnibus induſtriæ parvitas penes Veſtram Clementiam ex-
„ cuſabit.

„ *Incipit Brevis Deſcriptio Feſti Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ*
„ *ad honorem illuſtriſſimi Ducis Venetorum Petri Gradonico.*

REX maris Adriaci, Venetæ Dux inclyte gentis,
 Petre, manes celſo jam Gradonice gradu.
Plena tuis titulis ſancti ſolempnia Feſti
 Suſcipe devoto carmine ſcripta tibi.
Nam licet egregiæ polluto Virginis ore
 Eximias dotes ſit ceciniſſe nefas;
Summa tamen veniam ſperat devotio vatis,
 Huic operi vires numine dante tuo.
Res tragica reſonanda tuba, dignoque boatu,

Gran-

Grandiloquisque forent Festa canenda modis.
Sic etiam decuit vestræ præconia gentis
Sublimi populis nota referre stilo.
Sed cum non habeat tantum mens inscia robur
Prætendat levibus texere summa metris.

Ut si tranquillum fælix audacia portum
Attigerit, tendat ad meliora chelym.
Ergo precor nostro faveas Dux maxime cœpto
Cum referam gentis annua festa tuæ
Tuque tui nati divinum impende favorem
Æterni Mater Virgo benigna Dei.

Gens devota Deo, Teucrorum clara propago
Illirico posuit mænia pulcra salo.
Pergama non fuerant tanto speciosa decore
Cum petiit raptam Græcia tota nurum.
Diva quidem Phrygiam reparans tutela ruinam
Transtulit Iliacos per freta longa Deos.
In Latium Ænæas Siculis deductus ab undis
Romuleæ tandem gentis origo fuit.
Tutus at Adriacas veniens Anthenor in oras,
Providus Illirici cœpit amæna sinus.
Euganeosque fugans, Enetos, Troasque locavit,
Et Venetum genti nomen utrique dedit.
Pluraque cum starent Venetæ fundamina gentis
Tentavit pelagi subdere jura sibi.
Urbs quoque paulatim mediis fundatur in undis,
Quæ caput & regni summa sit una novi.
Inde tenet nomen multis commune, regensque
Tot populos sceptro multiplicata sono est.
Jamque adeo crevit (sic) vulgata per orbem,
Roma sit ut Venetâ viribus Urbe minor.
Finitimis etiam populis invisa, remotos
Vincit & imperitat per maris omne latus.
Ulta quidem patres, victis dominatur Achivis:
Fræna dedit domitis hostibus usque suis.
Sic soli subjecta Deo gens inclyta summo
Cœlica solemni numina more colit.

Flu-

Fluctibus & Venetis obnoxia numina placat
Sæpius, ut cœli promereatur opem.
Aspice Sanctorum latum (sic) destructa per orbem
Plurima conspicuo templa dicata situ.
Aurea marmoreis fulgent delubra columnis,
Quæ corpus servant, Marce beate, tuum.
Annua quum etiam sacræ sub honore Mariæ
Festa coli prisci constituere Patres;
Non ingrata Deo pietas: solemnia Matri
Majorum morem continuando facit.
Cumque toto Virgo (sic) celebretur in anno,
Una magis Venetis est venerata dies;
Qua Domini Mater, fœlixque puerpera partu
Ad templum ob Legem purificanda venit.
Regifer æterno disponens omnia nutu
Impleat ut Legem, Matre ferente, subit.
Immaculata Dei Genitrix, illæsaque partu
Virgo manens, nullo purificata redit.
Hunc igitur celebrem renovat gens provida morem,
Lætitiamque dies omnibus ista refert.

PRINCIPIO linquunt cunctæ navalia puppes,
Occupat innumeras plebs numerosa rates;
Quæ simulacra ferant sacræ preciosa Mariæ:
Exornant naves picta tapeta pares.
Tunc omnes panduntur opes, argentea fulgent
Vasa: nitens aurum vasa nitore præit.
Quidquid ab externis ..... cepere colonis
Tunc patet æquoreis, gazaque parta vadis.
Virginis effigiem vario pictura colore
Ornat, & in (sic) cultu sit quasi viva placet.
Linea materies tanto ditata decore
Fertur, & egregias fert ratis illa ......
Urbis in extremo locus est Castellicus unde,
Præsulis assumpto numine, classis abit.
Turba Sacerdotum psalmos, & carmina læta
Concinit, & Christi prævia signa gerit.
Quatuor in magnis Virgo veneranda carinis
Fertur, & unius trina figura patet.

Permagnoque pares geminæ tunc æquore puppes
Percurrunt; positum prævia munus habet.
Ut solet in cursu fieri certamen equorum,
Cum longi cursus præmia victor habet.
Utque tenent Sancti puppes navalia Marci,
Expectat (sic) classis itura Ducem.
Pulcrior in portu Domino fabricata, (sic) Bucentaurum
Nomine, puppis adest robore texta levi.
Apta Ducis sedes auro velatur & ostro
Unde sedens populum cernat ubique suum.
Hanc Gradonicus adit; Dux illustrissimus omni
Vir probitate nitens, gentis honore prior.
Magnificus, prudens, justus, facundus, honestus;
Petre, gigas animi, sed probitate Leo
Exornat corpus robustum tanta venustas,
Imperio species ut sua digna foret.
Hunc merito fecere Ducem, sapientia cujus
Lege regens Cives, moribus ornat eos.
Hic virtute sua prudens, & cautus in hostes
Pervigil in tuta mœnia pace regit.
Nam licet egregios præsumat livor in actus,
Et Ducis, & Populi dente lacessat opus
Attamen invidiæ superat sua gloria morsus,
Nam pacata regit æquora Marte suo.
Ipse Triestini relevans dispendia belli,
Audacis populi sub juga colla tenet.
Janua te vano dum præstans Marte fatigat,
Cogeris optatæ pacis inire viam.
Undique sic hostes domuit Dux iste rebelles,
Ut Venetum vires barbara terra tremat.
Ecce volens Patriam variis dotare triumphis
Barbato Regi ponere fræna parat.
Ergo Duces priscos quamvis virtutibus ornet
Fama, tamen cunctos hic probitate præit.
Dumque sedet longæ celsa Dux puppe carinæ,
Nobilium geminus stat simul ordo senum.
Musica cuncta sonant; clangor ferit astra tubarum,
Undaque tam densa classe sepulta jacet.
Denique tum latum puppes Canale subintrant,

Et

Et mediæ capiunt protinus Urbis iter.
Inde tenent Altum-Riuum, qui dividit Urbem,
Vix populum retinet utraque ripa suum.
Complentur portus, & celsa palatia plebe;
Nulla domus vacua est, nulla carina vacans.
Finitimis gens namque locis venit ista videre
Festa; juvat tanti cernere mira joci:
Aspiciunt cunctas auro gemmisque Marias:
Non oculos satiat forma decora deæ.
Lumina defficiunt tantos spectantia cultus;
Quod quisque aspiciat, quisque peroptet, habet.
Tot varias vestes, pretiosa metalla, lapillos
Egregios nullus dinumerare queat.
Aurum, marmor, ebur muris inscalpta domorum
Intuitu lassant lumina cuncta suo.
Fœmina præterea festivo plurima cultu
Non minus aspiciant quam simulacra deæ.
Audet in his sacris coetus sua tela Cupido
Spargere flammigeras, & Venus ipsa faces.
Saucia lethali capiuntur pectora morbo,
Et juvenum gemitus gaudia tanta movent.
Una sed est miseris morbi medicina Mariam
Cernere. Virginitas est sua summa salus.
Quisquis in hanc aciem mentis converterit ardens
Protinus, extincto pectoris igne, valet.
Cernite non pictam gemmis auroque Mariam,
Sed quæ cum Nato vivit in arce poli.
Hæc est summa Dei Genitrix, & nata salutis
Arca, pudicitiæ cella, columba nitens,
Stella maris, lucem portans Aurora, columna
Ecclesiæ, mulier Solis amicta toga.
Scala polum tangens, & jungens infima summis,
Fons bonitate scatens, Lunaque plena die:
Florens virga rosæ similis, pietatis abyssus,
Vitis odore fragrans, cedrus ut alta petens.
Hortus conclusus, castri munimen in hostes,
Terribilis turris, & Salomonis opus.
Fluctibus in mediis navis tutissima, portus
Tranquillus, vallis concava, montis apex.

Spes hominum, limes rectus, patrona fidelis,
Dux bona, vera salus, gratia plena boni.
Lux cœli, Regina Deo conjuncta, supernis
Deliciis dives continet omne decus.
Quidquid in effigie mirum, carumque putatis,
Collatum in sacra Virgine, vile patet.
Cœlica terrenis præstant, terrena caducis,
Corporeas superant denique mentis opes.
Ista tamen fieri debet reverentia Christo,
Cedat ut ad cultum quidquid in orbe nitet.
Virginis ad laudes cerebrum defficiat, & mens;
Hoc est humanis viribus impar opus.

PERVENIT ad metam Classis: convivia (sic) pascuæ
Tunc præbet varias candida mensa dapes.
Post epulas ludos ineunt, & gaudia turbæ;
Nulla domus ludis, nulla platea vacat.
Læta dies agitur; festum venerabile transit,
Et repetit proprios advena turba lares.
Nunc & nostra suo firmabitur anchora portu,
Carminis & festi terminus unus erit.
Hoc cape (nec renuas) parvum Dux maxime munus;
Carmine cum nostro namque peritus eris.

Vivat. Floreat. Qui Legit.

Veneti rei ballisticæ periti in Sodalitii unionem sub Divæ Barbaræ V. & M. patrocinio collecti anno 1501. Oratorium Ecclesiæ proximum sub ejusdem Sanctæ titulo erexerunt, in quo caput S. Barbaræ e Cretensi clade sublatum, atque ex publico S. C. munere acceptum reposuerunt, e Romanis Cryptis sub adventitio Divæ Barbaræ titulo erutum fortasse Cathedrali Cretensi remotiori ævo oblatum fuit. Altare quoque elegantis formæ ex candido marmore in Ecclesia possidet, cujus tabulæ varias Sanctorum effigies exhibentes egregio Jacobi Palmæ labore depictæ sunt.

Index

Index Chronologicus Plebanorum Sanctæ Mariæ Formosæ.

1080. Petrus Theupolus Vicar. Eccl. S. Mariæ Formosæ una cum Fratribus suis donat septem salinas Monasterio S. Georgii Majoris Venetiarum, ut patet ex sequenti documento, deprompto ex Catastico Veteri ejusdem Monasterii.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi Anno ab incarnatione ejusdem Redemptoris nostri millesimo octuagesimo mense Januarii Indicione quarta Rivoalto. Quicumque de suis rebus in sancti Dei Ecclesiis dare, vel offerre desiderat bonum a Deo sibi acquiret meritum & in futuro maximam expectat retributionem. Quapropter nos Petrus Presb. Teupolus Vicarius Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ una cum Vitale, & Dominico, atque Urso totis tribus fratribus meis filiis quondam Ursi Teupoli de rivo marino cum nostris successoribus, & hæredibus ab hodie in Dei, & Christi nomine pro remedio animæ prænominati Patris nostri & matris, ac ceterorum nostrorum parentum dantes damus, atque concedimus, seu & offerimus in Ecclesia S. Georgii in tempore Placidi ejusdem Ecclesiæ divino munere abbatis perpetuis temporibus possidendum hoc est septem sallinas positas in fundamento petro mammulo prope litus Marcense quæ fuerunt de jamdicto urso teupolo patre nostro quas ipse in vita sua ad suum obitum pro remedio animæ suæ in eodem monasterio reliquit, & nos secundum suam ordinationem prænominatas septem salinas cum omnibus ejus pertinentiis ab intus, & foris cum omni vigore, & robore de omnibus cartulis majoribus, & minoribus novis, ac veteribus ad totas septem sallinas pertinentibus, & secundum quod a prefato patre nostro possessæ, & dominatæ fuerunt, ita eas perpetualiter damus, & offerimus in monasterio S. Georgii habendi, tenendi, fru-

fructificandi, donandi, vendendi, commutandi, & in perpetuum possidendi, & quicquid eidem monasterio placuerit faciendi nullo ei homine contradicente. Unde etiam promittentes promittimus nos ut nullo unquam tempore contra hanc nostram offercionis cartam nullo modo ire debeamus non per nos ipsos, neque per nostros successores, vel heredes neque per ullam submissam, vel instructam personam hominem non adeundo judices, nec supplicando principibus, nec per Ecclesiasticam interpellationem non in vita nostra, nec ad obitum nostrum quia in legibus scriptum est, ut quod semel datum, vel offertum fuerit nullo modo revocetur. Si quis contra hanc nostram offercionis cartulam ire temptaverit habeat sibi contrarium Deum Patrem Omnipotentem, & filium ejus Jesum Christum, & sub anathemate trecentorum decem, & octo patrum constrictus permaneat & cum juda traditore D. N. J. C. in gehenne ignis incendio damnetur, & suam nunquam mereatur adimplere voluntatem, & insuper componat cum suis hæredibus in prædicto Dei Monasterio auri obrizi libras decem, & hæc offercionis carta semper in sua firmitate permaneat. Quam scribere rogavimus Tribunum Clericum calvum & curiæ palatii Notarium, & Ecclesiæ Sancti Simeonis Plebanum.

✠ Ego Petrus Presb. Teupolo, & Vicarius Sanctæ Mariæ Formosæ m. m. ss.
Ego Dominicus m. m. ss.
Signum manus suprascripti Vitalis, qui hæc rogavit fieri.
✠ Ego Marcus tt. ss.
Signum idem Magistri Petri. Signum suprascripti Ursi, qui hæc rogavit fieri.
✠ Ego Stephanus mauroceni ✠ Stephanus tt. ss.
Ego Joannes rog. tt. ss. de rivo S. Augustini Joannes filius martini Emiliani.

Ego Tribunus Clericus calvus, & Not. complevi & roboravi.

110 8

1108. Joannes Margnonus Subdiaconus, & Plebanus. Ex document. in Arch. Patriarchali: in quo documento pariter enunciantur Joannes Maurus, & Petrus Teupulus, olim ejusdem Eccl. S. M. Formosæ Plebani.

1139. Joannes Giffi. Ex Arch. Ecclesiæ.

1153. Petrus Bono Diac. & Pleb. Ex Arch. Eccl.

1160. Leonardus Donatus. Ex Arch. Eccl. in quo pariter Archivo extat Instrumentum, quo Ecclesia vacante anno 1188. Mense Augusti Marcus Nicola Episcopus Castellanus, & Presbyteri dictæ Ecclesiæ dederunt Fratribus Vitturi quamdam petiam terræ de jure Ecclesiæ.

1195. Petrus Vitturius Archidiac. Castell. Hic *apud Sancti Nicolai Monasterium Patriarcham Gradensem injuste gravibus verborum injuriis multis præsentibus lacessivit*; Quapropter eum Patriarcha Gradensis *Ecclesiastico supposuit Interdicto*. His ad Innocentium III. Pont. Max. relatis Abbati S. Hilarii, & Plebano S. Pauli Castell. Dioc. per Apostolica scripta mandatum est, ut *Archidiaconum supradictum monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam appellatione remota* cogerent, ut pro verborum injuriis quas eidem Patriarchæ irrogare præsumpserat satisfaceret competenter. Datæ fuerunt Pontificiæ Epistolæ Romæ apud S. Petrum XI. Kal. Januarii Pontificatus ejus anno Decimo nempe æræ vulgaris MCCVI. Vide editionem Parisiensem Epistolar. Innocentii III. Tom. II. pag. 98. De supradicta quæstione aliqua jam dicta sunt ad Ecclesiam S. Sylvestri.

1228. Joannes Longo. Ex Arch. Ecclesiæ.

1266. Bartholomæus Quirinus Cathedralis Eccl. Canon. & Papæ Capellanus. Ex Arch. Eccl. Hic anno 1274. renuntiatus est Episcopus Castellanus: de quo in Ughell. Tom. V. col. 1270.

1279. Marcus Lombardus Archid. Castell. Ex Arch. Eccl.

1295. Marcus Peregrinus Not. Ex rog. ejusdem.

1326. Philippus de Monte Margano Not. Ex rog. ejusdem, & ex Ughell. Tom. V. col. 1275.

1340. Marcus Dimadho. Ex Arch. Patriarchali.

1346. Joannes de Parmirinis Decretorum Doctor. Ex Ughell. Tom. v. col. 1281.

1349. Franciscus Quirinus Magister in sacra pagina Anno 1349. die 3. Aprilis electus fuit Episcopus Justinopolitanus, atque inde translatus ad Ecclesiam Archiepiscopalem Cretensem, indeque ad Gradensem Patriarchalem; De eo fusius hujus Operis Tom. III. Dec. IV. pag. 25.

1349. Jacobus dictus Grecus de Majurbio Beneficiatus in Ecclesia SS. Apostolorum de Venetiis electus Pleb. a Clemente VI. Pontificatus sui Anno Septimo, qui fuit Christi 1349. Ejus electionis Diploma ex autographo inter vetustas membranas Archivi Santimonialium S. Zachariæ asservatum hic exhibeo.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei Vener. fratri. Patriarchæ Gradensi, & dilectis filiis Plebano S. Mariæ de Muriano Torcellanæ Diœcesis, ac Azoni de Manzis de Regio Canonico Paduanæ Ecclesiæ Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Laudabilia Dilecti filii Jacobi dicti Greci de Majurbio Beneficiati in Ecclesia SS. Apostolorum de Venetiis Castellanæ Diœcesis probitatis merita, quibus personam suam fide dignorum testimonio juvari percepimus, nos inducunt, ut eumdem Jacobum prerogativa specialis favoris & gratiæ prosequamur. Cum itaque Plebanatus Parochialis & Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ de Venetiis prefate Diœcesis, ad quem Plebanatum ejusdem Ecclesiæ, qui fuerunt pro tempore, consueverunt per electionem assumi, & quem Dilectus filius Franciscus electus ad Ecclesiam Justinopolitanam tempore promotionis suæ per nos factæ de ipso ad Justinopolitanam Ecclesiam tunc vacantem obtinebat, prout obtinet, per hujusmodi promotionem, & consecrationis munus impendendum eidem in proximo vacare speratur; nos volentes eidem Jacobo præmissorum meritorum suorum gratiam facere specialem, Plebanatum predictum cum eum premiso vel alio quocumque modo preter quam per obitum ipsius electi vacare contingeret conferendum dicto Jacobo cum omnibus juribus, & pertinentiis suis autho-

authoritate Apostolica reservavimus, districtius inhibentes Vener. Fratri Nostro Episcopo Castellano, & Dilectis filiis Capitulo ipsius Ecclesiæ seu illi, vel illis ad quem, vel ad quos dicti Plebanatus collactio, provisio, electio, seu dispositio pertinet communiter, vel divisim ne de dicto Plebanatu contra reservationem nostram hujusmodi disponere quoquo modo præsumerent, ac decernentes ex tunc irritum, & inane si secus super hiis a quovis quacumque authoritate scienter, vel ignoranter contingeret attemptari. Nonobstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus ejusdem Ecclesiæ contrariis juramento confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate roboratis nec si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus personalibus, vel officiis in dicta Ecclesia speciales, vel de beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales, dictæ Sedis, vel legatorum ejus litteras impetraverint si per eas ad inhibitionem, & reservationem, Decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eundem Jacobum in assecutione dicti Plebanatus volumus anteferri; sed nullum per hoc ad consecutionem dignitatum, personarum, & officiorum, ac benefitiorum aliorum prejudicium generari. Aut si Vener. Fratri nostro Episcopo Castellano & dilectis filiis Capitulo ejusdem Ecclesiæ, vel quibusvis authoritatis divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad rem compellere non possint quidquid de dignitatibus, personatibus, seu officiis ipsius Ecclesiæ, vel aliis benefitiis Ecclesiasticis ad eorum collactionem, provisionem, electionem, vel quamcumque aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam nostris litteris non expressam, vel totaliter non insertam effectus hujusmodi impediri valeat quomodolibet, vel diferri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris predictis mentio specialis. Seu si dictus Jacobus presens non fuerit ad prestandum de observandis consuetudinibus ejusdem Ecclesiæ

ſolitum juramentum, dummodo in abſentia ſua per Procuratorem idoneum, & cum ad Eccleſiam ipſam acceſſerit corporaliter illud preſtet. Seu quod in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum de Urbe predicta quod benefitium perpetuum Sacerdotale benefitium nuncupatum idem Jacobus noſcitur obtinere. Volumus autem, quod poſtquam vigore predictæ noſtræ gratiæ prefati Plebanatus poſſeſſionem pacifice conſecutus dictum perpetuum beneficium ſacerdotale, quod ex tunc vacare decrevimus, idem Jacobus prout ad id ſponte ſe obtulit omnino dimittere teneatur. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus qualiter vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios predictum Plebanatum Eccleſiæ S. Mariæ Formoſæ per vos, ut premittitur reſervatum, cum ipſum, ut prefertur vacare contingerit eidem Jacobo cum juribus, & pertinentiis ſuis auctoritate noſtra conferre, & aſſignare curetis, inducentes eum, vel Procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Plebanatus, ac jurium, & pertinentiarum predictarum ac defendere ipſum amoto ab eo quolibet detentore, ac facientes ipſum, vel dictum Procuratorem pro eo ad dictum Plebanatum ut eſt mos admitti ſibique de ipſius Plebanatus fructibus, redditibus, proventibus ..... integre reſponderi. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, ſeu ſi eiſdem Epiſcopo & Capitulo, vel quibuſve comuniter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat quod interdici, ſuſpendi, vel excomunicari ..... per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem ..... contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita,

Datum ..... Nono Kalendas Maii Pontificatus noſtri anno ſeptimo,

Ex Cataſtico S. Martini dicitur Not. Curiæ Examinatorum, & fuit etiam Presb. Eccl. S. Nicolai.

1395. Antonius Francho Plebanus, & Archipresbyter Congregationis S. Mariæ Formoſæ. Ex Cataſt. Eccleſiæ S. Geminiani.

1415. Fridericus de Stephanis Not. Archipresbyter Congregationis Sanctæ Mariæ Formosæ, fuit primum Presbyter Sancti Silvestri, postea Presbyter Sanctæ Mariæ Formosæ, postremo Plebanus Sanctæ Mariæ Formosæ, & Aulæ Ducal. Cancell. Ex rog. ejusdem.

1439. Leonardus de Valle Notarius, Archidiaconus Castellanus, olim Pleb. S. Mariæ Magdalenæ, Prior Hospitalis S. Stephani. Ex rog. ipsius.

1445. Benedictus a Crucibus Notarius, & Aulæ Ducalis Cancellarius, primum Plebanum Sancti Jeremiæ, Judex super decimis exigendis constitutus a S. Laurentio Justiniano Episcopo Castell. Ex rog. ipsius.

1458. Victor de Rosatis Presbyter Sanctæ Mariæ Formosæ, & Notarius, deinde Plebanus Sancti Felicis, & demum Plebanus Sanctæ Mariæ Fòrmosæ, & Aulæ Ducalis Cancellarius, Archipresbyter Congregationis Sanctæ Mariæ Formosæ. Ex rogitis ipsius. Obiit 1475.

1475. Franciscus de Albis. Ex ejus Testam.

1479. Joseph de Moysis antea Pleb. S. Joannis Chrysostomi. Ex ejus Testam.

1490. Franciscus Pelletus Not. Ex rog. ipsius.

1503. Franciscus de Armelinis. Ex rog. Jacobi de Omnibono Plebani S. Jacobi de Luprio Not.

1507. Michael de Clementibus Archipresb. Congreg. S. Mariæ Formosæ. Ex Arch. Eccl.

1524. Petrus Corona. Obiit morte repentina die 7. Maii Anno 1540. Ex lib. Eccl.

1540. Bartholamæus Lando Claudus Canon. Castell. Obiit 14. Novemb. 1556.

1556. 19. Decemb. Nicolaus Trivisanus Canon. Castell. Obiit 4. Octobris 1562.

1562. 7. Octobris. Bernardus Bellignus Capell. S. Severi. Obiit 22. Julii 1576.

1576. Fabricius Locatellus Archipreb. Cong. S. Mariæ Formosæ. Obiit 5. Decemb. 1590.

1590. Cæsar Renaldinus Canonicus Ducalis. Obiit 17. Martii 1616.

1616. Hieronymus Philippi. Obiit 20. Maii 1623.
1623. Hieronymus Cecchini. Obiit 5. Octob. 1630.
1630. Georgius Basseggio Canonicus Ducalis, & Archipresb. Cong. S. Hermacoræ. Fuit antea Pleb. S. Bassi. Ob. 8. Januar. 1664. M. V.
1664. M. V. Bartholamæus Veraldi Canonicus Ducalis. Ob. 26. Julii 1676.
1676. Petrus de Bernardis Canonicus Ducalis. Obiit 6. Julii 1692.
1692. Jacobus Gianolli. Obiit 30. Julii 1694.
1694. Joannes Baptista Raddi. Obiit 27. Januar. 1732. M. V.
1732. M. V. 30. Januar. Petrus Raimondi Canon. Ducal.



DE



DE ECCLESIA PAROCHIALI SANCTI JULIANI MARTYRIS.

SACRAM Divi Juliani Ædem in tres partes olim gemino columnarum ordine intersecante divisam a Familia Balba primitus ædificatam fuisse asserit Sansovinus. Dissidet tamen Dux Dandulus cui major adhibenda est fides; Ecclesiam etenim in honorem S. Juliani a Joanne Marturio erectam refert lib. VIII. cap. III. part. XII. his verbis: *Hic* (Joannes Marturio) *Vir devotus Ecclesiam erexit in honorem S. Juliani Martyris non longe a Ducali Palatio*. Joannes Marturius, qui Rempublicam una cum Ursone Olivolensi Episcopo, & Basilio Transmundo, (quo tempore Joannes Particiacus Dux exulabat), provide administravit, iterum laudatur a Dandulo ejusdem citati capitis part. X. & XI. Filium habuit Petrum Marturium Patriarcham Gradensem piissimum, qui ut refert idem Dandulus superius enunciati libri cap. V. part. XVII. apud Ecclesiam suam S. Juliani in Rivoalto decessit translatusque Gradum in atrio Ecclesiæ S. Euphemiæ sepultus est. Joanne Particiaco Duce Ecclesiam hanc erectam fuisse testatur elogium

gium ipsius Ducis imagini in aula Consilii majoris appositum hæc inter cætera exhibens:

Sub me Sancti Juliani Ecclesia erigitur.

Vastissimi incendii flammis absumpta anno 1105. restituta fuit, ad cujus renovationis tempus verisimile est deduci posse ea, quæ Genti Balbæ merito adscribit Sansovinus de primæva ejus ædificatione.

Circa medium XVI. sæculi vetustate corruens ad Sansovini archetypum e solo restituitur ope, & opibus magna ex parte collatis Thomæ Philologi Ravennatis Medici præstantissimi, cujus beneficentiæ a lateribus aræ Principis inscriptum est hoc elogium.

D. O. M.

„ Thomæ Philolog. Rang. Raven. Phys. Eccles. & Fab. Proc.
„ Opt. merito, R. Commentarii. M. D. II. C. In spem Resur.
„ futuræ, & immort. gloriæ perpetuum monumentum ex te-
„ sta. P.

Marmoream quoque Ecclesiæ faciem propriis impensis ipse supralaudatus Thomas extrui mandavit, cujus æneum simulacrum & inscriptionem S. C. Januæ Majori in ipsius Ecclesiæ prospectu superimponi permisit.

„ Thomas Phylologus Ravennas Physicus, ære honestis la-
„ boribus parto, ædes primum Paduæ virtuti, post has, Sena-
„ tus permissu, pietati erigi fecit. Illas animi, has etiam cor-
„ poris monumentum. Ann. Mundi VI. MDCCLIIII. Non. Octob.
„ Jesu Christi MDLIIII. Urbis MCXXXIIII.

Permissionis Decretum anno 1553. latum ad diem primam Septemb. meritissimi Viri memoriam præcipuis laudibus exornat.

1553. I. *Septembris in Rogatis.*

Che per auttorità di questo Consiglio sia concesso al Venerando Piovano, & Capitolo della Chiesa di S. Zuliano di questa nostra Città, & al Eccelente Dom. Tomaso da Ravena Medico, che sborsando il ditto Ecc. Dom. Tomaso de presenti Ducati mille per fare la fazada Marmorea della Chiesa predetta, & racconciando, & accomodando essa Chiesa, cosi dentro, come

come fuori a beneplacito suo juxta la ferma dell'accordo, che l' ha fatto con il predetto Vener. Piovano & Capitolo, al quall' accordo si habbia in omnibus relatione el possi eriger nella predetta fazada una Statua, overo imagine sua di Bronzo cavata dal vivo, formata a spese sue oltra li predetti Ducati mille con le sue Arme, & iscrizione condecente alle condizion e qualità sue; la qual imagine, Arme, & iscrizione habbino ad essere in perpetuo conservate, ne dalla predetta fazada in alcun caso, over evento possino per alcuno essere rimosse, ma restino a perpetua sua memoria con buon essempio alli Posteri, & dalla virtù, e dalle buone operazion, che di lui sono state fate degne di comendazione.

Templi lacunar ære proprio faciendum, & decorandum ex testamento mandavit Hieronymus Vignola Eques, qui ut ejus emortuale elogium testatur plurima huic Ecclesiæ contulit beneficia:

„ Hieronymo Vignolæ Equiti Egregio Hujusque Ecclesiæ
„ Proc. Meritiss. Qui Præter Alia Multa, Quæ Vivens In Hanc
„ Ædem Contulit Beneficia, Moriens Etiam Ex Testamento
„ Anniversarias Exequias, Mansionariamque Instituit, Prædica-
„ tori, Clericis, Sepulturæ, & Pauperibus Legatum Perenne
„ Reliquit, Lacunarque Templi Ære Proprio Faciendum Et
„ Decorandum Mandavit. Obiit Die XXI. Octobris MDLXXXV.

Consecrationis memoriam refert lapidea epigraphe ad dexterum Sacelli principis latus aureis caracteribus conspicua:

„ Hoc Templum dedicatum fuit VIII. Id. Julii MD. LXXX.
„ A.R.R. D.D. Julio Superchio Caprularum Episcopo:

Divina Misteria in Ecclesia hac usque ad sæculi XV. initia solus Plebanus peregit, cujus sæculi anno V. in Collegiatam evasit, permittente siquidem Innocentio Papa VII. *ad Divini cultus augmentum* quatuor Presbyterales tituli in ea instituti fuerunt. Ad Sacerdotum vero alimoniam reditus ipsius Ecclesiæ *in duas æquales portiones* dividi concessit Innocentius, quarum una in benefitium Rectoris, seu Plebani cederet, altera inter institutos Presbyteros *æquis Portionibus* divideretur. Francisco Bembo datæ fuerunt Apostolicæ Epistolæ anno 1405. die 8. Junii, queis jussum est, *ut cedente, vel decedente Rectore ipsius Ecclesiæ, vel ipsam Ecclesiam alias quomodolibet dimittente* laudabile opus perficeretur (A).

Festum

Festum S. Juliani Martyris eo ritu, & pompa, queis Titularium solemnitates aguntur, celebratur in Ecclesia die VII. Januarii, qua Romanum Martyrologium memoriam affert cujusdam S. Juliani Martyris his verbis: *Eodem die S. Juliani Martyris*. Verum cum de hoc Martyre nomen tantummodo ex veteri Romano Martyrologio deductum supersit, quando autem, & ubi passus sit, lateat, ut in annotationibus ad Martyrologium Romanum asserit Cardinalis Baronius, ex æquivoco factum puto, ut dies septima pro die nona Januarii solemniis celebrandis assignata fuerit: siquidem ipsa die nona recolitur memoria in universo Oriente celeberrima S. Juliani Antiocheni Martyris, qui post conservatam in Matrimonio ex mutuo cum Basilissa conjunge assensu illibatam Virginitatem, tandem acerbissimis cruciatus tormentis capitis abscissione Martyrium consumavit. Ad hujusce veritatis testimonium parietes Sacelli Majoris tabulis ornantur, quibus Acta Juliani Antiocheni Martyris exhibentur. Congruit Officium olim a Clemente VIII. vivæ vocis oraculo ad Laurentii Cardinalis Prioli Patriarchæ Venetiarum preces pro Veneto Clero concessum; In eo etenim Acta S. Juliani Antiocheni Monachi, & Martyris in Matutinas Lectiones distributa leguntur.

Ad hujus Templi ornatum labores suos contulerunt Victor Bellinus, Leander Bassanus, Palma, aliique laudatissimi Pictores, quos inter Paulus Calliarius Veronensis Christum inter Apostolos discumbentem in Sacello SS. Sacramenti, atque Divi Hieronymi effigiem in tabula ad Ecclesiæ parietem affixa optime expressit.

Clariora tamen Ecclesiæ ornamenta ex Divorum lipsanis desumenda sunt; siquidem præterquam quod os S. Titularis sui, atque aliud pariter os Divi Floriani Lauriacensis Martyris argenteo inclusa tabernaculo possidet, corpus quoque S. Germani Martyris sub ara majori honorifice tumulatum asservat, multisque præterea ditatur Sanctorum fragmentis ad aras ipsius Ecclesiæ decenti modo collocatis.

Inter vero omnia hæc sacra lipsana, quibus abunde exornatur, sacrum corpus eminet Divi Pauli primi Eremitæ, cujus nomen, & acta ad nos ex Divi Hieronymi Doctoris Maximi pietate, & eruditione devenerunt. Inæstimabile hoc thesaurum e Byzantina Urbe Venetias fuisse deductum asserit Dandulus in

in Chronico lib. IV. cap. II. part. XXXV. ubi Sanctissimi Anachoretæ obitum enarrat: " Fervente persecutionis procella Paulus
" Thebeus ad Montium deserta confugit, ibique in oratione
" viventi palma victum, & vestitum præbuit. Cum igitur 113.
" annorum esset, & Antonius 90. annorum jam in alia solitudine Deo serviens ex revelatione Paulum visitavit, & post
" sacra colloquia ad Monasterium suum rediit. Post autem
" ejus felicem obitum corpus ejus Constantinopolim, deinde
" Venetias sub Jacobo Theupulo Duce transfertur". Idipsum ampliori sermone confirmat lib. X. cap. V. part. XXVII. "Corpus
" S. Pauli primi Eremitæ, quod Emanuel Imperator Constantinopolitanus in Monasterio S. Mariæ Permilepti ab eo constructo deposuerat, nunc Jacobus Lanzolo ab Abbate, &
" Monachis absque capite, quod prius Romam fuerat delatum, obtinuit, & rediens Venetias in Ecclesia S. Juliani
" devote deposuit." Translationem hanc peractam fuisse anno Christi MCCXL. ex ipso Dandulo addiscimus, qui eam cum anno Jacobi Theupoli Ducis *duodecimo* illigat. Ducatum ille auspicatus est anno vulgari MCCXXIX. *die sexta mensis Martii* ipso Dandulo teste, unde annus ejusdem Ducis duodecimus incipit anno Christi MCCXL. a die sexta Martii. Vitio aliquo laborat apud Dandulum vox illa *Permilepti*: quæ non excidit calamo Danduli, sed Notarii Chronicon exscribentis; *Parvulepti* legitur codice Ambrosiano, atque aliam pariter *Palvulepti* lectionem offert Compedium ejusdem Chronici ex Regiæ Parisiensis Bibliothecæ codice descriptum. Germanam Danduli lectionem affert Ducangius in Constantinopoli Christiana lib. IV. cap. II. num. XXXVI. ubi hæc habentur: " *Periblepta* τῆς Περιβλέπτου, Monasterium Deiparæ sacrum..... " In ea Æde extitit S. Pauli primi Eremitæ Corpus, inde Venetias translatum anno MCCXL. Chronicon ms. Andreæ Danduli: " cujus verba referuntur cum voce *Perivlepti* Περίβλεπτος græca apud ipsum Cangium in Glossario mediæ, & infimæ Græcitatis, latine redditur *Spectabilis*: Unde *Monasterium* illud vocabatur *S. Mariæ Spectabilis*, vel Speciosæ. Monasterium hoc quod a *Manuele Comneno Imperatore* Dandulus constructum fuisse asserit, supralaudatus Cangius testibus vocatis Scylitze, Glyca, & Zonara ædificatum refert a *Romano Argyro* qui Orientale capessivit Imperium anno MXXVIII. instauratumque postea a Nice-

phoro Botoniata, anno MLXXVII. ad Imperialem dignitatem evecto; quemque ideo Zonaras vocat *post Romanum illum Argyrum* ejusdem Monasterii *secundum conditorem*.

Fortasse illud sequiore ætate refecit, vel restauravit Manuel Comnenus, qui ab anno MCXXXXIII. imperium Orientale tenuit ad annum usque MCLXXX. hoc tamen alto silentio prætermittunt Historici Byzantini, simulque reticent in Imperialem urbem translatum ex Ægypto in ejus Monasterii sacram Ædem ab eodem *Manuele* Pauli primi Eremitæ corpus: Traditionem hanc haud inverisimilem putat Bollandus eamque illigari posse conjectatur cum Ægyptiaca expeditione anno MCLXIX. a Manuele Imperatore suscepta quam Nicetas fuse describit libro V.

Constantinopolitanam, ac Venetam postea subsequutam sacri Corporis translationem infirmare videtur Andreas Saussajus in supplemento Martyrologii Gallicani his verbis: *In Thebaide Natalis S. Pauli primi Eremitæ, cujus divinam vitæ rationem S. Jeronymus luculento encomio descripsit, corpus vero ex Ægypto in Galliam translatum apud Cluniacum Archimonasterium repositum ibidem religiose servatur*. Saussaii assertioni, quæ nulli innitur fundamento, adversatur, eamque omnino destruit Constantinopolitana traditio, quæ constans vigebat olim, ferebatque S. Anachoretæ corpus ex Ægypto evectum in Monasterio S. Mariæ Peribleptæ conditum fuisse. Illud ibidem quievisse usque ad annum MCCXXXX. testatur Venetæ Ecclesiæ traditio, ipso etenim anno illud a Monasterii Abbate obtentum Venetias transtulit Jacobus Lanzolus, atque in S. Juliani Ecclesia honorifice collocavit. Num ansam errori dedit, quod apud Cangium legitur loco citato, ex eodem Monasterio S. Mariæ Peribleptæ Caput S. Clementis Papæ, & Martyris in Cluniacense Monasterium delatum fuisse teste Rostagno Monaco, unde fluxu temporis Reliquiæ Divi Clementis ex eo S. Mariæ Speciosæ Monasterio deductas alio Pauli nempe Eremitæ nomine cæperint appellari, quomodo autem Clementis nomen in alterum Pauli transierit, atque eas reliquias non Constantinopoli, sed ex Ægypto in Cluniacense Monasterium translatas fuisse dictum sit, quis divinet?

Venetam fatentur, certamque habent Translationem Hungari; sed a Venetis acceptum sacrum corpus se possidere, immo verius

verius se possedisse glorientur, primo *Buda in Capella Regia* repositum, tum in Ecclesiam *S. Laurentii, quæ distat uno milliari a Buda* translatum. Num jure tanti thesauri possessionem sibi arrogent Hungari, diligentius est inquirendum.

Id evenisse tempore Ludovici I. Regis narrat apud Bollandum Joannes Archidiaconus de Kikullew in Ecclesia Transsilvana Vicarius Strigoniensis lib. de vita Ludovici cap. 41. ita scribens: " Denique ordo fratrum eremitarum B. Pauli primi " Eremitæ in regno Hungariæ florere incepit, & multiplicari. Item corpus ejusdem B. Pauli, Patris dicti ordinis, de " Venetiis ad Hungariam est translatum; & in claustro eremitarum apud B. Laurentium prope Budam in vertice montis solemniter depositum: in quo loco, & beati hujus Patris venerantur merita, & populorum laudantium Deum concurrit frequentia." Concinit Petrus Ranzanus in Epitome rerum Hungaricarum Indice 19. " Sub eo (Ludovico) B. Pauli primi Eremitæ corpus e Venetiis in Hungariam translatum est." Rem tamen non adeo certam statuit Antonius Bonfinius Rer. Hungar. Decade 2. lib. 10. hæc referens: " Cum eremitarum ordo D. Pauli principis in Ungariam venisset, corpusque ejus, Venetiis avectum, in Laurentii ædem, quæ ad tertium lapidem Budæ proxima monti prominet, translatum esset, Carolus pater, primus eremitarum collegia introduxit, qui Laurentii, Sanctæ Crucis, Spiritus Sancti, & D. Ladislai sacras ædes usurparunt". Porro ejus verba, ut optime notat Bollandus, enunciare videntur, sicuti Ordinem Eremitarum S. Pauli introductum, seu amplificatum, ita & corpus ejusdem Sancti sub Carolo Ludovici Patre translatum.

Post bellum Januense ordine septimum quod ex rebus apud Clodiam actis Bellum Clodiense nuncupatur, peractam translationem fuisse anno MCCCLXXXI. narrat quædam ejusdem affertæ translationis historia inferius adducenda. Non ita tamen sentit Michael Bombardus Soc. Jesu in Topographia Magni Regni Hungariæ part. II. segmento I. cap. I. num. VI. pag. 54. cujus hæc sunt verba: " Supra novam Budam cis Danubium " uno circiter milliari steterat celeberrimum Ordinis S. Pauli " primi Eremitæ Cœnobium cum æde S. Laurentii, in qua " Divi illius Anacoretæ reliquiæ per Ludovicum I. post receptam Dalmatiam a Veneta Republica veluti in pignus ini-

phoro Botoniata, anno Mlxxvii. ad Imperialem dignitatem evecto; quemque ideo Zonaras vocat *post Romanum illum Argyrum* ejusdem Monasterii *secundum conditorem*.

Fortasse illud sequiore ætate refecit, vel restauravit Manuel Comnenus, qui ab anno Mcxxxxiii. imperium Orientale tenuit ad annum usque Mclxxx. hoc tamen alto silentio prætermittunt Historici Byzantini, simulque reticent in Imperialem urbem translatum ex Ægypto in ejus Monasterii sacram Ædem ab eodem *Manuele* Pauli primi Eremitæ corpus: Traditionem hanc haud inverisimilem putat Bollandus eamque illigari posse conjectatur cum Ægyptiaca expeditione anno Mclxix. a Manuele Imperatore suscepta quam Nicetas fuse describit libro v.

Constantinopolitanam, ac Venetam postea subsequutam sacri Corporis translationem infirmare videtur Andreas Saussajus in supplemento Martyrologii Gallicani his verbis: *In Thebaide Natalis S. Pauli primi Eremitæ, cujus divinam vitæ rationem S. Jeronymus luculento encomio descripsit, corpus vero ex Ægypto in Galliam translatum apud Cluniacum Archimonasterium repositum ibidem religiose servatur*. Saussaii assertioni, quæ nulli innitur fundamento, adversatur, eamque omnino destruit Constantinopolitana traditio, quæ constans vigebat olim, ferebatque S. Anachoretæ corpus ex Ægypto evectum in Monasterio S. Mariæ Peribleptæ conditum fuisse. Illud ibidem quievisse usque ad annum Mccxxxx. testatur Venetæ Ecclesiæ traditio, ipso etenim anno illud a Monasterii Abbate obtentum Venetias transtulit Jacobus Lanzolus, atque in S. Juliani Ecclesia honorifice collocavit. Num ansam errori dedit, quod apud Cangium legitur loco citato, ex eodem Monasterio S. Mariæ Peribleptæ Caput S. Clementis Papæ, & Martyris in Cluniacense Monasterium delatum fuisse teste Rostagno Monaco, unde fluxu temporis Reliquiæ Divi Clementis ex eo S. Mariæ Speciosæ Monasterio deductas alio Pauli nempe Eremitæ nomine cæperint appellari, quomodo autem Clementis nomen in alterum Pauli transierit, atque eas reliquias non Constantinopoli, sed ex Ægypto in Cluniacense Monasterium translatas fuisse dictum sit, quis divinet?

Venetam fatentur, certamque habent Translationem Hungari; sed a Venetis acceptum sacrum corpus se possidere, immo verius

verius se possedisse gloriantur, primo *Buda in Capella Regia repositum*, tum in Ecclesiam *S. Laurentii, quæ distat uno milliari a Buda* translatum. Num jure tanti thesauri possessionem sibi arrogent Hungari, diligentius est inquirendum.

Id evenisse tempore Ludovici I. Regis narrat apud Bollandum Joannes Archidiaconus de Kikullew in Ecclesia Transsilvana Vicarius Strigoniensis lib. de vita Ludovici cap. 41. ita scribens: " Denique ordo fratrum eremitarum B. Pauli primi „ Eremitæ in regno Hungariæ florere incepit, & multiplica- „ ri. Item corpus ejusdem B. Pauli, Patris dicti ordinis, de „ Venetiis ad Hungariam est translatum; & in claustro ere- „ mitarum apud B. Laurentium prope Budam in vertice mon- „ tis solemniter depositum: in quo loco, & beati hujus Pa- „ tris venerantur merita, & populorum laudantium Deum con- „ currit frequentia." Concinit Petrus Ranzanus in Epitome rerum Hungaricarum Indice 19. " Sub eo (Ludovico) B. Pauli pri- „ mi Eremitæ corpus e Venetiis in Hungariam translatum „ est." Rem tamen non adeo certam statuit Antonius Bonfinius Rer. Hungar. Decade 2. lib. 10. hæc referens: " Cum ere- „ mitarum ordo D. Pauli principis in Ungariam venisset, cor- „ pusque ejus, Venetiis avectum, in Laurentii ædem, quæ ad „ tertium lapidem Budæ proxima monti prominet, translatum „ esset, Carolus pater, primus eremitarum collegia introdu- „ xit, qui Laurentii, Sanctæ Crucis, Spiritus Sancti, & D. „ Ladislai sacras ædes usurparunt". Porro ejus verba, ut optime notat Bollandus, enunciare videntur, sicuti Ordinem Eremitarum S. Pauli introductum, seu amplificatum, ita & corpus ejusdem Sancti sub Carolo Ludovici Patre translatum.

Post bellum Januense ordine septimum quod ex rebus apud Clodiam actis Bellum Clodiense nuncupatur, peractam translationem fuisse anno MCCCLXXXI. narrat quædam ejusdem affertæ translationis historia inferius adducenda. Non ita tamen sentit Michael Bombardus Soc. Jesu in Topographia Magni Regni Hungariæ part. II. segmento I. cap. I. num. VI. pag. 54. cujus hæc sunt verba: " Supra novam Budam cis Danubium „ uno circiter milliari steterat celeberrimum Ordinis S. Pauli „ primi Eremitæ Cœnobium cum æde S. Laurentii, in qua „ Divi illius Anacoretæ reliquiæ per Ludovicum I. post rece- „ ptam Dalmatiam a Veneta Republica veluti in pignus ini-

„ tæ pacis obtentæ venerationi publicæ proſtabant. Verum cu-
„ ſtodum incuria tantus theſaurus diſperiit. Quum autem reliquias (*non integrum corpus*) obtentas a Ludovico I. aſſerat Bombardus *poſt receptam Dalmatiam;* id profecto ad annum Chriſti MCCCLVIII. referri debet ut habent Raphainus Careſinus, cæterique Hiſtorici. Ex iis Hungaricorum Scriptorum diſonantiis manifeſte patet quam fidem mereantur teſtes ſibi invicem parum cohærentes. Neque parvi momenti ſunt ea, quæ addit Bombardus loco citato: *Verum cuſtodum incuria tantus theſaurus diſperiit.*

Hujusce translationis hiſtoriam profert Bollandus ad diem x. Januarii pag. 568. *ex fide digno*, ut inquit, *codice deſcriptam*, eamque ipſam ex Bollando exhibemus, ut ad Chriſim revocantes, quali fide donanda ſit, agnoſcamus.

„ *Hiſtoria Translationis ex fide digno codice deſcripta a Joan-*
„ *ne Gamanſio Societ. Jesu.*

„ PLenus dulcedine & ſemper ineffabili affluens pietate,
„ Patris æterni Filius Dominus Jeſus Chriſtus, qui cir-
„ ca Eccleſiam ſanctam Catholicam ita ſuæ continuat beni-
„ gnitatis affectum, ſic ſuæ roborat roborationis auxilium, ut
„ quam ſui commercio ſanguinis acquiſivit, inceſſanter cuſto-
„ diat non ſolum per Angelos cæli cives ſuper muros ipſius,
„ qui non die nec nocte tacent, conſtitutos: quin etiam per
„ homines luteas domus habitantes, ut hujusmodi auxilio ſic
„ vallati in diſcrimine, accumulatis divinæ providentiæ bene-
„ ficiis, ſupernæ militiæ fulciantur præſidio, & in via exiſten-
„ tes meritis Beatorum adjuventur. Nam licet poſt egreſſum
„ magnifici Redemptoris ad Patris gloriam a qua venerat, ani-
„ mam beati Confeſſoris Pauli primi Eremitæ ſpirituali cer-
„ tamine attritam & afflictam; & grato conſummato triumpho
„ poſt labores ad præmium, ut dignis digna rependat, evo-
„ cavit; exanime tamen corpus, quod prius per ſpatium ſe-
„ xaginta annorum, ut dudum Eliam Prophetam, corvi mi-
„ niſterio in deſerti ſolitudine cæleſti pabulo educavit, ob vi-
„ tæ ſuæ ingens meritum humanæ laudis præconio minime
„ voluit defraudare. Quinimo per Beatum Hieronymum Do-
„ ctorem Egregium dicti Patris vitam ſolerti percunctatione

„ præ-

„ præhabita, perpetua successorum memoria, ab omnibus di-
„ gnissime venerandam pulchro stylo exaravit: quodque ipsum
„ magnus Pater Antonius, pro eodem perficiendo negotio di-
„ vino spiritu illuc adductus, terribilium leonum suffultus au-
„ xilio, inter saxosam convallem ritu fidelium terræ gremio
„ commendavit. Et ut in eodem sepulturæ loco profusius tan-
„ ti Patris merita venerarentur, idem sanctus senex Antonius
„ aliquos ex Fratribus suis sub disciplina monastica vivere pa-
„ ratos, inibi divino obsequio mancipavit.

„ Tandem revoluto plurimorum annorum curriculo, effi-
„ ciente virtute dexteræ excelsi Dei, qui justos prosequitur
„ benedictione; Dominus Emanuel Constantinopolitanus Im-
„ perator tanti luminis aspersione gavisus, cupiens hujusmodi
„ sancti senis, qui doloris, & amaritudinis tempora reliquit,
„ & in solitudine, in quam volavit, requievit, clara miracu-
„ la in publicam ducere notitiam, corpusculum incorruptum
„ de loco memorato, ubi ipsum S. Antonius in foveam be-
„ stiarum opere paratam subterraverat, in regiam urbem, vi-
„ delicet Constantinopolim, fecit transportari, & in Ecclesia
„ S. Mariæ Pervilepsi, id est circumsepta, quam ipse impera-
„ tor fundaverat, pro fidelium loco venerationi aptissimo re-
„ pausari. Cujus caput, quod diu abduxere deserti abdita,
„ tandem grata devotionis gratitudine, non absque Dei nu-
„ tu, sed potius, ut solitudo fieret patula, Romam est dela-
„ tum, a Christi fidelibus salubrius venerandum.

„ Deinde instante Dominicæ incarnationis anno millesimo
„ ducentesimo quadragesimo, quidam Jacobus Lantzlo Venetia-
„ rum civis, audiens quod felicem Paulum prospera mundi pros-
„ peritas non seduxit, civis deserti felicia auspicia, & ex inti-
„ mis contemplatus, a Frat. Petro Abbate, & Monachis dicti mo-
„ nasterii sub cautione litterarum, instrumentorum, insertio-
„ ne testium roboratorum, decoro stylo, mira sententia, af-
„ fatu facundo, devotione non vacua, votivis nimiis deside-
„ riis, & operosæ sollicitudinis studio, ipsas sacras B. Pauli re-
„ liquias sibi dari impetravit: quas secum alacri gaudio Ve-
„ netias deferens, in ecclesia sub titulo S. Juliani consecrata,
„ honorifice collocavit; ubi eidem a populo Venetiarum de-
„ bitus honor est delatus.

„ Incerta currunt sua volubilitate tempora, de secretis Pa-
„ trum

„ trum in publicum hujusmodi Sanctus canonizatione Ecclesiæ
„ egressus, religiosorum Fratrum sub ejus vocabulo sincera con-
„ scientia famatur, vitæ innocentia ac Religionis decor prædi-
„ catur: quot potest spiritus procellarum ad portum ducit glo-
„ riæ & salutis: augetur numerus præcipue in Ungaria: Cre-
„ scit populi devotio, & construuntur monasteria in solitudi-
„ ne copiosa. Deinde (cui dubium, quin ex cælestis altitu-
„ dine consilii, alta & ineffabili providentia universa dispo-
„ nentis, quæ rerum vicissitudines non sine dispensatione cer-
„ tæ rationis alterat, nunc egentes faciens abundare, nunc
„ abundantes egere; ut humana conditio per alterationem sui
„ status, hujus sæculi instabilitatem agnoscat) actum est, ut
„ ex efficacibus, rationabilibus, & justis causis, invictus Prin-
„ ceps, Ungarorum Rex Lodowicus, in potentia strenuus, in
„ strenuitate præclarus, in claritate benignus, in benignitate
„ sapiens, in sapientia providus, in providentia verbo & ope-
„ re Christianus, cui sollicitudo regni non defuit, ut cornua
„ contereret elatorum, cum multis militibus, & expensis non
„ modicis, manum potentem in validissimo exercitu contra
„ Venetos destinaret, ut vires & conatus reprimeret eorum-
„ dem, in oppugnatione quatuor annis ex dicto continue per-
„ duraret; recogitans & infra claustra pectoris sedula medita-
„ tione revolvens, quod si Dominus meritis S. Pauli primi
„ Eremitæ, in quo ipse specialem devotionem sub bona con-
„ fidentia gestabat, sibi de Venetis optatum præstaret trium-
„ phum; ex tunc corpus ejusdem Sancti, spe & fide devoti,
„ de Venetiis in regnum suum Ungariæ, ubi per dictos Fra-
„ tres cultu magnifico veneraretur, & celebris haberetur ipsius
„ memoria, venerabiliter transferri mandaret.

„ Porro ipse pius Rex, cui non fuit abbreviata manus Do-
„ mini, ut non posset sublimitatem incurvatorum Venetorum,
„ & altitudinem humiliare virorum, cui fælicium semper suc-
„ cessuum splendor illuxit, mobilitatis legem imitans, quoniam
„ excelsa ejus mentem minime elevaverunt, & infima non
„ dejecerunt, post plurima bella, rerum gravia discrimina, &
„ sæva pericula, interveniente aliquorum Christianorum Prin-
„ cipum pacem zelantium, largiente Domino, compositione,
„ tanquam pacis amicus, & caritatis patronus, ipsos Venetos
„ ad certam annuam solutionem perpetuo subjugavit. Sic ni-

„ mi-

„ mirum inter partes pace firmata, sedatis undique dissensio-
„ num vepribus præfatus Christianissimus Rex volens emissi
„ sui voti prosecutioni insistere, & fautori suo sponte oblata
„ exolvere, solemnes Ambasiatores, videlicet venerabiles in
„ Christo Patres, & Dominos Valentinum Quinqueecclesiæ, &
„ Paulum Zagabriensem Ecclesiarum Episcopos, viros Unga-
„ ros, natione claros, Canonum scientia illustratos, de cursu
„ temporalium non ignaros, cum quibusdam regni sui opti-
„ matibus pro ipso sacro obtinendo thesauro ad civitatem Ve-
„ netorum destinavit. Qui cum celeritate festinarunt ad ob-
„ sequium tantæ Majestatis, pleno desiderio aspirantes, modos
„ & vias, quas prædicto norant convenire, operosæ sollicitu-
„ dinis studio excogitantes, diu desideratum donum obtinue-
„ runt votive.

„ Sed cum hujusmodi reliquiæ caræ fuere, communi ne
„ impetu furentis turbæ popularis, rei desideratæ, & obtentæ
„ aliquantisper turbaretur exitus, consulta deliberatione, ci-
„ vium usi consilio, in secreto lucifugæ noctis silentio, luce-
„ scente die quarto mensis Octobris anno Verbi Incarnati 1381.
„ exanime corpus non indevoti, sed magnæ devotionis affectu
„ de ecclesia S. Juliani memorata suscipiunt, & in capsa li-
„ gnea artificiose fabricata fortuna celeri, cui arrisit divina
„ clementia, cum duobus aliis corporibus Sanctorum Innocen-
„ tum qui ab Herode in Evangelio leguntur, quæ & ipsi Ve-
„ neti grata sinceritate ipsi domino Regi usque Wudam insi-
„ gnem & amœnissimum Regni Ungariæ locum, & præcipuum,
„ sub felicibus auspiciis imperante Deo cæli vento & mari,
„ omni cessante tempestate, felici cursu, in tranquillitate pa-
„ cis & optatæ quietis, divina dextera eorum assistente pro-
„ cessibus felicius perduxerunt. Ubi eædem sanctissimæ reli-
„ quiæ cum maxima devotione & reverentia a Clero & po-
„ pulo, diverso apparatu ad cultum divinum adornato, incen-
„ sis luminaribus, venerabiliter sunt susceptæ, & in capella
„ regia sub custodia Fratrum ejusdem ordinis S. Pauli interim
„ deputatæ. Gaudet inclytus Regis animus in voto judicio
„ Dei commisso se attigisse, quod vovit. Gaudet & lætatur
„ Ungaria, sibi tanti Sancti effloruisse solatium, devotione &
„ religione mirabiliter prius in regno plantatum.

„ Volant interim hujus Sancti miracula diffusius, fitque ad

„ ejus

„ ejus reliquias undique devotus concursus; & factus est Con-
„ fessor regnicolis carus, qui reputabatur, antequam corpus
„ advenerat, fide prædilectus. Crescit amor Regis validus, &
„ quo locaretur vix reperitur situs. Firmatur Regis, & regni
„ majorum consilium, quod Reverendiss. in Christo Pater, ac
„ Dom. D. Demetrius tituli Sanctorum quatuor conronatorum
„ Sacrosantæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, sanctæ
„ Otergoviensis Ecclesiæ gubernator perpetuus, aulæque regiæ
„ supremus Cancellarius Apostolicæ Sedis in regnis Ungariæ,
„ & Poloniæ legatus probitate pius, pietate devotus, moribus
„ mansuetus, & mansuetudinæ fidus, fidei & sinceritatis alum-
„ nus, quem Rex experta scientia, & cognita ad plures ho-
„ nores successive affectuose promovit, supradictas sanctas reli-
„ quias de capella regia in ecclesiam pretiosi Martyris Chri-
„ sti Laurentii, quæ distat uno milliari a Wuda versus occi-
„ dentem, & in claro monte Wudensi est situata, ubi est egre-
„ gia turba monachorum, qui sub titulo dicti Patris degunt,
„ & sancta observatione militant, quique divinis insistunt lau-
„ dibus, vacant orationibus, atque ibi tanquam suo capiti,
„ filii Patri, Magistro discipuli, Duci milites, Deo & ipsi S.
„ Paulo jubilant, & sedulum ac debitum impendunt famula-
„ tum, collocaret. Qui ascitis sibi Episcoporum, Religiosorum,
„ secularium, & aliorum multitudine copiosa, tollens corpus
„ S. Pauli de Capella Regia XVIII. Kal. Decemb. in ipsa eccle-
„ sia venerandum cum suprema reverentia deposuit, & ipsum
„ diem festum Translationis ejusdem deinceps celebrari, vigo-
„ re & auctoriate suæ legationis instituit, & mandavit. Et ut
„ Christi fideles ad frequentationem reliquiarum diligentius
„ illo die animaret, omnibus vere pœnitentibus, contritis &
„ confessis, qui in ipso die translationis memoratas S. Pauli
„ reliquias humiliter & devote visitarent, de Omnipotentis
„ Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate
„ confisus, unum annum de injunctis sibi pœnitentiis miseri-
„ corditer relaxavit. In quo loco suffragium B. Pauli humili-
„ ter implorantibus innumera beneficia præstantur a benedi-
„ cto Domino nostro Jesu Christo, qui facit mirabilia magna
„ solus, cujus sunt hæc dona, cujus sunt hujus deserti sacri-
„ ficia, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in
„ sæcula sæculorum. Amen.

Satis

Satis superque esset solam fabulosæ hujus translationis historiam in medium attulisse, se enim ipsa per se falsitatis redarguit, & adeo erroribus scatet, verbisque assurgit pueriliter phaleratis, ut a criticis doctisque viris insigne commentum ad imponendum merito reputetur. In ipso statim narrationis limine intrepide affirmat Sanctum Antonium Abbatem nonnullos ex suis ad profitendam vitam Monasticam eo misisse, ubi erat S. Pauli sepulcrum, videlicet in asperioribus magisque inaccessis Thebaides desertis. Nemini uno seu Græco, seu Latino Scriptori in mentem venit Monasterii hujus, quod utique fuisset celebratissimum, mentionem facere. A qua igitur officina tale aliquid depromptum est? Credibile ne est S. Antonium Cœlesti prudentia præditum homines ibi affigere voluisse, ubi ex indole loci nihil præter palmas ad vitæ necessitates præsto erat; Divinam idcirco providentiam tentasse, ut manipulum Corvorum quotidie mitteret panem deferentium ad alendos Monachos? Hanc ne unam circumstantiam inter reliquas omnes Divus Hieronymus vel neglexit, vel ignoravit? Sed hæc utpote ad rem nostram minus pertinentia habeantur pro nihilo; condonetur etiam authori quod Jacobum Venetum *Lantzlo* dixerit, atque Ecclesiam S. Mariæ Speciosæ novo vocabulo *S. Mariæ Pervilepsi* appellarit, quam etiam pro suo arbitrio latine interpretatus est *Circumseptam*. Genuinas voces Lanzolo ex Dandulo *Periblepta* ex Cangio addiscimus.

Hungaricæ translationis enarrationem exorditur author Anonymus ab ampullosa Panegyri Ludovici Regis Hungariæ, qui etiamsi pro bello contra barbaras gentes strenue gesto laudem promereatur, attamen ex hoc notandus est, quod post fœdus solemni juramento cum Venetis sancitum anno MCCCLXXIII. haud multo post anno scilicet MCCCLXXVIII. *absque causæ cognitione* arma in Reipublicæ perniciem movit, ut Januensium nationi ejusque injustis odiis adhæreret. *Hungarorum Rex Ludovicus*, ait Anonymus, *ut cornua contereret elatorum*, *manum potentem in validissimo exercitu contra Venetos destinavit*. Quodnam fuerit bellum istud quod adversum Venetos egit Ludovicus, ampullosa verba satis non indicant. Voces illæ *ut cornua contereret elatorum*, ad Ludovici epistolas referri videntur anno MCCCLXXI. datas contra Venetos, quibus *terra marique minabatur*, ut refert Caresinus, *prodens*, *potestatem sibi in terris*

divinitus traditam, ut opprimat elatos. Bellum attamen intelligi debet, quod *Clodiense* dictum est anno MCCCLXXVIII. inceptum, completumque anno MCCCLXXXI. At bellum istud Ludovicus tanquam præcipuus ejus author, neque excitavit, neque gessit, sed ut Januensium aliorumque fœderatorum partibus faveret; iis enim temporibus in Venetæ Reipublicæ excidium cum Januensibus conjuraverant Franciscus Carrariensis Patavii Dominus, atque Marcuardus Aquilejensis Patriarcha. Attamen tantis impetita viribus in tot rebus adversis, & alicubi præsertim ad Fossam Clodiam male gestis Respublica suis major periculis stetit, & res labantes mira virtute restituit. Res gestas fuse, & ex ordine narrat Raphaynus Caresinus Venetus Cancellarius, qui Andreæ Danduli Ducis Chronicon accuratissime continuavit, & inter *Rerum Italicarum Scriptores* relatus est Tom. XII. col. 418. Fusis igitur devictisque ad Fossam Clodiam Januensibus consequuta est Taurini Pax anno MCCCLXXXI. Hanc post *plurima bella interveniente aliquorum Christianorum Principum pacem zelantium compositione* statutam fuisse falso asserit Anonymus; conciliatæ enim pacis meritum Amedeo Comiti Sabaudiæ unice convenire dignoscitur. Rem narrat verissime Caresinus: *nonnulli mundi Principes*, inquit, *pro sedandis tam nocivis fidei catholicæ, & toti orbi discordiis se benevole interponere voluerunt: Sed divino nutu, tantæ rei effectus extitit reservatus illustri, ac pio & Christianissimo Principi Dom. Amedeo Comiti Sabaudiæ*. Concordat Daniel Chinatius author Synchronus *della Guerra di Chiozza* Tom. XV. Rer. Italic. Quod autem ab Anonymo Scriptore fel contra Venetos eructante per jactantiam venditatur, Venetos nempe ad *certam annuam solutionem* a Ludovico Rege fuisse *perpetuo subjugatos*, omnino falsum est, nec ab ullo Hungaricarum Rerum Scriptore memoratum. Pacis conventio fuit non tributum, ut septem millia aureorum solverentur a Venetis *per recognitione delle bocche de fiumi, che mettono nel mare*, ut ait Naugerius vel Scriptor alius tomo XXIII. Rer. Ital. col. 1067. vel ut ait Sanutus Tom. XXII. col. 721. *con questa condizione, che il detto Re rifiuti ogni giurisdizione avesse, o potesse avere ne fiumi di Pago, ne che gli mai potesse fare far sale, e che dovesse tenere i porti d' Ischiavonia salvi e sicuri:* Ubi etiam addit pactam solutionem fuisse *ad anni cinque*. Concinit ipse Bonfinius

nius Rerum Hungaricarum Scriptor Dec. II. lib. X. pag. 365. *ut decimo quoque anno*, inquiens, *septem aureorum nummum millia Ludovico Regi Venetus solveret, contra ille Dalmaticam oram Venetis negotiatoribus a Piratis tutam redderet, neve salem Dalmata Illyricusque conficeret*. Pactæ utrinque conventiones hæ fuerunt, quibus pax Taurini inter dissidentes principes firmata fuit.

Rex volens (prosequitur author) *emissi sui voti prosequtioni insistere solemnes ambasciatores Valentinum Quinqu' Ecclesiæ, & Paulum Zagabriensem Ecclesiarum Episcopos cum quibusdam Regni sui optimatibus pro suo sacro obtinendo thesauro ad civitatem Venetorum destinavit*. Reticet in hac enarratione anonymus illustrem Valentini Episcopi dignitatem, qui jam pridem anno MCCCLXXIX. inter S. R. E. Presbyteros Cardinales titulo S. Sabinæ ab Urbano VI. cooptatus fuerat una cum Demetrio Otergoviensis Ecclesiæ gubernatore perpetuo, cujus Cardinalitia dignitas paulo post in ipsa translationis historia memoratur. Cur autem quod de uno fideliter affert, de altero reticeat, cum cæteroquin ad legationis decus condeceret, nulla est in promptu sufficiens ratio, nisi inconsultus ille animi impetus, quo arrepto calamo, quicquid occurreret verum & falsum exponebat, interea multa negligebat, plura ignorabat. Legatos hosce non Venetias, sed Augustam Taurinorum directos fuisse, ut pacis negotium Amedeo Comite agente conficerent, testantur Caresinus, & Chinatius.

Taurinum itaque *cum celeritate festinarunt ad obsequium tantæ majestatis*, atque in ea civitate moras traxerunt, donec initæ reconciliationis fœdus firmatum fuit, quod mensis Augusti die octava accidit, atque inde percommode Venetias adventarunt *die* 11. *Octobris nomine Regis pacem juraturi*, ut referunt Chinatius loco citato & Caresinus in additamentis ex Codice Ambrosiano desumptis; hæc autem cum enunciata celeritate quomodo componi possint haud intelligo.

Venetias appulsos Hungaros legatos *diu desideratum donum* obtinuisset refert Anonymus. *Sed cum hujusmodi reliquiæ caræ fuere, communi ne impetu furentis turbæ popularis rei desideratæ, & obtentæ aliquantisper turbaretur exitus, consulta deliberatione, Civium usi consilio, in secreto lucifuge noctis silentio lucescente die Quarto mensis Octobris Anno Verbi Incarnati* 1381.

exanime corpus de Ecclesia S. Juliani memorata suscipiunt. Jam ex superius allatis scriptoribus agnovimus Hungaricos nuntios Venetias ingressos die II. Octobris, cum itaque, ut Anonymus sibi fingit *lucescente die quarta* ejusdem mensis *exanime corpus de Ecclesia S. Juliani* susceperint, consequitur, intra unius diei spatium, quæ altera erat ab ipsorum adventu, legationis suæ causam P. C. exposuisse, collata de concedendis sacris ossibus fuisse suffragia, atque de ipsis in secreto *lucifuge* (subsequentis) *noctis silentio* auferendis recepta Civium consilia, factamque deliberationem, rem denique ex integro peractam. Hæc omnia pro genio ingenioque suo composuit Hungaricus Scriptor, qui bene senserat, quantum fabellæ suæ adversaretur cultus corporis S. Pauli adhuc perseverans Venetiis. Ea propter, ut præjudicium hoc amoliretur, finxit sacras exuvias, ne populus seditionem moveret, noctu summoque silentio sublatas fuisse, indeque ut fabulæ ornatum augeret *in capsa lignea artificiose fabricata* (fortasse tanto artificio fabricata eadem die, qua tot alia negotia legati feliciter complevere) cum duobus aliis corporibus Sanctorum Innocentium collocatas. Sacra ea pignora, prosequitur Hungaricus author, *ipsi Veneti grata sinceritate Regi usque Wudam felici cursu perduxerunt.* Quanta & quam inepta mendacia Anonymus fabulator brevi sermone coacervavit! Si enim Venetus Senatus sacrum illud corpus Regi destinasset, quid obstare poterat, ne res succederet sine populari motu ea præsertim tempestate, qua Respublica nullis unquam intestinis dissidiis laboravit? Cum Hungaris oratoribus Budam redeuntibus, in eam simul profectos esse Civitatem Oratores duos Venetos Leonardum Dandulum, & Fantinum Georgium, & ipsos pacem juraturos tradunt Chinatius, & Caresinus; arreptumque ab illis iter die XII. Decembris narrat ille, at iste die XII. Octobris. Num hi fuerunt Veneti illi, qui sacrum corpus ad Regem Hungariæ detulerint? Mirum sane rem hanc altissimo involvi silentio apud Scriptores Venetos omnes; nec enim pudebat eos sacra lipsana, quæ ardentius Ludovicus optabat, dono eidem dedisse. Mirum quoque Regis vota, oratorum postulationem, annuentem Senatum, factasque deliberationes perpetuo obliterare silentio voluisse tot authores, qui rerum Venetarum aut historias, aut Chronica, aut alia id genus opera elucubrarunt. Mirum quoque hæc

fieri

fieri potuisse insciis Plebano, & Presbyteris, & Ecclesiæ custodibus; quod si nocturni arcani participes dixerimus, profecto mirabilius est, nec per ipsos, nec per maritimos vectores, qui sacra corpora ad Regem detulerunt, rem fuisse vulgatam. Interea dum secretæ deductionis negotium universam urbem latet, sepulcrum S. Pauli sacris ejus ossibus vacuum, vel alienis refertum non interrupta veneratione frequentatur. Numquid putandum est Patres antiquæ pietatis immemores irreligiosa fraude permisisse corpus, quod aberat, adhuc a populo coli, omnesque Patres Conscriptos in tantum scelus libenter consensisse? Si prudenter omnia hæc & mature attendantur, haud difficile erit Hungaricum codicis scriptorem, nec paucis nec levibus vitiis laborantem nulla fide donandum esse tuto pronunciare.

Interim illa ætate & sequiore hodieque pro certo habebant Veneti proque certo habent Sancti primi Eremitæ corpus in S. Juliani Æde adservari. Apud Hungaros *tantus thesaurus*, qui tanto jactatur rerum molimine comparatus, quique primum *in capella regia sub custodia fratrum ejusdem ordinis*, mox solemni pompa *in Ecclesia Divi Laurentii in claro monte Wudensi* collocatum dicitur, ubi ab *egregia turba Monachorum qui sub titulo dicti Patris degunt* cautius custodiretur, *disperiit* tandem *custodum incuria*, & a quo, & in quem locum delatum sit ignoratur.

Addit anonymus *sanctas Reliquias de Capella regia in Ecclesiam S. Laurentii in monte Wudensi* deductas fuisse *XVIII. Kalend. Decembris*, cujus Translationis diem *deinceps celebrari mandavit* Demetrius S. R. E. Cardinalis *Apostolicæ Sedis in Regnis Ungariæ, & Poloniæ Legatus*, qui de *Regis & Regni majorum* consilio *in ipsa Ecclesia venerandum corpus* deposuerat. At Religiosus Ordo, qui S. Paulo *tamquam suo capiti, Patri, Magistro, Duci sedulum, ac debitum impendit famulatum*, Translationem e Byzantina Urbe Venetias peractam ipsa die XIV. Novembris Officio Ecclesiastico sub ritu duplici colit, dumque in secundi nocturni lectionibus Sacrum Corpus Divi Pauli refert à *Jacobo Lanzio* (verius Lanzolo) Venetias deductum, & in Ecclesia S. Juliani Martyris honorifice collocatum, Hungaricam translationem alto silentio prætermittit, quodque mirandum magis est, Lectiones ipsas ex iisdem ferme verbis concinnavit, quibus Sycophanta in principio suæ enar-

enarrationis usus est, ad ornandam & occultandam mendacii improbitatem. Non tamen viros sinceræ veritatis amatores, atque *vitæ innocentia*, & morum sanctitate venerabiles fefellit astus; quinimmo pura ab impuris, vera a falsis seligendo veram Sanctissimi Eremitæ, & Patris translationem sibi quotannis recitandam, & venerandam proposuerunt nihil de fallaci anonymi commento admittentes; quod si aliquando ut refert Fortunatus Ulmus Abbas Cassinensis in notis ad vitam S. Pauli primi Eremitæ typis edita anno 1668. Hungaricæ translationis memoria in quoddam Breviarium anno 1540. typis editum, improvide irrepsit, haud multo post idem Breviarium, ut testatur loco citato idem Fortunatus Ulmus vetitis libris Apostolicæ Sedis authoritate adnumeratum fuit. Lectiones ex ipso Religionis S. Pauli Libello depromptas exhibemus, quas postmodum anno 1698. S. Rituum C. ad Clerum quoque Ecclesiæ S. Juliani Venetiarum extendi decrevit.

„ *Die XIV. Novembris. In Translatione Sancti Pauli Pa-*
„ *tris nostri Primi Eremitæ Duplex.*

„ In II. Nocturno.

„ LECTIO IV.

„ Plenus dulcedine, & semper ineffabili affluens pietate
„ Patris æterni filius Dominus Jesus Christus, qui erga
„ suam sanctam Ecclesiam Catholicam sic suæ continuat be-
„ nignitatis affectum, sic suæ promotionis multiplicat auxilia,
„ ut quam sui commercio sanguinis acquisivit, indesinenter
„ custodiat, idque non solum per Angelos in ministerium de-
„ putatos, sed etiam per Sanctos, quos cœlo dignos effecit,
„ ut in hujus mundi exilio, sic vallato discrimine positi, ac-
„ cumulatis Divinæ Clementiæ beneficiis, supernæ militiæ
„ duplicato fulciremur præsidio: præterquam quod gravissimo-
„ rum virorum regimur providentia, qui egregie sibi servien-
„ tes binis ornare solent honoribus. Tu autem.

Lectio

" LECTIO V.

" HINC est, quod licet post ingressum suum ad Patris glo-
" riam, a qua venerat, animam B. Confessoris Pauli pri-
" mi Eremitæ spirituali certamine attritam, afflictamque, &
" gravi consummato labore, triumphoque parto ad præmium
" vocans, dignis affecerat gloriæ coronis, non tamen vel ipsum
" exanime ejus corpus, quod prius per spatium sexaginta an-
" norum, ut dudum Eliam Prophetam ministerio Corvi pave-
" rat, reliquis septem & triginta prioribus palma illi victum
" præbente, ob vitæ ejus ingens meritum, diutius in situ,
" ac pulvere jacere passus, sed ut ab omnibus dignius vene-
" raretur, voluit in publicum produci. Tu autem.

" LECTIO VI.

" PROINDE magnanimus Princeps Dominus Emanuel Impe-
" rator Constantinopolitanus, audita ejus fama jussit eum
" terræ gremio effodi, effossumque ingenti gloria Constanti-
" nopolim per vasti maris ingentia spatia, per spumosas hor-
" rentium fluctuum undas transferri, & in Ecclesia, quam ipse
" novam Divæ Virgini erexerat, reponi. Hinc Anno Domi-
" nicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo,
" sparso miraculorum ejus rumore, vir illustris Jacobus Lan-
" zio Civis Venetus, quem virtus in primis, & Senatoria di-
" gnitas, opumque splendor illustrabat, vehementer affectus,
" instructa classe, solvens a Venetiano portu Constantinopolim
" venit, ibique operosa sollicitudine corpus ejus impetravit, &
" Venetias transferens, in Ecclesia S. Juliani Martyris honori-
" fice collocavit, hoc solo pignore feliciorem Urbem repu-
" tans. Tu autem.

Hisce adductus argumentis Bollandus ipse in Addendis ad diem x. Januarii pag. 1108. non adeo certam Hungaricæ translationis historiam esse denique sensit, ut *verisimile* existimaverit *non integrum corpus S. Pauli Venetiis in Hungariam translatum, sed aliquas ejus partes*; quod Jacobus Cavatius pridem adnotaverat apud Fortunatum Ulmum in ejusdem Anachoretæ vita Italice typis edita cum notis. Deploratæ causæ hæc videntur præsidia, quæ idoneo teste nullo proferuntur.

Ex

Ex Peregrino Merula in Sanctuario Cremonensi hæc addit Bollandus loco citato: " Venetiis etiamnum in æde S. Juliani „ asservari S. Pauli corpus, capite Romam translato, ipsosque „ S. Pauli sodales eas reliquias religiose anno *1626.* mense „ Majo veneratos, vexillum in ea æde suspendisse ipsius san- „ cti Eremitæ effigie insignitum; ac Patriarchæ supplicasse, ut „ sibi partem aliquam earumdem reliquiarum donaret in sua „ ecclesia collocandam. Particulam aliquam capitis Romæ in „ æde S. Mariæ quæ in Campitelli dicitur, asservari testatur „ Octavius Pancirolo in Thesauris absconditis almæ Urbis; „ alias item particulas reliquiarum ejusdem Sancti in aliis qui- „ busdam Romanis basilicis extare ".

De sacro Divi Pauli primi Eremitæ capite non Romani tantummodo, sed & Galli gloriantur, qui se illud in antiquissima Divi Vincentii Abbatia apud Laudunum sita asservasse profitentur:

Ex libro voyage litteraire de deux religieux Benedictins page 47. L' abaye de S. Vincent est la plus ancienne de Laon, & reconnoit pour Foundatrice la Reine Bruneaut. En y conserve les reliques de Saint Chanoald eveque, & le chef de S. Paul premier hermite.

Ex libro: Itinera litteraria duorum Monachorum Ordinis S. Benedicti pag. 47. Abbatia S. Vincentii omnibus antiquitate præstat in Diœcesi Laudunensi; & Fundatricem agnoscit Reginam Brunechildem. Asservantur in ea Reliquiæ S. Chanoaldi Episcopi, atque caput S. Pauli Primi Eremitæ.

Quænam ergo Hungaricæ Translationis fuerit origo? Conjecerim ego primum ordinem ascetarum S. Pauli primi Eremitæ in Hungariam introductum ansam fortasse dedisse fabellam comminiscendi. Historiæ produnt aliquorum Heremitarum Congregationem anno 1215. aut verius 1252. in Hungaria sub nomine S. Pauli primi Eremitæ coactam fuisse. Jam vero Sylvester Maurolicus hanc refert originem apud Bonanium & Heliotum his verbis: " Dopo che nel 1215. il sacro corpo di S. „ Paolo Eremita fu dal Egitto trasferito nella Pannónia, e „ collocato in un Tempio fabbricato presso Buda, Eusebio „ Strigoniense incominciò a vivere solitario, siccome altri suoi „ compagni. Fabulam refellit Heliotus part. III. *degli Ordini* „ *religiosi*, cap. 42. quæ tamen fortasse lumen offert, quo intelli-

telligamus, simul cum Ordinis B. Pauli primordiis famam vulgari cæpisse de transvecto in Hungariam Sancti Eremitæ corpore non Venetiis sed ex Ægypto.

Num propterea Ludovici Regis animo insedit, ut Rempublicam Venetam tot bellis lacessitam cogeret quoquo modo ad sacra lipsana concedenda. Id minime factum hactenus ostendimus: at inde fama exoriri fortasse potuit, quæ vulgo persuasit, apud Hungaros adservari Beatissimi Eremitæ corpus ex Ægypto translatum, ut ajebant alii, avectum Venetiis, ut alii jactabant. His pro veritate expositis, poterit quisque haud difficulter inter tot rejectas fabellas certam de corpore Divi Pauli Venetiis in æde Sancti Juliani quiescentis pro veritate ferre sententiam.

Haud longe a Divi Juliani Ecclesia intra ipsius Parœciæ terminos Ecclesia S. Crucis titulo sita est, quam divinis officiis Armenorum Natio religiose frequentat. Hæc ejus fuerunt exordia.

Petro Ziani, qui Ducis dignitatem obtinuit die quinta Augusti anni millesimi ducentesimi quinti, filius fuit Marcus ille Ziani a quo Armenorum natio domum ex legato agnoscit, quam intra fines Parœciæ S. Juliani possidet. Hæc sunt verba in ipso donatoris testamento confecto die v. Julii anno 1253. *Domum, in qua manent Armeni, volumus, ut ipsi in ea stare debeant, & quandocunque fuerit opportunum eamdem de nostris bonis conciare debeant.* Commissarios autem quos vocant, esse jussit inter cœteros etiam Procuratores operis Ecclesiæ S. Marci: *Constituimus nostros Commissarios una cum reliquis superviventibus DD. Procuratores Operis Ecclesiæ S. Marci.*

Habueritne hæc domus domesticum Oratorium iis temporibus, non ita frequens, an secus, plane ignoramus. Illud constat, Armenos a Leone X. facultatem petiisse ad ædificandum sacellum, ubi res sacra juxta Armenos ritus peragi posset, quorum precibus Romanus Pontifex benigne annuit. Anno deinde 1665. die 26. Januarii postularunt Armeni a Procuratoribus D. Marci, ut sacellum nimis angustum amplificari sinerent, quod illi in omnia, quæ spectant ad Dei cultum, faciles semper, & proni perhumaniter concesserunt. Sed quæcunque in oppositum insurrexerint impedimenta res certe successu caruit. At rursus Ann. 1675. die 29. Augusti Gregorius qu:

Girach Mirman supplicem de Sacelli amplificatione libellum Procuratoribus obtulit, quod suis sumptibus & sine Procuratorii juris detrimento, vel minimo fieri debere profitebatur. Hisce servatis legibus voti compos est factus, & quam petebat facultatem decreto obsignarunt die 15. Sept. Anno 1675. Exinde cuncta, quæ opus erant, cœpta sunt disponi, donec Anno 1682. ligneum novi Templi simulacrum (modelum vocant) sibi oblatum Procuratores collaudarunt, & opere perfici annuerunt, hac tamen lege si Mirman ejusque Filius catholicæ fidei professionem coram Veneto Patriarcha emisissent.

Simul ac Templum rebus sacris rite obeundis aptatum fuit, ejus cura demandata est Presbytero Gregorio Urachiel Sacerdoti Catholico, utque Veneti Patriarchæ jurisdictioni subesset, sancitum est. Illud etiam additum, ejus successores esse oportere Catholicos, nec nisi Armenis Sacramenta administrare. Interea Procuratores Divi Marci jus suum in Templum, & adjacentem domum tuentur, & quotannis die 3. Maii, quæ Templo solemnis est & præcipua, in Magistratus formam locum invisunt, eosque Nationis Præfectus, & Assessores ad Templi vestibulum, & limen excipiunt.

Angustum quidem est Templum, sed plane elegans & quod vel primo intuitu placeat. Tria in illo e selectis marmoribus surgunt Altaria. Inter cæteras Reliquias pars ligni Dominicæ Crucis conspicua est. Quotquot vel Cives, vel advenæ accedunt, dum sacra officia suo, quo utuntur ritu Armeni peragunt, unanimiter fatentur, seu sacrarum vestium mundities, & elegantia, seu ipsa rituum Majestas, seu quod caput est in sacris Levitis modestia, & pius animi fervor spectetur, nihil melius desiderari posse ad Dei cultum atque adstantium ædificationem.

Plebani Ecclesiæ S. Juliani ordine chronologico distributi.

1222. N. Plebanus S. Juliani Castell. Diœcesis statuitur ab Honorio III. Judex Delegatus, ut audiret & decideret causam inter Abbatem Monasterii S. Georgii Majoris ex una, & Canonicos Justinopolitanæ Ecclesiæ, ac

quos-

quosdam alios ex altera parte. Ex Autographo Bullæ ipsius Honorii III. in Archivo S. Georgii Majoris.

1269. Bartholomæus Quirinus Nob. Ven. Plebanus Ecclesiæ S. Juliani de Venetiis die VIII. Junii dicti anni composuit quasdam differentias inter Abbatem S. Georgii Majoris, & Nobiles de familia Juliana. Ex Catastico veteri Monasterii S. Georgii Majoris.

1332. Leonardus Cavazza Not. & Aulæ Ducal. Cancell. Ex rogitis ejusdem.

1351. Petrus de Baono Nobilis Patavinus Canon. Tarvisinus, postea Episcopus Tarvisinus. De eo vide Ughell. T. v. in Episc. Tarvisinis. Bartholomæus Zambertus in Indice ms. hæc habet: 1359. *Tarvisinus Episcopus Domnus Petrus de Baono Plebanus S. Juliani Venetiarum promovetur per Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Tarvisinæ*. Assumptus ad Sedem Tarvisinam perseveravit uti commendatarius a Sede Apostolica institutus in possessione reddituum Eccl. S. Juliani.

Circa ea tempora ab anno nempe 1333. usque ad annum 1347. invenitur in Archivo S. Mariæ, & S. Donati de Muriano Petrus de Baono Nobilis Patavinus Plebanus S. Mariæ Murianensis. Num duo fuerint Petri de Baono, vel idem ipse de Plebanatu Murianensi deductus fuerit ad Venetam S. Juliani Ecclesiam, cum documenta non suppetant, quis divinet?

1378. Andreas Violante de Tuderto Archipresb. Congreg. S. Lucæ. Ex rog. Jacobi Ciera Plebani S. Joannis Crysostomi. Sub eo Ecclesia erigitur in Collegiatam.

1420. Joannes Campisano Not. & Ducal. Cancell. Vicar. Blasii de Molino Patriarchæ Gradensis, Archipresbyter Congreg. S. Salvatoris, a qua fuit deputatus anno 1433. ad Concilium Basileense. Ex rog. ejusdem, & ex Chron. Marini Sanuto.

1445. Ambrosius de Augustinis constitutus Judex super Decimis exigendis a Sancto Laurentio Justiniano Episcopo Castellano. Ex rog. Felicis Bruno Pleb. Sancti Jo: Novi.

1456. Nicolaus a Crucibus Decretor. Doctor Electus ann. 1457. Episcopus Clodiens. Ughell. Tom. v. col. 1353.

1483. Joannes Grimano Not. Pleb. S. Juliani, & Capellanus Sanctæ Justinæ, & Archipresbyter. Ex rog. ejusdem; Ob. 26. Januar. 1501.

1502. Bartholomæus de Alessandris. Ex rog. Joann. Francisci Urso Plebani Sanctæ Mariæ Jubenico. Ob. 22. Octobris 1517.

1518. Nicolaus Renius J. U. D. Canon. Ducal. & Archipresbyter Congreg. S. Pauli. Ob. 29. Septemb. 1541. Ex Cod. ms. Planch.

1541. 5. Octob. Gaspar de Marianis Gibbus, olim hujus Ecclesiæ, & Ecclesiæ S. Thomæ Presb. Tit. postea Pleb. S. Mauritii, demum Pleb. S. Juliani. Ob. 16. Feb. 1551. M. V. Ex cod. Planch.

1552. 5. Martii. Franciscus Gritti, olim Pleb. S. Jacobi de Rivoalto. Ob. 19. Januar. 1558. M. V.

1558. M. V. 24. Januar. Thomas Rhumonius Canon. Castell. postea Ducal. Basilicæ. Ob. 18. Octob. 1575.

1575. Matthæus Ferrerius Canon. Ducal. Archipresb. Congr. S. Mariæ Formosæ. Ob. 18. Julii 1605.

1605. Gaspar Almerinus electus Canon. Ducal. a Consiliariis, & Capitibus de XL. vacante Ducatu die XI. Novemb. 1615. Edidit Artis Rhetoricæ Viridarium Venetiis apud Muschium 1609. quem librum inscripsit Francisco Vendrameno Patriarchæ Venetiarum. Obiit 30. Octobris 1620.

1620. Octavius Salvioni electus rejicitur in examine a Patriarcha, cujus loco.

1620. Sebastianus Capello. Ob. 16. Octob. 1630.

1630. Octavius Salvioni electus iterum, & approbatus. Ob. 6. Novemb. 1631.

1631. Jacobus a Prato. Ob. 2. Junii 1633.

1633. Franciscus Longo. Ob. 6. Novemb. 1640.

1640. Bernardus Rotta J. U. D. olim Diac. Tit. S. Mariæ Formosæ Canon. Theologalis Castell. postea Canon. Ducal. Archipresb. Cong. S. Mariæ Matris Domini. Obiit 9. Septemb. 1678.

1678. Zacharias Carrara. Ob. 7. Novemb. 1678.


1678. 11. Novemb. Jo: Bapt. Buffolli Archipresb. S. Mariæ Formosæ. Ob. 5. Januar. 1688. M. V.

1688.

1688. M. V. Angelus Businellus Canon. Ducal. Archipresb. Cong. S. Pauli. Ob. 17. Octob. 1709.

1709. Antonius Zampironius J. U. D. Canon. & Vicar. Ducal. Basilicæ, Archipresb. Congr. S. Sylvestri. Ob.... Martii 1740.

1740. Antonius Busius Canon. Castellanus.



Innocentius VII. erectionem Ecclesiæ S. Juliani in Collegiatam datis ad Franciscum Bembum Episcopum Castellanum epistolis Apostolica authoritate confirmat.

A.

1405. 8. Junii.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei: Ven. Fratri Episcopo Castellano sal. & Apost. benedictionem. Justis & honestis supplicum votis, illis præsertim, quæ ad divini cultus augmentum cedere valeant libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Nobilis Viri Michaelis Steno Ducis Veneciarum & universorum Parochianorum Parochialis ecclesiæ Plebis nuncupatæ S. Juliani de Venetiis Castell. Diœcesis petitio continebat quod ipsi pro hujusmodi cultus augmento in ecclesia predicta desiderant plures presbiteros in dicta Ecclesia institui, per quos divina officia pro tempore celebrentur in eadem, quodq. illis de fructibus, redditibus, ac proventibus ecclesiæ, qui ad hoc sufficiunt, licet ultra trecentos ducatos auri secundum communem existimationem non valeant annuatim, possit competenter provideri, reservata nihilominus ex eis congrua portione pro Rectore Plebano nuncupato ipsius Ecclesiæ de qua ipse Rector possit decenter vivere & particularia jura solvere, nec non sibi alia incumbentia onera supportare: quare pro parte Ducis & Parochianorum prædictorum fuit Nobis humiliter supplicatum, ut super hoc salubriter providere de speciali gratia dignaremur. Nos itaque qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si tibi constiterit, quod prefati fructus, redditus, & proventus ad id competenter sufficiant (ut præfertur) tu numerum quatuor eorumdem Presbyterorum, qui etiam pro tempore Missas & alia divina offitia celebrare ac Domino deservire teneantur auctoritate nostra institutas, & pro instituto ex omnibus hujusmodi fructibus, proventibus, & redditibus ipsius Ecclesiæ duas æquales portiones constituere, seu deputare procures, quarum unam Rector ipsius Ecclesiæ pro tempore, pro se, de quibus Episcopalia jura solvere, nec non alia incumbentia sibi onera prædicta supportare sit adstrictus, & reliqua dicti quatuor presbyteri percipiant, inter eos æquis portionibus dividendam; Itaque cedente, vel decedente dilecto filio moderno Rectore ipsius Ecclesiæ, vel ipsam Ecclesiam alias quomodolibet dimittente dicti quatuor Presbyteri instituantur in eadem Ecclesia qui alteram portionem

nem predictam per se reservandam tunc primum recipiant & inter se pro tempore dividant (ut prefertur) qui ex tunc cum Rectore ipsius Ecclesiæ qui erit pro tempore hujusmodi Missas & alia offitia divina in eadem ecclesia celebrare teneantur: Turonensis Concilii, (a) quod electionem benefitiorum Ecclesiasticorum prohibet, & aliis constitutionibus Apostolicis non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum v. Idus Junii Pont. Anno primo.

(a) In Turonensibus Conciliis ad annos 461. 567. 813. 849. 1055. 1096. & 1163. coactis nihil mihi invenire datum fuit, quod ad Ecclesiasticorum beneficiorum electionem spectet, verum in Concilio Lugdunensi II. quod inter Oecumenica XIV. adnumeratur, anno 1274. fusius agitur de tali electione ad num. II. III. & alios. Vide *Collec. Concil. Ven. Editionis Tom. XIV. pag.* 524. Facile hinc est autumari Turonensis pro Lugdunensis irrepsisse ex Amanuensis errore.



DE



DE ECCLESIA PAROCHIALI S. GEMINIANI EPISCOPI.

CUM Justinianus Cæsar arma contra Totilam Gothorum Regem movere decrevisset, ut iniquum usurpatorem ab Italiæ finibus amoveret, Narseti Patritio supremo copiarum Duci rei gerendæ curam demandavit. Vir inclytus, & omni virtutum genere cumulatissimus simul ac in Italiam descendit, & præclara Venetorum gesta comperit, qui alacritate incredibili, atque eximia rei nauticæ disciplina Græcorum res apud Ravennam primum, mox apud Anconam egregie juverant, Rivoaltum se contulit. Ibi nascentis Urbis novitate, & incolarum industria allectus, cum de auxiliis Augusto præstitis magnifico ipsos collaudasset sermone, se ibi duas sacras Ædes Domino ædificaturum despondit, si plenam absolutamque de Gothorum copiis victoriam referre contigisset. Victis itaque uno, atque altero conflictu, & Totila & Theja Gothorum Regibus, atque ipsorum exercitibus ad internecionem deletis, voti memor, quo Venetiis degens se obstrinxerat, duas in Insula Rivoalti ædificari mandavit Ecclesias anno 554. quarum altera Divo Theodoro Mar-

Martyri dedicata fuit, altera vero Divo Geminiano Mutinensi Episcopo, seu ut aliis placet, Divis Geminiano Episcopo, & Mennæ Egyptio Martyri sacra. Hæc e regione, atque in prospectu Ecclesiæ S. Theodori (nunc Divi Marci) ædificata fuit. Ut loci indoles qualis tunc erat melius intelligatur & oculis quodammodo subjiciatur, sciendum est forum Divi Marci, quod nunc longe lateque exporrigitur, tunc temporis multo angustius fuisse. Scilicet a via, quam vulgus viam Fabrorum vocat *Calle de i Favri* ad usque Majoris Canalis ostia rivus producebatur, & forum, quod tunc bifarium divideret tunc terminabat. In hujusce rivi adversa Foro ripa excitatum est Templum Sanctis Geminiano, & Mennæ sacrum, ita ut rivo, & foro mediantibus staret ex adverso Ecclesiæ S. Theodori, eamque fronte ipsa prospiceret. Sed auctis Reipublicæ gloria, & opibus visum est Vitale Michaele Duce circa medium Sæculi XII. ampliori spatio forum dilatare. Itaque necesse fuit rivum opplere, ipsamque SS. Geminiani, & Mennæ Ecclesiam, & domos ultra eam multas solo æquare. Sed ne id irreverenter contra Cœlites factum videretur, Templum novum extructum est Divo Geminiano sacrum, quod forum ad eamdem partem terminaret, atque eodem, quo prius prospectu ad S. Theodori Ecclesiam e regione se haberet.

Hanc quam veluti quamdam Ecclesiæ translationem vocare lubet, absque ecclesiasticæ authoritatis permissu peractam fuisse asserit Sansovinus lib. XII. atque ideo anathematis pœna irretitum Dominium Venetiarum hac conditione a Pontifice absolutum fuisse, ut quotannis ipsam Ecclesiam ad criminis remissionem visitaret. At Joannes Jacobus Caroldus accuratior Rerum Venetarum Chronologus Ecclesiam Divi Geminiani Pontifice permittente quodammodo translatam testatur, ex cujus decreti conditione Dux se quotannis ipsam Ecclesiam solemniter invisurum promisit. Carold. lib. I.

„ Narsete fece edificar doi Chiese in Rialto, l' una ad ho-
„ nor di S. Teodoro, la qual al presente e fra le mura della
„ Chiesa di S. Marco, l'altra fu edificata sotto il titolo de S.
„ Menna Martire, e Geminiano Vescovo, la qual dopo a
„ tempo del Doge Vital Michiel atterato, e munito il Canal
„ sopra il qual era detta Chiesa per far spatiosa la piazza di
„ S. Marco, fu reedificata al Capo del Brolio con permission

„ del

„ del Pontefice, per cui ordinatione li Dogi l'Ottava di Pas-
„ qua sono tenuti ogn'anno conferirse a quella Chiesa.

Vetustate fatiscens cœptum est Templum hoc a fundamentis renovari anno Incarnationis Dominicæ 1505. Leonardo Lauredano Duce, cum vero ex tenuitate proventuum reædificatio lento nimis opere procederet, accedente publicæ pietatis munificentia ad sui perfectionem juxta formam a celeberrimo Sansovino præscriptam anno MDLVII. deducitur, non amplum quidem, sed omnium, quæ in Urbe sunt, elegantissimum marmorea facie exterius, atque sectis melioris notæ lapidibus interius ornatur, cujus reædificationis tempus exsculpta epigraphe signatur.

„ Ædem hanc Urbis non vetustissimam solum, sed etiam
„ augustissimam Senatus Venetus antiqua Religione obstrictus
„ magnificentius pecunia publica reficiendam decrevit anno
„ post Christi Nativitatem MDLVII. Summa Benedicti Manzi-
„ ni Antistitis cura.

Ara Sacelli Principis Divorum Titularium, atque Joannis Præcursoris simulachra exhibet ex marmore Bartholomæi Bergomensis opus laudatissimum; ex adversa facie pedestris statua Melchioris Michaelis Divi Marci Procuratoris exsurgit geminas inter inscriptiones quarum quæ sinistrorsum est.

„ Melchioris Michaelis Auratæ Militiæ Eq. Sacri Lateranens.
„ Palatii Comitis Divi Marci Proc. ornamenta, Justitia, for-
„ titudo, quibus ad amplissimos dignitatis gradus elatus, ter-
„ ra marique Remp. sapienter administravit.

Ea vero quæ dextrorsum.

„ Dalmatiæq. Leg. MDXXXIX. Corciræ MDLVIII. Classis Ma-
„ risq. Imp. MDLXV. Urbes munivit, populos in officio, &
„ fide continuit, hostium impetum repressit, diligentiss. omni-
„ no Reip. incolumitatem dignitatemque servavit.

Ossa in medio Ecclesiæ pavimento jacent hac sepulcrali epigraphe contecta.

„ Melchior Michael Eques D. Marci Procurator sciens se
„ brevi Christi Servatori animam redditurum tumulum ossibus
„ præparavit an. sal. MDLXX. Ejus ætat. LXXXI.

Marmoreo conditus Mausoleo jacet Joannes Petrus Stella Magnus Reipublicæ Cancellarius, cui ob res præclare gestas Sena-

Senatus Venetus grati animi testimonium sublime excitari jussit monumentum, elogiumque inscribi:

„ Jo: Petrus Stella Eques, charus Senatui Veneto, gratus
„ exteris Principibus, Magni Cancellarii dignitatem ingentibus
„ meritis consecutus, ut posteris quoq. memoriæ prodesset,
„ exemplum civibus tam magnifice.

Ad interiorem Sacrarii parietem Ænea Herma Thomam Philologum Ravennatem Philosophum præclarissimum ad vivum repræsentat.

„ Religioni. Virtuti Thomas. Philolog. Rang. Raven. Phys.
„ Eq. Com. M B P A L. Eccl. Et Fab. Procurator.

Altare Divæ Catharinæ Virginis ipsius Martyrium refert Jacobi Tintoretti penicillo expressum; ara vero Divæ Helenæ sacra vivificæ Crucis portionem asservat supralaudati Melchioris Michaelis munus, ut excisa epigraphes testatur.

„ Lignum Crucis a Pio IIII. Pont. Max. dono datum Mel-
„ chiori Michaeli Procur. S. Marci & Equiti ab eodem Pont.
„ delecto, cum secum initio sui Pontificatus pro Rep. Orator
„ Romam congratulatum adiisset. Quod quidem lignum Cru-
„ cis idem Melchior cum magis conveniat loco servari sa-
„ cro, hic reponi voluit, ubi tumulum ossibus præparavit MDLXX.

Adjacet Ecclesiæ a sinistra ejus parte Sansovinæ gentis sacellum, in quo & Jacobus celeberrimus Architectus, & Franciscus ejus filius benemeritus rerum Venetarum collector una requiescunt. Horum secundus geminas epigraphes, parieti unam, pavimento alteram affigi jussit.

„ Jacobo Sansovino F. qui Romæ Julio II. Leoni X. Cle-
„ menti VII. Pont. Max. maxime gratus, Venetiis Archite-
„ cturæ Sculpturæq. intermortuum decus primus excitavit.
„ Quiq. a Senatu ob eximiam virtutem liberaliter honesta-
„ tus summo civitatis mœrore decessit, Franciscus F. hoc
„ M. P. D. Vixit ann. XLIII. Obiit v. Kal. Decemb. MDLXX.

„ Jacobo Patri Opt. Florentiæ Filiæ Dulcifs. sibi suisq. Fran-
„ ciscus Sansovinus P. MDLXX.

In hujus Parœciæ finibus Oratorium visitur Divi Galli titulo nuncupatum adjectumque ei Hospitale, quod olim ubi nunc sunt novæ Procuratorum ædes (Procuratie Nove) situm Hospitale Sancti Marci vocabatur.

Petrum

Petrum Urseolum, quem Ducalis honoris contemptus spectatissimum fecit, Fundatorem agnoscit, qui ædificata Ducali Basilica, atque in ea Divi Marci corpore decenter collocato, ut pauperibus quoque quos eximia prosequebatur dilectione subveniret, in propriis ædibus, quæ sub præcessore Duce conflagraverant, Hospitale instituit, quo inopes exciperentur, utque commodius ali possent congruis auxit redditibus.

Hoc tum Veneti, tum exteri Scriptores concorditer asserunt. Ex illis Dandulus in Chronico lib. VIII. cap. XV. part. X. „ Fuit nempe hic Dux (Petrus Ursiolus) pauperum nutritor, „ ædificans non procul a suo Palatio Hospitale, quod hodie „ S. Marci nuncupatur, Ecclesiarum etiam reparator, Cleri- „ corum, & Monachorum fautor, omnibusque benivolus, mil- „ leque libras de suis facultatibus ad Venetorum commoda „ tribuit, & alias mille in pauperum alimoniam contulit". Eadem ferme refert Petrus Justinianus in Historia Veneta. "Con- „ didit ad hæc e regione fori (quod hodie quoque extat) pium „ diverforium ad egestate depressos alendos." Hoc & significat ejusdem Sancti Ducis imagini apposita epigraphes in aula Ducalis Palatii ubi legitur:

„ Hospitale S. Marci Prior ædificavi, deinde & Monachus „ factus miracula plurima egi.

Non ad egenos, sed potius ad peregrinos suscipiendos, qui vel ut Sanctissimi Evangelistæ exuvias venerarentur, vel ut ad Palestinæ sacra loca transmigrarent, Venetias adventabant, erectum a pio Duce fuisse hoc hospitium testatur antiquissimus codex in Bibliotheca Sacri Camaldulensis Eremi asservatus, ubi hæc habentur: " Hospitale etiam apud Ecclesiam peregrinis „ constitui misericorditer ordinavit.

Utcumque de piæ ædis instituto res sit, vel ad pauperes alendos, vel ad peregrinos excipiendos fundata sit, ex immemorabili tempore quinque pauperculæ mulieres in ea degunt, quæ ex Ducis Veneti pro tempore existentis arbitrio selectæ præter habitationem quinquaginta argenteos annuatim excipiunt, quorum triginta ex antiquis ipsius Hospitalis redditibus, viginti ex Joannis olim loci Prioris legato proveniunt, qui anno 1364. die XX. Martii condito testamento Hospitale quod vivens optime administraverat moriens perpetuo auxit

Xx 2 bene-

beneficio, post cujus obitum lege Majoris Consilii lata die x. Julii 1365. cautum est, ne deinceps loci ipsius Priores, nisi ex ordine Venetorum Civium, quos Originarios vocant, eligerentur.

Ad annum usque MDLXXXI. in Divi Marci platea stetit Xenodochium, donec eo anno cum Procuratoribus novas magnificentissimas ædes ex S. C. extrui decretum fuisset, in locum, non ita dissitum, qui *Campo Rusolo* nuncupatur, translatum fuit. Translationis hujus mentionem ingerit Cl. Vir Guido de Grandis Abbas Camaldulensis in annot. ad vitam S. Petri Urseoli his verbis: " S. Marci Xenodochium *lo Spedaletto* vulgo „ dictum, a S. Petro Urseolo extructum novissime ad Procu„ ratorum ædes dejectum non longe in campum, quem *Rus*„ *solo* appellant translatum est: " Hæc & in notis ad Ughell. habentur Tom. v. col. 1214. Hospitalis Oratorium, in quo tria exurgunt altaria, facie marmorea decoratur, ejusque aram majorem Silvester dal Ben loci Prior propriis impensis instaurari mandavit, ut ex adjecta significatur epigraphe.

„ Aram hanc Deo Opt. Max. ac Divo Marco Evangelistæ „ Tutelari Urbis erectam Petro Urseolo Venetiarum Duce, „ qui Principatu deposito, ut se totum Religioni daret, ac „ privatis istis suis ædibus Pauperum diversorio constitutis, „ Guarinum Aquitanum Monachum, Romualdo, ac Marino „ Ravennatibus Monachis comitibus, una cum Gradenico, & „ Mauroceno Generis, sequutus Ann. sal. 978. in D. Michae„ lis de Cussano multis post mortem miraculis claruit; Silve„ ster dal Ben, Aloysii Mocenigo, Serenissimi Venetiarum „ Principis liberalitate Xenodochii hujus Prior suffectus, in„ stauravit, & ad perenne Urseoli Ducis decus, ad diuturnam „ Mocenigo, unius omnium liberalissimi Mecenatis memoriam, „ beneficiorum memor elogium edidit 1572. altero post ma„ gnam navalem Victoriam anno. Obiit autem 1573. 4. nonas „ Augusti cum Xenodochio præfuisset anno 1. mens. VIII.

Ordo

Ordo Chronologicus Plebanorum Ecclesiæ Sancti Geminiani.

1134. Raymundus Not. Ex decreto Processionis Scolarum in Antiquitatibus Medii Ævi Tom. VI. col. 467.

1249. Marcus Not. & Aulæ Inclyti Ducis Venetiarum Cancell. Ex Catastico Eccl. S. Moysis.

1276. Marcus Lombardo Archipresb. Eccl. Castell. Hic Anno 1276. die 1. Decemb. Presbyteris suæ Ecclesiæ fundum donavit ad domos construendas (A).

1304. Almericus de Blanco Not. Ex rog. ejusdem.

1322. Dominicus Mozzo, olim Presb. S. Sophiæ, postea Plebanus S. Geminiani, Not. & Aulæ Ducal. Cancell. Ex rog. ejusdem.

1331. Petrus Scutarius memoratus hujus operis Decade I. pag. 182. Cum diu multumque certatum fuisset inter Primicerium, & Canonicos Ducal. Basilicæ ex una parte, atque Plebanum, & Capitulum S. Geminiani ex altera pro divisione domorum, & decimarum utriusque parœciæ, tandem anno 1331. die 22. Februarii solemniter in eas conditiones & pacta conventum est, quæ fusius in ipso conventionis instrumento continentur (B).

1348. Leonardus de Cagnolis, qui & alibi appellatur Dardi de Cagnolis. Ex quo jure autumandum censeo vocem *Dardi* vernaculum Venetum esse, quo *Leonardus* significatur, sicuti per vocem *Stae Zuanne Almorò* Eustachius, Joannes, & Hermolaus denotantur. Fuit Prior Hospitalis S. Marci, deinde anno 1349. electus Episcopus Polensis, ac tandem anno 1353. translatus ad Episcopatum Clugiensem. Ughell. in Episcopis Polensibus, & Clugiensibus.

1350. Andreas Bonus. Ex rog. Nicolai de Decanis Pleb. S. Blasii, & Notarii.

1356. Raynerius. Ex rog. Nicolai supradicti.

1379. Morandus de Coronellis Not. transiit ad Plebanatum S. Apollinaris. Ex rog. ejusdem.

1390. Joannes Boninsegna Not. primum Presb. S. Mauritii, deinde Pleb. S. Sophiæ, postremo Pleb. S. Geminiani. Ex Catast. Eccl.

1424. Hilarius de Gozadaris Canon. Basilicæ Ducalis, Archipr. Cong. S. Angeli, Judex super decimis exigendis constitutus a S. Laurentio Justiniano. Ex Arch. Eccl.

1449. Nicolaus de Crucibus Decretor. Doctor Vicar. Generalis S. Laurentii Justiniani Patr. Venetiar. Ex Catast. Eccl. S. Martini.

1455. Angelus Laurentii Not. Ex rog. ejusdem.

1458. Nicolaus Pino Notarius transiit ab Plebanatum Sancti Angeli.

1467. Laurentius Stella Not. Damiani filius. Ex rog. ejusdem.

1476. Antonius Zoggia Andreæ filius. Ex Castast. Eccl.

1492. Nicolaus Rubeus Canon. Ducal. Basilicæ Cancell. Ducalis. Ex Catast. Monasterii S. Mariæ Servorum, in quo dicitur Patritius Venetus.

1504. Hieronymus Bonetus. Ex Arch. Eccl.

1505. Matthæus de Electis. Obiit 14. Septemb. 1523.

1523. Nicolaus Morario Prothonot. Apost. Vicar. & Canon. Ducal. Basilicæ, Archipresb. Cong. S. Mariæ Matris Domini, translatus fuit ad Plebanatum Sancti Pantaleonis.

1532. Hieronymus de Electis claudus Capell. S. Mariæ in Brolio, seu Eccl. Ascensionis, & Canon. Eccl. Ducal. Ob. 31. Decemb. 1545.

1545. M. V. Benedictus Manzini Canon. S. Marci. Eo Ecclesiam administrante Senatus Venetus Ecclesiam S. Geminiani pecunia publica reficiendam decrevit. Obiit 1. Decemb. 1570.

1570. 5. Decemb. Petrus Antonius Aloysius. Hic Altare Divæ Helenæ ubi Crux Dominica asservatur instaurari mandavit, ut significant Epigraphes mensæ ipsius Altaris exsculptæ:

» Multa ornatus causa, Ecclesiæque perficiendæ sub Plebanatu Petri Antonii Aloisii facta fuerunt.
» Qui postea sui Plebanatus anno quinto inter alia hoc Altare Kal. Junii instaurari voluit MDLXXVI.

Obiit 5. Augusti 1594.

1594.

1594. Angelus Boscherius, olim Pleb. S. Eustachii J. U. D. Canon. & Vicar. Ducal. Eccl. Archipresb. Cong. S. Michaelis Archangeli. Ob. 11. Januar. 1629. M. V.

1629. Martinus de Amicis. Ob. 23. Octob. 1645.

1645. Apolonius Bindoni Canonicus Creten. Obiit 1668. M. V. 18. Januarii.

1668. M. V. Antonius Bosellus Canonicus Sancti Marci. Obiit 7. Aprilis 1687.

1687. Joannes Cavalli J. U. D. Canonicus Ducalis, Rector, & Capell. Eccl. Ascensionis. Ob. 1703. tumulatus in Ecclesia cum hac epigraphe.

„ Sarcophagos Joannis Cavalli Plebani Sancti Geminiani,
„ & Canonici Divi Marci, qui obiit anno Domini 1703.
„ Quinto Nonas Julii.

1703. 8. Julii. Antonius Maria Manzoni J. U. D. Prothonotarius Apostolicus, Canonicus Ducal. & Archipresbyter Congregationis Sancti Salvatoris. Obiit 4. Januarii 1747. M. V.

1747. M. V. 9. Januar. Joannes Baptista Orsini.

Petrus Scutarius Pleb. S. Geminiani donat Presbyteris suæ Ecclesiæ fundum pro domibus construendis.

A.

1276. 1. Decembris.

Ex Catastico Ecclesiæ Sancti Geminiani.

IN Christi nomine Amen Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto Indictione quarta: Die primo Decembris. Cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debet de altare, & qui ad onus eligitur, pelli non debet a mercede. Presentibus testibus ad hec vocatis, & rogatis quorum nomina inferius subscribentur; In presentia quoque venerabilis patris domini Bartholomei Quirino Dei, & Apostolica gratia Episcopi Castellani; Domino Marcho Lombardo Archipresbitero Castellano Ecclesie S. Geminiani plebano expressum consensum, & parabolam dantis ad infrascripta.

Item D. Marchus presbiter Plebanus paupertati presbiterorum ejusdem Ecclesie S. Geminiani confratrum suorum compaciens, qui nequaquam de ipsa Ecclesia habent sive percipiunt, unde valeant substentari, & comode ducere vitam suam, & non minus per hoc utilitati ejusdem Ecclesiæ consulens, ne ipsi Sacerdotes nimia paupertate gravati ipsam Ecclesiam deserere compellantur.

De speciali licentia, consensu, & volun-

luntate, atque parabola, sive etiam auctoritate prefati Domini Episcopi Castellani Ordinarii sui, & ejusdem Ecclesie S. Geminiani concessit, dedit, & tradidit Gumbertino, Marcho, Homobono, & Almerico Presbiteris Ecclesie S. Geminiani, & eorum successoribus Sacerdotibus in perpetuum Ordinandis & instituendis in ipsa Ecclesia quandam proprietatem terre & case, que est de jure & pertinencia ipsius Ecclesie S. Geminiani positam in confinio S. Moysi, quæ firmat ab uno suo capite in quodam calli communi convicinorum, unde habet introitum & exitum; qui callis habens duo Capita, descendit ab uno suo capite in viam, que discurrit ante Ecclesiam S. Geminiani & cellam ejusdem Ecclesiæ, unde ad Brolium & Canale, & ab alio capite ipsius callis discurrit juxta angulum ejusdem domus, que quondam fuit S. Marci, nunc vero est ejusdem Ecclesie S. Geminiani sive Plebanatus ipsius, unde revolvens descendit in viam publicam que ducit ad S. Moysem juxta proprietatem ejusdem S. Moysi; & aliud suum caput ipsa proprietas firmat in quadam terra, que olim fuit Piscina, unde habet introitum & exitum. Unum suum latus firmat in quadam proprietate, que olim fuit S. Marci, nunc autem est dicti Plebanatus S. Geminiani; & aliud suum latus firmat in Proprietatibus dicti S. Moysi, videlicet solum ad istum usum, scilicet pro habitatione ipsorum, & eorum successorum in perpetuum.

In qua quidem proprietate ipsi Sacerdotes, qui nunc sunt & in posterum futuri sunt in ipsa Ecclesia residentes eidem Ecclesie possint habitare, & in ipsa commorari cum eorum familiis decentibus & honestis libere sine aliqua pensione, vel cujuscunque contradictione.

Et cum in ipsa proprietate tres tantum cellæ, sive mansiones ordinate sint pro tribus Sacerdotibus, & sint plures Sacerdotes ad presens, quam Celle, ut puta quatuor. Sciendum est quod illi tres sacerdotes, qui illas cellas habitabunt, debent satisfacere communiter quarto socio suo, & pluribus, si quando essent & sic est ab eis perpetuis temporibus observandum secundum quod de satisfactione hujusmodi inter se poterunt convenire.

Hoc addito etiam & expresso, quod si procedente tempore essent in eadem Ecclesia pauciores Sacerdotes, quam tres Cellam, vel Cellas vacantes quousque ordinarentur Sacerdotes in ipsa Ecclesia Plebanus possit affictare solummodo Clerico, vel Clericis ejusdem Ecclesie si fuerit, vel Plebanus si non fuerit, procurator expendere teneatur in utilitatem ipsius Ecclesie S. Geminiani. Et ut predicta omnia firma & illibata futuris temporibus perpetuis observantur, predictus Venerabilis pater D. Episcopus, ac etiam prefatus Plebanus huic Instrumento concessionis & traditionis prefate manu propria subscripserunt. Acta sunt hec in Episcopali Palatio Castellano Venetiarum in quodam Camerino ipsius D. Episcopi. Presentibus D. Andrea Gausonio Canonico Castellano, Presb. Juliano S. Juliani, Margarito S. Jo: Grisostomi, & Blasio S. Mauri, & aliis ad hec specialiter vocatis, & rogatis.

Ego Bartholomeus Quirino Dei & Apostolica gratia Castell. Episcopus m. m. ss.
Ego Marcus Lambardus Presb. Pleb. S. Geminiani m. m. ss.

Ego Bertelasius Coneclan. Imperiali auctoritate Not. interfui rogatus.

Con-

Constantinus Lauredanus Primicerius, & Canonici Sancti Marci conveniunt cum Plebano, & Capitulo Sancti-Geminiani super divisione domorum, & decimarum utriusque Parœciæ.

B.

1331. 22. Februarii.

Ex Catastico Ecclesiæ Sancti Geminiani.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno Ejusdem Nativitatis millesimo trecentesimo trigesimo primo Indictione Quartadecima. Die Veneris Vigesimo secundo Mensis Februarii hora Completorii. Venetiis super Episcopali palatio Castellano in Camera Rev. in Christo Patris D. Episcopi infrascripti. Præsentibus Venerabilibus & sapientibus viris D. Accursio præposito Pistoriensi Vicario D. Episcopi Castellani predicti, D. Presb. Bartholomeo Ravagolo Plebano S. Simeonis Prophetæ, D. Rolandino de Belvisio de Bononia Decretorum Doctore, D. Armano de Agazottis de Ferraria juris utriusque perito, & Monflerito Notario & officiali Curiæ Castellane, testibus ad hec vocatis specialiter & rogatis.

Quam sit Ecclesiis ipsarum dispendiosa discordia quantaque earumdem lites ipsis afferant nocumenta & jura testantur, & efficax rerum experientia manifestat. Cum plerumque ipsarum justicia succumbat expressa; & propterea summopere est cavendum, ut eisdem mutuo litigantibus per communem concordiam finis debitus imponatur.

Que provide attendentes Venerabiles & discreti Viri D. Constantinus Lauredano Primicerius, Canonici, & Capitulum S. Marci de Venetiis ex una parte, & discreti Viri Domini Petrus Scutarius Plebanus, Presbiteri, & Capitulum S. Geminiani de Venetiis ex altera, De litibus, dissensionibus, questionibus, caussis, & controversiis diutius agitatis Tam in judicio, & examine Episcopalis Curie Castellane, quam Patriarchalis Curie Grad. & que alibi esse sperantur, seu agitari possent inter Rev. & discretum Virum D. Mattheum Venerio, tunc Primicerium Ecclesiæ S. Marci de Venetiis, Canonicos, & Capitulum Ecclesie S. Marci predicte, seu eorum Sindicum, & procuratorem sindicario, & procuratorio nomine inter Rev. Virum & discretum D. Constantinum Lauredano Primicerium Canonicos, & Capitulum ejusdem ecclesie S. Marci ex parte una, & discretum Virum D. Presb. Petrum Scutarium Plebanum, Presbiteros & Capitulum Ecclesie Sancti Geminiani de Venetiis, seu eorum Sindicum & Procuratorem ex parte altera, nomine & occasione Juris Parrochialis, & decimarum domorum positarum infra & inter hos confines Videlicet.

Secundum quod ipse domus, & possessiones a latere Campanilis S. Marci firmantur unum suum caput: quod caput est domus Procuratorum nunc habitata per D. Petrum Grimani Procuratorem S. Marci: Que est & esse debet perpetuo caput Parochie, & Ecclesie S. Geminiani in domum & proprietatem Procuratorum S. Marci, in qua nunc moratur D. Andreas Dandulo Procurator operis S. Marci, que domus est & esse debet perpetuo Capituli Sancti Marci.

Aliud vero suum caput firmat in viam Communem, que est ante Ecclesiam Sancte Marie olim Templario-

rum (a), que via partim discurrit in rivum terre nove, & partim in rivum per quem itur ad Canale Magnum.

Unum suum latus firmat in Platea S. Marci; & aliud suum latus firmat in rivo terre nove, que terra nova tota est, & esse debet perpetuo S. Geminiani, & de Parrochia, & infra seu intra Parrochiam Ecclesie S. Geminiani.

Ab alio vero latere Platee sunt ipse domus, de quibus sunt & fuerunt questiones predicte.

Que domus firmant unum suum caput partim in Cali, qua itur ad Hostariam quam tenet Nicoletus hosterius, & partim in domum sive hostariam predictam, quam nunc tenet & in ea moratur dictus Nicoletus Hosterius, que quidem est, & esse dicitur Caput confinium sive Parochie Ecclesie S. Bassi, que domus habitationis dicti Nicoletti est, & esse dicitur de Parrochia, & intra Parrochiam Ecclesie S. Bassi.

Aliud vero suum caput firmat in domum, in qua nunc moratur Joannes ab Aguxellis; que domus est, & esse dicitur Parrochie, & caput Parrochie ecclesie S. Moysi.

Item unum aliud suum caput, seu latus firmat partim in Rivo Pontis Malpassi, qui appellatur Rivus Batarius, & partim in quodam Cali, qui est inter possessiones S. Marci, & proprietatem Heredum D. Nicolai Polini.

Volentes dicte partes ad pacem concordiam amicabilem compositionem & unitatem pervenire cum lites sint immortales, & ut parcatur laboribus partium & expensis, suos procuratores & Sindicos constituerunt speciales scilicet.

Ipse discretus & Reverendus Vir D. Constantinus Lauredano Primicerius, Canonici, & Capitulum S. Marci predicti constituerunt ad infrascripta Discretum Virum D. Jacobum Provincialem Canonicum Sancti Marci de Venetiis supradicti.

Et ipse dictus D. Presb. Petrus Scutarius, Presbiteri, Clerici, & Capitulum Ecclesie S. Geminiani predicte ad infrascripta constituerunt dictum D. Petrum Scutarium Plebanum ipsius Ecclesie S. Geminiani, sicut de dictis Proc. & Sindicatibus plene constat publicis Instrumentis scriptis per me Gulielmum Notarium infrascriptum sub anno mense & die suprascriptis.

Qui Sindici & Procuratores scilicet dictus D. Presb. Jacobus Provincialis Sindicus & Procurator dictorum Dominorum Primicerii Canonicorum, & Capituli S. Marci, & Procuratorio nomine Presbiterorum Clericorum, & Capituli dicte Ecclesie S. Geminiani, & suo nomine proprio ex altera ad infrascripta specialiter, ut premittitur constituti, & habentes plenum mandatum.

Coram Rev. in Christo Patre & Dom. D. Angelo Dei, & Apostolice Sedis gratia Episcopo Castellano Constituti, & in presentia ipsius D. Episcopi, & Venerab. Virorum Dominorum Petri Rachari Primicerii Castellani Nicolai de Fabris, Bertucii Quirino, Bertucli Nani, Constantini Lauredani, Nicolai Zanchani, & Francisci Delphino Canonicorum Ecclesie Castellane ad hec specialiter convocatorum, & congregatorum. Post multas deliberationes & multorum consilia ante omnia revocantes, & annullantes, & cassantes instrumentum alias super infrascriptis celebratum inter ipsos Dom. Primicerium, Canonicos, & Capitulum S. Marci de Venetiis, seu eorum Sindicos, & Procuratores ex una parte, & dictum D. Plebanum Clericos, & Capitulum S. Geminiani seu eorum Sindicum ex altera, & omne aliud Instrumentum superinde factum & scriptum usque ad diem proximum per me notarium infrascriptum. Ad infrascripta pacta convenientes concordiam & amicabilem compositionem devenerunt, Deum solum justiciam, & equitatem considerantes videlicet.

Quod dicti D. Plebanus Presbiteri, Clerici, & Capitulum dicte Ecclesie S. Geminiani prefati, qui nunc sunt & perpe-

(a) Ecclesia Sanctæ Mariæ olim Templariorum modo vocatur Ecclesia Ascensionis non longe ab ipsa S. Geminiani Ecclesia.

petuo fuerint in ipsa Ecclesia S. Geminiani pro se, & suis successoribus Ecclesiis capitulis possint. debeant & teneantur petere, exigere, recuperare, & recipere bona fide & sine fraude aliqua omnes & singulas decimas habitantium nunc, & qui perpetuo habitabunt in domibus supradictis confinatis supra tanquam de Parrochia & in Parrochia S. Geminiani & debendas quocumque modo, & quod exinde securitates facere soli possint. Videlicet.

Dictus D. Plebanus, & Capitulum S. Geminiani preter conscientiam & voluntatem prefatorum Dominorum Primicerii, & Capituli S. Marci & ipsorum, & cujusque ipsorum contradictione aliqua non obstante, & quod dicti Domini Plebanus, Presbiteri, Clerici, & Capitulum prenominate Ecclesie S. Geminiani de omnibus, & singulis decimis predictis sic debitis & debendis, & sic habitis & exactis, & receptis a tempore mote questionis predicte, & in futurum recipiendis, deductis deinde expensis, que fient propter exactionem, vel receptionem hujusmodi decimarum, vel ipsarum occasione integraliter, & sine difficultate aliqua Quartam partem omnium, & singularum decimarum sic habitarum & exactarum, aut receptarum, & recipiendarum de personis, & domibus supradictis, vel ipsorum occasione non deducendo de ipsa quarta parte partem debitam Domino Episcopo Castellano vel fabrice ipsius Ecclesie, seu pauperibus. Cum ipsi soli Plebanus & Capitulum S. Geminiani predicti teneantur, & debeant solvere dicto D. Episcopo Castellano, fabricæ, & pauperibus supradictis partes eis de universis Decimis predictis debitas, prout inferius continetur. Dabunt & solvent, & dare debeant & teneantur dictis Dominis Primicerio, Canonicis, & Capitulo Ecclesie S. Marci predicti, seu Basilicanis solis nomine dictorum Dominorum Primicerii, Canonicorum & Capituli infra tres dies postquam habuerint, & perceperint decimas supradictas, & earum quamlibet dicti Domini Plebanus Presbiteri, & Capitulum S. Geminiani predicti, & antequam aliqui ipsorum ipsas dividant inter se, vel recipiant partes suas.

Qua quarta parte sic soluta dictis Dominis Primicerio, Canonicis, & Capitulo S. Marci, vel Basilicanis de solutione hujusmodi fiat, & detur eisdem D. Plebano, & Capitulo S. Geminiani per dictum D. Primicerium, Canonicos & Capitulum S. Marci, vel eorum Basilicanos, seu per ipsum D. Primicerium solum plena securitas, completa, & roborata, & in publicam formam infra dies tres post solutionem prædictam.

De residuo vero dictarum decimarum, & ipsarum quarumlibet dicti D. Plebanus Presbiteri, Clerici, & Capitulum dicte Ecclesie S. Geminiani duas faciant portiones, quarum unam dare debeant dicto D. Episcopo Castellano integraliter & sine expensis aliquibus, & de alia duas & dimidiam faciant portiones, quarum una & dimidia sit fabrice ipsius Ecclesie S. Geminiani & Pauperum, & reliqua una sit predictorum Dominorum Plebani, Presbiterorum, Clericorum, & Capituli S. Geminiani de Venetiis, & secundum debitam consuetudinem Ecclesiarum aliarum de Venetiis inter ipsos dividenda. Salvo quam de habitantibus in domo Procuratorum S. Marci, & nunc habitata per Dom. Nicolaum Pasqualigo, & in Cella predicte Ecclesie S. Geminiani, ac etiam in terra nova, que omnes remaneant ipsi D. Plebano, & Capitulo S. Geminiani libere & expedite.

Que domus habitationis D. Nicolai unum suum latus firmat per totum super Platea S. Marci. Aliud vero latus firmat in via Communi, que discurrit a latere celle ad rivum terre nove. Unum suum caput firmat in quodam muro communi ipsius celle Plebanie, & dicte domus habitationis D. Nicolai, super quo muro est Campanile Ecclesie S. Geminiani. Aliud suum caput firmat partim in domibus S. Marci & partim in via communi, que inde discurrit ad proprietates de Kavallarosso. Que vero terra nova firmat unum suum latus in rivo, qui discurrit a S. Maria de Capite

pite Brolii usque ad rivum, qui est apud Domum Amoneta. Aliud suum latus firmat in Canali Magno. Unum suum caput firmat in rivo, qui est apud dictam domum Amoneta, qui rivus discurrit usque in Canale Magnum. Et aliud suum caput firmat in rivo, qui discurrit a campo, qui est ante domos & proprietates S. Marie de capite Brolii usque in Canale Magnum, vel si qui sint predictis veriores confines.

Que omnia & singula suprascripta dictus D. Jacobus Provincialis Canonicus S. Marci suo nomine, & sindicario & procuratorio nomine dictorum Primicerii Canonicorum, & Capituli S. Marci ex una parte. Et dictus D. Presb. Petrus Scutarius Plebanus & sindicus, & procurator, ac Sindicario, & procuratorio nomine Presbiterorum Clericorum, & Capituli dicte Ecclesie S. Geminiani ex altera, sibi invicem dictis nominibus, & pro se, & successoribus suis solempni interveniente stipulatione promiserunt firma rata, & grata habere perpetuo attendere & observare, & nunquam contrafacere, vel venire sub pena, vel in pena centum ducatorum auri stipulatione inter ipsas partes promissa, que pena totiens committatur peti possit, & exigi cum effectu a parte non attendente, seu non observante per partem alteram attendentem, & observantem quociens fuerit in predictis, vel aliquo eorum contrafactum, vel non attenditum; qua pena commissa & soluta, vel non soluta nihilominus sibi invicem predicta teneantur, que fierent ultatenus per partem attendentem, & observantem occasione, seu culpa alterius partis contrafacientis, seu non servantis predicta.

Pro quibus omnibus, & singulis, ut suprascribitur, firmiter & perpetuo attendendis, & observandis dicte partes, scilicet dictus D. Jacobus Provincialis Canonicus S. Marci suo nomine & Sindicario, & Procuratorio dictorum Primicerii Canonicorum, & Capituli dicte Ecclesie S. Marci ex parte una.

Et dictus D. Presb. Petrus Scutarius Plebanus Ecclesie S. Geminiani suo nomine & sindicario, & Procuratorio nomine Presbiterorum, Clericorum, & Capituli S. Geminiani ex altera sese invicem una pars alteri, & per se, & successores suos solempniter obligaverunt ad conveniendum, & predicta omnia, & singula sibi invicem, & suis successoribus per se, suosque successores perpetuo attendere, & observare constituerunt Venetiis, & ubique locorum, & coram quocumque judice ecclesiastico & Seculari, coram quo, vel quibus convenirentur. Renunciantes dictis nominibus sponte, & ex certa scientia omnibus feriis, privilegio fori, Statutis, consuetudinibus, privilegiis impetratis, & impetrandis, & constitutionibus quibuscunque. Ex exceptione doli mali in factum actioni, simulationi, deceptioni, & fraudi, & appellationis remedio per pactum ipsam appellationem remittendo, & omni alii suo juri, & cuilibet eorum Ecclesiastico, & seculari tacito vel expresso, pro quo contra predicta, vel eorum aliquod facere possent ullatenus, vel venire predictorum omnium, & singulorum remedia & auxilia remittendo per pactum.

Et juraverunt corporaliter tactis scripturis dicti Sindici ambo sibi invicem suis nominibus, & in animas suas, & nominibus predictorum omnium, & singulorum, & in animas eorum, & cujuslibet ipsorum, quorum sunt Sindici, & Procuratores ad Sancta Dei Evangelia predicta omnia, & singula sibi invicem & perpetuo attendere, & observare, & non contrafacere, vel venire aliqua ratione, vel causa. Supplicantes post hec suis, & Procuratoriis nominibus antedictis dicto D. Episcopo Castellano, ut predictis omnibus, & ad predictorum majorem & perpetuam firmitatem suam, & Episcopatus sui Auctoritatem interponeret & Decretum. Supplicantes etiam Dominis canonicis Ecclesie Castellane predictis, ut ad predicta suum prestarent consensum.

Qui Dominus Episcopus suprascriptus cum boni judicis sit lites minuere, & a laboribus & expensis relevare subjectos, cum diverse sententie predictis parti-

partibus hinc retro late fuissent. Et super omnibus predictis habito consilio predictorum. Auctoritate sua Episcopali ipsi compositioni, & transactioni, & omnibus predictis pro bono pacis & concordie suam, & Episcopatus Ecclesie Castellane auctoritatem interposuit, & judiciale decretum presentibus & expresse consentientibus ad hec Canonicis Castellane Ecclesie superius nominatis. Mandantes tam dictus D. Episcopus Castellanus, quam etiam dicti Sindici nominibus predictis per me Guillelmum Notarium infrascriptum de predictis omnibus & singulis Plura unius & ejusdem tenoris consonantia, & publica instrumenta fieri debere.


Iisdem millesimo Indictione, mense, & die. Paulo post horam predictam In contrata S. Petri de Castello in domo habitationis Rev. Viri D. Francisci Michaelis Canonici Castellani presentibus discreto viro D. Presb. Marco Plebano S. Joannis Grisostomi, & Monflorito suprascripto notario, & officiale Episcopalis Curie Castellane testibus ad hoc vocatis, & rogatis. Rev. Vir D. Franciscus Michael Canonicus Castellanus predictus presente Rev. Viro D. Presb. Petro Plebano S. Geminiani & Sindico supradicto certioratus de predictis compositione & transactione, & Decreti D. Episcopi Castellani interpositione & consensu Canonicorum prestatione simili modo suum ad predicta consensum prestitit Mandans per me Notarium infrascriptum de hoc fieri publicum instrumentum unum, & plura consonantia, & ejusdem tenoris.

Ego Guillielmus filius q. D. Bernardi de Villa Civis Paduanus, nunc habitator Venetus Imperiali auctoritate notarius publicus revocationi, compositioni, & transactioni, Sacramenti prestationi, supplicationi, & Decreti dicti D. Episcopi interpositioni, & dictis consensibus Canonicorum, & omnibus suprascriptis presens fui, & de mandato dictorum D. Episcopi, Canonicorum, ac rogatus a partibus predictis ea omnia scripsi & in hanc publicam formam redegi, & signavi.

Ego Philippus filius q. D. Guillielmi Not. de Monte silice habitator Venenetus publicus Imperiali auctoritate notarius suprascriptum exemplum instrumenti, seu transcriptum de publico originali, & autentico instrumento scripto per suprascriptum Guillielmum imperiali auctoritate notarium publicum de verbo ad verbum fideliter legaliter bona fide & sine fraude scripsi, sumpsi, exemplavi, & transcripsi sub anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo Indictione quinta die XXVIII. mensis Octob. Venetiis in contrata S. Basil.



DE



DE
ECCLESIA PAROCHIALI
S. MOYSIS PROPHETÆ.

JOANNE Calbajo Ducalis dignitatis fastigium post obitum Mauritii Patris Ducis, cujus collega fuerat, obtinente, Ecclesiam vero Castellanam Christophoro hujus nominis primo administrante *ab Artigeris & Scoparis* (ita Dandulus in Chron. lib. VII. cap. XIII. part. XII.) *proceribus Venetis perfecta est Ecclesia Sancti Moysis Prophetæ vineaque, & prædiis ab eis dotata pro salute animarum suarum, & Christophorus Convictus Episcopus* (scilicet qui postea fuit Episcopus) *Plebanus ipsi constitutus est*. Dandulo concordant Sanutus aliique Venetarum rerum Chronologi, quos inter Anonymus, qui, ut sæpius dictum est, Sæculo XIII. scripsit, hæc inordinate affert : *Vidilici qui Barbigessi appellantur, & Chorigi Scoparii appellantur, illi de Choria venerunt, anteriores fuerunt, venerunt cum multitudo potentiæ. Fecerunt Ecclesiam Sancti Moysi, ibique est vinea, circumdavit eam murum, & prædia multa dimissit ad salutem animarum suarum*. Ughell. in Ital. Sac. Tom. V. col. 1186. ab una Familia Scopara conditam refert, eruditissimus vero vir Nicolaus Colettus in additio-

ditio-

ditionibus ad ipsum Ughell. col. 1188. Artigestos quoque (forsan ex æquivoco pro Artigeris positos) ad ipsam ædificandam impensas erogasse asserit. Ea igitur quæ ex populari traditione de hac Ecclesia referuntur, Divo nempe Victori antiquitus dedicatam fuisse, atque a Moyse Venerio Nobili Veneto postea ob reædificationis meritum ad S. Prophetæ Moysis titulum deductam fuisse, cum nulli innixa fundamento a clarissimorum virorum assertione reprobentur, puto inter aniles fabulas esse rejicienda.

Anno MCV. improvisi incendii flammæ *ex hospitio Cavetiani de Gemino* subortæ, atque ligneis domibus pabulum ministrantibus in immensum succrescentes Ecclesiam hanc ejusque parœciam miserandum in modum consumpserunt. Ex ejus cladis ruina emersisse certum est, quamvis nec quo modo, nec quanto tempore, documentis deficientibus, innotescat. Ecclesiæ redditus, quos superius laudata Fundatorum beneficentia ad ipsius sustentationem assignaverat, Gregorius Plebanus *una cum presbyteris & Clericis cum consensu, & voluntate vicinorum consentiente Marco* Nicola *Castellano Episcopo* ita perpetuo dividendos decreverunt, ut una pars ad Ecclesiæ utilitatem cederet; altera vero Plebano; tertia denique, Presbyteris, & Clericis pro eorum alimonia assignaretur. Solemnes divisionis tabulas ab Episcopo Castellano pro ipsarum firmitate signatas anno MCLXXXXII. mense Novembris complevit, & roboravit Valerianus Presb. Ecclesiæ Castellanæ Diac. & Not. (A).

Reddituum partitio, quæ Marco Nicola Episcopo Castellano confirmante statuta fuerat anno 1192. *cum consensu & voluntate vicinorum* iterum repetito Capitulari decreto renovatur anno 1231. nullo expresso vicinorum consensu, consentiente tamen, & statutam legem sua manu firmante Marco Michaele Castellano Episcopo, cui constitutioni pariter unanimes subscripserunt Plebanus, Presbyteri & Clerici ejusdem Ecclesiæ, ut patet ex publico Instrumento per Angelum Ecclesiæ S. Angeli Diaconum, & Notarium in publica acta redacto (B).

Quoniam vero *ob multitudinem Presbyterorum, & aliorum Clericorum inferiorum ordinum* Ecclesiæ proventus ad ipsorum sustentationes impares videbantur, *Capitulum sive Collegium* prudenter hæsit ne *propter tenuitatem reddituum, & oblationum* Clerici si numero excederent *compellerentur sua vitæ necessaria*

ria

ria turpiter mendicare. Eapropter quid in gravi re agendum foret opportuna consultatione meditantes, in hoc omnium congruere sententiæ, ut *de cætero nullus de novo Clericus reciperetur, nisi tantum unus, quousque perventum fuerit ad numerum trium Sacerdotum, Plebano excepto, unius Diaconi, unius Subdiaconi, & duorum Clericorum, quem numerum dumtaxat unanimiter constituerunt, & ordinaverunt esse perpetuo in dicta Ecclesia*, consentiente, & ordinationem Capituli authoritate ordinaria plenius confirmante Bartholomæo Quirino Episcopo Castellano. Statutæ quoque in eo consessu certæ leges fuerunt, quibus Ecclesiæ Clerici ad Capitulum, & ad superiores gradus in Capitulo promoverentur; ad quas utique invariabili modo servandas unusquisque ex Capitulo sub juramenti vinculo teneretur, ipseque Plebanus, qui de cætero ad ejus Ecclesiæ regimen quocunque modo electus fuisset, nunquam *haberetur, vel reciperetur in Plebanum, nisi prius jurasset has constitutiones se per omnia servaturum*.

Capitularis decreti constitutiones se *perpetuo servaturos juraverunt Plebanus, Presbyteri, Diaconus, Subdiaconus, & Clerici* præsente Episcopo, qui ad majorem acti negotii validitatem decretum ipsum sua subscriptione firmavit die 13. Septembris anno 1293. qua die in publica acta redactum fuit per Joannem Episcopalis Curiæ Notarium (C).

Quæstionem inter hujus Ecclesiæ Capitulum ex una parte, & Plebanum, & Clericos propinquæ Ecclesiæ S. Paterniani pro utriusque Parœciæ terminis exortam lata sententia diremit Petrus Pino Episcopus Castellanus, quam ex integro in Additionibus ad Ughell. attulit eruditissimus Nicolaus Colettus Tom. V. col. 1266.

Ecclesia quinque Sæculorum vetustatem referens cum circa initia Sæculi XVII. ad ruinam vergeret solo prosternitur, ut amplior, & augustior a suis ruinis exurgeret.

Studio itaque Antonii Aurami Plebani jacta fuere Ecclesiæ fundamenta, in quibus ad perennem suscepti ædificii memoriam positum est numisma ex una parte verba hæc exhibens:

„ Templum hoc Divo Moysi sacrum a fundamentis restitutum Urbano VIII. Pont. Max. Federico S. R. E. Card. Cornelio Patriarcha Venetiarum.

Ex

Ex altera vero:

„ Anno Domini MDCXXXII. quo Senatus ex voto Ædis sa-
„ cræ Divæ Mariæ Salutis jacta fundamenta surgunt Franci-
„ co Eritio Duce Venetiarum. Antonio Auramo Plebano.

Pia deinde Parochianorum liberalitate prodiit Templum, in quo septem magnifica Altaria marmorum varietate, & delectu splendida conspiciuntur. Ejus faciem ex Istrico marmore elaboratissimam propriis sumptibus erigi mandavit Vincentius Fini Divi Marci Procurator, cujus lapideo simulacro in media fronte locato subest hoc elogium:

D. O. M.

„ Omne fastigium virtute implet Vincentius Fini Venetæ
„ nobilitatis honore, ac procuratoria D. Marci dignitate am-
„ plissimus. Tanto Fratri, consilio, eloquentia, Beneficen-
„ tia de cunctis optime merito Hieronymi Fratris pietas pe-
„ renne H. M. Posuit. Anno MDCLXXXIII. Obiit anno MDCLX.
„ ætatis LV.

Altare majus montem Sinai ex Veronensi marmore repræsentat, in quo Moyses ex albo Carrariæ lapide efformatus sacras legis tabulas excipit, rem ad montis pedes spectantibus Aaron fratre, & Maria ejusdem sorore, quorum omnium simulacra ex albo marmore non sine magnis impensis ære legato Joannis Bontii erecta fuerunt. A dextero Sacelli Principis latere Ara exsurgit Divina Eucharistiæ mysteria asservans marmorum delectu conspicua, cujus laterales parietes duobus eximiæ pulchritudinis tabulis ornantur. Christum in una earum pedes discipulorum lavantem, in altera autem Pascha cum Apostolis celebrantem Tinctoretus, & Palma laudatissimo labore expresserunt; Deiparæ ornatissimum Altare ipsius effigiem exhibet filium suum amplexantem penicillo Tinctoreti depictam.

Cum præclaris ditata sit Ecclesia Sanctorum lipsanis, corpore nempe S. Martyris Antonini e Romanis cryptis educto, atque plurimis tum Innocentium Bethleemitarum, tum aliorum Sanctorum ossibus, potissimum tamen sibi decus provenire gloriatur ex portione Vestis inconsutilis Christi Domini, de cujus possessione cum inter Ecclesiam S. Moysis, & Sodalitium S. Marci certatum fuisset, ad hæc tandem pacta devenerunt, ut venerabilis portio olim a Presbytero Donato Ca-

 roso

roso Ecclesiæ S. Luciæ Plebano ex ipsius extremis tabulis Fantino Alberengo Plebano S. Moysis quoad viveret legata, & post ejus mortem Sodalitio S. Marci Evangelistæ dimissa, æquis minoribus portionibus bifariam divideretur, & ad utriusque Ecclesiæ ornatum assignaretur. Conventionis instrumentum anno MCCCIXC. die XIX. Januarii complevit, & roboravit Thomasius de Thomasiis Venetiarum Notarius (D).

Index Plebanorum Ecclesiæ Sancti Moysis Prophetæ.

810. Christophorus Græcus cognomento Tancredus cum esset Plebanus hujus Ecclesiæ, adeo sua hipocrysi captavit amorem populi, ut electus fuerit Episcopus Olivolensis, de cujus miserabili fine refert Dandulus lib. VII. cap. 14. part. XIX.

1038. Joannes Marzanus Vicarius. Eo anno 1038. ipse Plebanus mense Novembris Indictione VII. commutat terræ campum cum Maria Vidua relicta Joannis Monetarii consentiente Dominico Episcopo Olivolensi. Ex Archivo Patriarchali.

1100. Patritius Marianus. Ex Catast. Eccl.

1115. Bonifatius. Ex Catast. Eccl.

1138. Joannes de Manzanis. Ex Catast. Eccl.

1143. Raphael Vicarius subscripsit Decreto processionis Scholarum faciendæ in festo Purificationis B. M. V. Ughell. Tom. V. col. 1244.

1158. Joannes Ursiolus Vicarius. Ex Catast. Eccl.

1173. Gregorius Cavalcalupus Vicarius. Ex Catast. Eccl.

1192. Georgius alibi Gregorius Vicarius. Ex Catast. Eccl. Fortasse tamen idem est cum superiori.

1218. Nicolaus Girardo Not. & Aulæ Ducal. Cancell. Archipresb. Cong. S. Lucæ rogavit Testamentum Petri Ziani Ducis Venetiarum. Ex Arch. Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

1230. Dominicus Franco. Ex Catast. Eccl.

1242. Nicolaus. Cum inter Plebanum & Capitulum S. Moysis ex una parte, atque Plebanum & Capitulum S. Paterniani ex altera exorta esset quæstio *super jure*

Paro-

Parochiali quarumdam domorum in utrarumque Parochiarum confinio existentium, Petrus Pinus Episcopus Castellanus lata sententia litem diremit ann. MCCXXXXII. die XVI. Decemb. ut in Ughell. Tom. VI. pag. 1266.

1263. Matthæus Vercius. Ex Cataft. Eccl.

1263. Marinus Dandulus. Ex Cataft. Eccl.

1279. Angelus Beaqua Not. & Aulæ Ducal. Cancell. Ex locatione facta a Christina Abbatissa Eccl. S. Marini de Militibus in Creta Peretto Minotto q. Thomæ.

1290. Daniel. Ex Cataft. Eccl.

1293. Marcus Lombardo. Ex Cataft. Eccl.

1300. Albinus. Ex Caftat. Eccl.

1308. Coletinus Reftago. Ex Cataft. Eccl.

1312. Petrus Georgius. Ex Cataft. Eccl.

1319. Marcus Sardella frater Bonaventuræ Sardella Presb. primum, deinde Plebani Sancti Paterniani. Ex ipsius Testamento.

1321. 5. Octob. Amicus, seu ut alibi legitur, Amizolus Not. Hic electus Plebanus a Capitulo post aliquot dierum consultationem tandem consensit electioni. Ex Schedis Cl. V. Apostoli Zeno.

1357. Guido de Bernardo. Ex Cataft. Eccl.

1365. Joannes Benvenutus. Ex Cataft. Eccl.

1374. Joannes a Collo Piloso (dal Collo Peloso). Ejus memoria (ita Nicolaus Colettus ipsius Ecclesiæ Clar. Alumnus in Additionibus ad Ughellum Tom. v. coll. 1188.) habetur in documento existenti in Tabulario Ecclesiæ Parochialis S. Geminiani, in quo testes deponunt eum agnovisse, & tenuisse quasdam domos &c. Vocaturque in eo Joseph diciturque illi successisse sequentem Alberegnum.

1374. Fantinus Alberegnus Canon. Ducal. Ex Cataft. Eccl. Obiit 1400.

1400. Gabriel ab Equis. De commissione Joannis Patr. Grad. Pasqualinum quondam Giacomelli posuit in possessionem Clericalis tituli Eccl. S. Canciani 1407. Vide ad Ecclesiam S. Canciani Operis hujus Tom. II. Decade II.

1412. Bartholomæus Dotto Presb. S. Moysis, deinde Pleb. S. Samue-

muelis, postremo Pleb. S. Moysis, & Not. Ex rog. ejusdem. Obiit 1449.

1449. Fantinus Saracho Not. Ex Arch. Monasterii S. Danielis Venetiarum. Electus a Xisto IV. anno. 1476. die 28. Septemb. Deputatus Apostolicus, ad tuendos Fratres Observantes Ordinis Servorum B. M. V. contra molestias Fratrum Conventualium ipsius Ordinis. Vide Operis hujus Decad. II.

1484. Lazarus Bozza Canon. Ducal. Ob. 3. Decemb. 1495.

1495. Christophorus Ricius Not. & Aulæ Ducal. Cancell. Canon. Eccl. S. Marci, & Archipresb. Cong. S. Mariæ Matr. Domini rogavit Testamentum Leonardi Lauredani Ducis Venetiarum. Fuit primum Presb. S. Agnetis, deinde Plebanus S. Stephani Confessoris, mox Pleb. S. Jo: Baptistæ in Bragora, & demum Pleban. S. Moysis. Ob. 15. Apr. 1523.

1523. Victor de Avantio. Ob. 16. Apr. 1524.

1524. Joannes Petrus de Manentis dictus Manteus. Ex Catast. Ecclesiæ.

1524. Hieronymus Murena Canon. S. Marci. Ob. 15. Septembris 1551.

1551. 29. Septemb. Balthasar de Martinis Archipreb. Cong. S. Mariæ Matris Domini. In ejus domo feliciter obdormivit in Domino Ven. Matthæus de Bascio Minorum Capucinorum institutor anno 1552. dum concionatoris officio in Quadragesima fungeretur, cujus corpus in Ecclesia S. Francisci de Vinea tumulatum est. Ob. Balthasar 28. Maii 1572.

1572. Antonius Stella e Plebanatu S. Fantini translatus ad Ecclesiam S. Moysis Canon. S. Marci. Vir eruditus plura volumina edidit. Ob. 7. Septemb. 1573.

1573. 29. Septemb. Jacobus Rusca. Ob. 1582.

1582. M. V. 6. Januar. Paulus Flessi Canon. primum Patriarchalis, postea Ducal. Ob. 7. Deceb. 1600.

1600. 26. Decemb. Paulus Stella Ducal. Canon. & Archipr. Cong. S. Silvestri. Ob. 1629. M. V. 4. Febr.

1629. M. V. 10. Februarii. Antonius Auramus Canonicus Patriarchalis primum, postea Ducalis, Archipresbyter Congregationis Sancti Silvestri. Obiit 21. Decembris

bris 1641. Eo Plebano cœpta fuit reædificari Ecclesia anno 1632.

1641. M. V. 6. Januar. Petrus Pomelli Archipresb. Cong. S. Angeli. Ob. 12. Decemb. 1669.


1669. 23. Decemb. Paulus Brini Archipr. Cong. S. Silvestri. Ob. 17. Maii 1690.

1690. 12. Maii. Andreas Tremignonus Archipresb. Cong. S. Silvestri. Ecclesia ejus studio consecrata fuit ann. 1709. Ob. 3. Junii 1720. in cujus funere Orationem habuit Simeon Joseph Grassetti, postea ejusdem Ecclesiæ Plebanus.

1720. 7. Junii. Stephanus Stephanini J. U. D. Archipresbyt. Cong. S. Lucæ, Canon. Castell. Ob. 9. Julii 1728. Laudatus in funere a supradicto Simeone Joseph Grassetti.

1728. 12. Julii. Jacobus Calegharius qui die XXVII. Augusti anno 1739. oneri pariter, & honori renunciavit.

1739. 31. Aug. Simeon Joseph Grassetti Sacr. Theol. Doctor Archipresb. Cong. S. Lucæ.



Plebanus Presbyteri, & Clerici Sancti Moysis statuunt divisionem faciendam de redditibus ejusdem Ecclesiæ.

A.

1292. Novembris.

Ex Archivo Ecclesiæ Sancti Moysis Venetiarum.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi anno Domini millesimo centesimo nonagesimo secundo. Mensis Novembris Indictione undecima Rivoalti. Rationi congruum, & æquitati esse dignoscitur, ut qui in Ministeriis Ecclesiasticis devote deserviendo insudant, ex redditibus Ecclesiarum debita percipiant emolumenta, & ex ipsis etiam proventibus nonnulla in Ecclesiarum usus, & utilitates convertantur. Quapropter Nos quidem Gregorius Præsbyter, & Plebanus Ecclesiæ S. Moysis una cum Præsbyteris, & Clericis cum consensu & voluntate vicinorum consentiente Domino Nostro Marco Castellano Episcopo statuentes statuimus, & ordinantes ordinamus, ut omnes redditus terrarum, & casarum ejusdem Ecclesiæ, quæ noviter factæ sunt trifarie perpetuo dividantur videlicet: ut una pars pro amplificandis Ecclesiæ & terrarum, ac casarum servitiis sustentandis Ecclesiæ deputetur; Alia vero pars Plebano proficiat, postquam autem decesserit remaneat Ecclesiæ, dum alius successerit; tertia autem pars Præsbyteris, & Clericis concedatur dividenda

da per eos inter se, eo modo, & tenore, quo ipsi beneficia percipiunt oblationum. Hæc omnia, quæ suprascripta sunt cum nostris successoribus in perpetuum observare promittimus; quod si quocunque tempore circa hæc omnia, que suprascripta sunt venire temptaverimus componere promittimus cum nostris successoribus pars inobediens partibus obedientibus auri libras quinque, & hæc constitutionis, & confirmationis cartula perpetuo in sua firmitate permaneat . . .

Ego Marcus Nicola Dei gratia Castellanus Episcopus m. m. ss.
Ego Gregorius Præsbyter Plebanus S. Moysis m. m. ss.
Ego Vitalis Præsbyter ejusdem Ecclesiæ m. m. ss.
Ego Ugo Præsbyter Ecclesiæ S. Moysis m. m. ss.
Ego Leonardus Præsbyter Ecclesiæ S. Moysis m. m. ss.
Ego Martinus Diaconus ejusdem Ecclesiæ m. m. ss.

Ego Valerianus Præsbyter Castellanæ Ecclesiæ Canonicus, & Notarius complevi, & roboravi.

Ego Almericus Plebanus S. Geminiani & Notarius, ut vidi, in matre testis sum in filia.



Plebanus, & Capitulum Sancti Moysis partiuntur redditus ipsius Ecclesiæ.

B.

1231. Octobris.

Ex Archivo Ecclesiæ Sancti Moysi.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo Mensis Octobris Indictione Quinta Rivoalto. Rationi congruum, & æquitati esse dignoscitur, qui in ministeriis Ecclesiasticis devote deserviendo insudant, ex redditibus Ecclesiasticis debita percipiant alimenta, & ex ipsis etiam nonnulla in Ecclesiarum usus convertantur. Quapropter nos Dominicus Franco Plebanus Ecclesiæ Sancti Moysi una cum Præsbyteris & Clericis ejusdem Ecclesiæ, cum consensu, & voluntate Venerabilis Patris Nostri Domini Marci Michael Dei gratia Episcopi Castellani statuentes statuimus, & ordinantes ordinamus, ut omnes redditus terrarum, & casarum tam præsentium, quam futurarum ejusdem Ecclesiæ trifariæ perpetuo dividantur, videlicet, ut una pars pro amplificandis Ecclesiæ, ac terrarum & casarum servitiis sustentandis Ecclesiæ deputetur: alia vero pars Plebano proficiat: postquam autem decesserit inter ipsos Præsbyteros & Clericos, atque ipsam Ecclesiam remaneat, ita tamen quod medietatem ipsius partis præsbyteri, & Clerici ejusdem Ecclesiæ percipiant, & alia medietas ipsi Ecclesiæ deputetur, donec Plebanus alius successerit in eadem. Tertia autem pars Præsbyteris, & Clericis prædictæ Ecclesiæ concedatur dividenda per eos inter se eo modo, & ordine quo ipsi beneficia percipiant oblationum. Hæc omnia quæ suprascripta sunt cum nostris successoribus in perpetuum observare promittimus.

mus. Quod si quocunque tempore contra hæc omnia, quæ suprascripta sunt venire temptaverimus componere promittimus cum nostris successoribus pars inobediens partibus obedientibus auri libras quinque, & hæc constitutionis & confirmationis carta perpetuo in sua maneat firmitate.

Ego Marcus Dei gratia Castellanus Episcopus m. m.
Ego Dominicus Franco Ecclesiæ S. Moysi Plebanus m. m.
Ego Johannes Præsbyter ejusdem Ecclesiæ m. m.
Ego Dominicus Aemano Præsbyter ejusdem Ecclesiæ m. m.
Ego Nicolaus Præsbyter ejusdem Ecclesiæ m. m.
Ego Marinus Præsbyter ejusdem Ecclesiæ m. m.
Ego Andreas Clericus ejusdem Ecclesiæ m. m.

Ego Angelus Diaconus, & Notarius complevi, & roboravi.



Plebanus, & Capitulum S. Moysis ordinant numerum Clericorum eidem Ecclesiæ inservientium, aliaque statuunt pro bono regimine ejusdem Ecclesiæ.

C.

1293. 13. Septembris.

Ex Archivo Ecclesiæ Sancti Moysis Venetiarum.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno Ejusdem Nativitatis 1293. Indict. VI. die 13. Mens. Septemb. Venetiis in Camera Domini Episcopi Castellani præsentibus Jacobo de Bononia Not. Presbitero Bartholomeo Mapheo S. Paterniani, Martino de Æmonia serviente Dom. Episcopi Castellani & aliis. Cum in Ecclesia S. Moysis Castelanæ Diæcesis Capitulum sive collegium ipsius Ecclesiæ, tam propter multitudinem presbiterorum, & aliorum Clericorum inferiorum ordinum qui sunt presentes in Ecclesia memorata, & aliorum qui desiderant & laborant quotidie cum infestatione intitulari in eadem Ecclesia, tum propter tenuitatem reddituum, oblationum, & aliorum reddituum, sive proventuum, qui sunt, & qui fuerint quotidie in eadem Ecclesia sint non modicum aggravati, ita quod si presbiteri, & Clerici ejusdem Capituli, vel Collegii non haberent aliunde, ex hiis, quæ ipsi percipiunt de beneficiis præfatæ Ecclesiæ non possent commode sustentari, & compellerentur suæ vitæ necessaria turpiter mendicare: Dominus Marco Lombardo presb. Plebanus Capitulum, seu collegium ipsius Ecclesiæ, scilicet Marinus Trivisano, & Joannes presbiteri Marcus Sardella, Albertinus, & Joannes de Burgo Diaconus, Nicolaus Gusturi Subdiaconus, Petrus filius Danielis Acolytus, & Petrus filius Philippi Vantarii Clericus, volentes tam sibi, quam ipsi suæ Ecclesiæ congrue præcavere de consensu, & voluntate, ac auctoritate Ven. Pat. D. Bartholomei Quirini Dei Gratia Episcopi Castell. Ordinarii ejusdem Ecclesiæ statuerunt & ordinaverunt quod de cætero nullus de novo Clericus recipiatur nisi tantum unus; scilicet Amizolus filius Bruni a Forficibus, qui de novo per ipsum Dominum Episcopum debet institui Clericus in eadem, in quem prædicti Plebanus, Presbite-

biteri, Diaconus, & Clerici unanimiter, & concorditer consenserunt, & acceptaverunt, & ex nunc præsentaverunt instituendum Clericum in ipsa Ecclesia, quousque perventum fuerit ad numerum trium Sacerdotum Plebano excepto, unius Diaconi, & unius Subdiaconi, & duorum Clericorum, quem numerum duntaxat Presbiterorum trium, Plebano excepto unius Diaconi, & unius Subdiaconi, & duorum Clericorum, cum ad ipsum numerum perventum fuerit unanimiter, & concorditer constituerunt, & ordinaverunt esse perpetuo in Ecclesia supradicta, ipsumque numerum aliqualiter non transeundi. Veruntamen prædicti omnes instituti, & etiam instituendi infra Sacerdotium positi cum pervenerint ad tempus congruum, interim dum modo fuerint idonei non obstante constitutione præsenti, possint, & debeant gradatim ad Sacerdotium ascendere & esse ad eumdem Ordinem præsentati a plebano, & Capitulo ordinandi. Veruntamen est sciendum quod Marcus Sardella, Albertinus, & Joannes de Burgo Diaconus præsentati jam sunt Domino Episcopo a Plebano & Clericis ad Sacerdotium promovendi: quorum duo, scilicet Marcus Sardella, & Albertinus, presentibus temporibus si idonei reperti fuerint debent ad Sacerdotium promoveri. Johannes autem de Burgo, cum adhuc non pervenerit ad ætatem idoneam, ut nunc istis temporibus promoveatur, alio tempore congruo sine aliqua alia præsentatione erit, cum placuerit Domino Episcopo, promovendus. Quodque etiam Nicolaus Sufturi Subdiaconus ad Diaconatum, & Petrus filius Danielis ad Subdiaconatum præsentati, debent & ipsi isti temporibus promoveri. Cum autem perventum fuerit ad numerum prædictorum octo, scilicet Plebanum trium Presbiterorum unius Diaconi, unius Subdiaconi, & duorum Clericorum si aliquis ex ipsis presbiteris morietur, vel alio modo deficiat esse presbiter ejusdem Ecclesiæ, Diaconus si idoneus fuerit ad Presbiteratus ordinem promoveatur, & si noluerint promoveri per Dominum nostrum Episcopum per subvencionem beneficii in Ecclesiæ ad suscipiendum ordinem presbiteri compellantur: Et sic de singulis ordinibus inferioribus, fiat subsessio per Clericos subsequentes, & compulsi per Dominum nostrum Episcopum contra renuentes & rebelles nolentes tempore debito se facere promoveri. Et si contigerit deficere aliquos ex Clericis tam majorum, quam minorum ordinum aliquo casu ad prædictum numerum erit institutum, unus alius eligatur extra Capitulum, vel de novo creetur, & ille sit quem major pars Capituli duxerit eligendum, cui minor pars Capituli debeant consentire, & assentire. Et non possit eligi aliquis, vel de novo creari, nisi qui juret has constitutiones se per omnia reservaturum, & si sic istas constitutiones jurare noluerit, vel neglexerit infra dies octo a die factæ electionis de se ipse desinat esse clericus dictæ Ecclesiæ, & alius eligatur, vel de novo creetur ut dictum est, qui has constitutiones juret se per omnia servaturum, ut dictum est, & Capitulum teneatur eum eligere infra unum mensem a die vacationis. quod si ipsum Capitulum infra ipsum mensem non duxerit eligendum, Dominus Episcopus Castellanus ordinarius noster provideat ex tunc ipsi Ecclesiæ & instituat alterum quemcumque in Clericum ad suam voluntatem extra gremium Ecclesiæ, qui has constitutiones juret & jurare possit se per omnia servaturum. Si autem contigerit Ecclesiam ipsam vacare, Plebanus ille, qui electus fuerit, vel alio modo ipsius Ecclesiæ adipisci voluerit Plebanatum, utpote per litteras Apostolicas, vel legatorum Sedis Apostolicæ habentium jurisditionem, non habeatur, nec recipiatur in Plebanum, neque ei obediatur tanquam Plebano, nisi ipsæ litteræ, quarum auctoritate debet recipi, de hujusmodi constitutionibus de verbo ad verbum plenam & expressam fecerint mentionem; & nisi prius juraverit has constitutiones se per omnia servaturum, ita etiam observetur si aliquis litteras Apostolicas vel delegatorum, tam super beneficio ipsius Ecclesiæ

clesiæ sive Presbiter fuerit, sive Diac. sive Sudiac. vel Clericus impetraverit, quod non recipiatur nisi de ipsis constitutionibus de verbo ad verbum in ipsis litteris mentio habeatur, & nisi primo juret se per omnia servaturum constitutiones predictas: hoc addito, quod cum Presbiter Mattheus ejusdem Ecclesiæ sit absens scilicet in Romania, de quo loco non debebat, nec poterat evocari ad statutum, vel ordinationem statuerunt, & ordinaverunt quod infra quindecim dies postquam Venetias venerit debeat jurare has constitutiones predictas se per omnia servaturum, & eas gratas, & ratas habere, & nulla umquam tempore contravenire. Quod si non fecerit exinde de ipsa Ecclesia, & beneficio sit privatus, & nihil commune habeat in prædicta Ecclesia, sed habeatur perpetuo alienus. Has autem constitutiones omnes & singulas suprascripti Plebanus, Presbiteri, Diaconi, Subdiaconi, & Clerici presente Vener. Patre Dom. Bartholomeo Quirino Dei gratia Episcopo Castellano volente, & consentiente, ac etiam suam auctoritatem prestante jurarunt omnes & singuli se perpetuo servaturos,

Ego Bartholomeus Dei Gratia Episcopus Castellanus m. m. ss.
Ego Petrus Georgius Pleb. Eccl. S. Moysis consentio & subscribo.
Ego Marinus Trivisanus Presb. S. Moysis m. m.
Ego Joannes Presb. S. Moysis m. m.
Ego Marcus Sardella Diac. S. Moysis m. m.
Ego Albertinus Diacon. S. Moysis m. m.
Ego Joannes de Burgo Diacon. S. Moysis m. m.
Ego Nicolaus Susturi Subdiacon. S. Moysis m. m.
Ego Petrus Clericus S. Moysis m. m.
Ego Petrus Clericus S. Moysis m. m.
Ego Alvisolus Cler. S. Moysis m. m.
Ego Matheus Versius Ecclesiæ S. Moysis Presbiter juratus consentio & subscribo.

Ego Joannes filius q. Raimundi Emenardi Provincialis Sacri Palatii, & dicti Domini Episcopi Castellani Pub. Notarius interfui, & rogatus scripsi, & roboravi.



Portio de Veste D. N. J. C. æquis portionibus dividitur inter Ecclesiam S. Moysis, & Sodalitium Magnum S. Marci.

D.

1391. 19. Januarii.

Ex Archivo Ecclesiæ Sancti Moysis.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo tercentesimo nonagesimo primo mense Januarii die decimo nono, Indict. decima quinta (a) Rivoalti.

Cum Redemptor noster Dominus Jesus Christus sua santissima gratia & bonitate pro salute & redemptione nostra voluerit carnem humanam assumere & dum nobiscum habitavit in terra, di-

(a) Ex apposita Indictione XV. annus 1391. computandus est annus Venetus, cum Indictio XV. ad annum 1392. more Romano computatum alligetur.

vina sua doctrina dignatus fuerit nos misericorditer erudire, & demum in ligno Crucis mortis amaritudinem pro nobis peccatoribus miseris substinere; cumque precibus & meritis Beati Marci Apostoli, & Evangelistæ sui Patroni, & Gubernatoris Venetiarum Patriæ nostræ sanctæ, & sub cujus vocabulo Fraternitas nostra extitit diutius fabricata Sanctissimæ vestis ejus manibus gloriosissimæ Matris suæ Mariæ Virginis, ut creditur, laboratæ, nos omnes ipsius Fraternitatis confratres licet indignos voluerit esse participes, ut ipsius Passionis, & immensarum gratiarum nobis exhibitarum memoriam condebitam sumeremus; igitur dignum est, & justum, ut eidem agamus gratias quantum plus possumus, & debemus. Quocirca cumque Venerab. Vir Dom. Presbyter Donatus Caroso, olim Plebanus Ecclesiæ Sanctæ Luciæ de Venetiis Castellanæ Diocesis in extremis vitæ suæ laborans, divina gratia inspiratus, per formam, & tenorem sui ultimi Testamenti scripti, completi, & roborati manu Venerabilis Viri Domini Presbyteri Antonii Bordo Plebani Ecclesiæ Sancti Leonardi, & Venetiarum Notarii in millesimo tercentesimo nonagesimo primo mense Decembris die vigesima Indictione Decima quinta Rivoalti per me infrascriptum Notarium visi, & lecti, inter cætera in eodem contenta sic duxit ordinandum, dicens: Item dimitto Domino Presbytero Fantino Alberegno Plebano Sancti Moysi meam Reliquiam, quæ est de Veste Domini Nostri Jesu Christi, in vita sua, & post mortem suam volo, quod sit Scholæ Sancti Marci Verberatorum, & ibi remaneat perpetuo: Et cum inter vos Guardianum, & Socios Scholæ Verberatorum prædictæ, ex una parte, & me Presbyterum Fantinum Alberegno Plebanum Ecclesiæ Sancti Moysi antedictæ, ex altera parte, occasione dictæ Reliquiæ certæ differentiæ fuerant ventilatæ ex eo, quod nos Guardianus & Socii antedicti cernentes juste petere, & honeste requirebamus Reliquiam antedictam a vobis præfato Domino Plebano nobis & Scholæ, atque Fraternitati nostræ, apud quam debebat in perpetuum residere, dari, & consignari de gratia singulari pro nostri tot Confratrum devotione non modica; allegantes quod melius, & dignius cernebamus, ipsam apud nos esse, qui sumus ultra numerum sexcentorum, quam apud vos unicum Sacerdotem, qui Corpus illius, qui dictam Vestem possedit, quasi quotidie consecoratis. Ego vero prædictus Plebanus vobis respondendo dicebam, quod legatum mihi relictum de Sancta Reliquia antedicta, volebam, dum vitam ducerem in humanis, pro mea devotione apud me continue conservare, ut placuit Testatori superius nominato. Tandem, sicut rerum omnium placuit Conditori, Beatoque Moysi Prophetæ, in cujus Ecclesia hoc fuit devotissime pertractatum, & ex interpositione, & bonis operibus, atque verbis Ven. & honesti Viri Domini Presbyteri Francisci Spalatino Plebani Ecclesiæ S. Blasii, & Prioris S. Bartholomæi de Venetiis Castellanæ Diocesis antedictæ, ad concordiam devenimus, & infrascriptam manifesti chartam nobis ipsis ad invicem duximus taliter faciendam. Quapropter

Manifestum facimus ad invicem nos, videlicet ego Presbyter Fantinus Alberegno Plebanus Ecclesiæ S. Moysi de Venetiis cum meis Successoribus, ex una parte, & nos Franciscus de Frederigo quondam Domini Nicolai Guardianus, Georgius a Sarziis Vicarius, Geronimus Barosso Guardianus de Maytino, Sanctucius de Cagnolis Scriba, Marcus Demuova, Jacobus Parisino, Leonardus Rosso, Marcus Ravignano, Thomadus Dognobeno, Petrus Bellono, & Joannes Ferro Decani, & officiales dictæ Scholæ, nomine nostro, & cæterorum Sociorum nostrorum Decanorum, & Officialium dictæ Scholæ, habita prius per nos plena licentia, & libera potestate a Capitulo Scholæ & Fraternitatis nostræ prædictæ infrascripta omnia faciendi, cum nostris Successoribus ex altera parte, videlicet una pars alteri, & altera

tera uni vicissim: quia in Dei, & Christi nomine ad infrascriptas conventiones, & pacta insimul, unanimiter, & concorditer devenimus modis, formis, & conditionibus infrascriptis, videlicet. Quod ad hoc ut utraque pars nostrum pro sua devotione obtineat quod affectat, concorditer & deliberate duximus taliter ordinandum.

Quod de ipsa parte Vestis Altissimi Jesu Christi, quæ præsentialiter est in manibus, & libertate vestri præfati domini Plebani, fieri debeant duæ partes æquales.

Quibus sic factis, & in duas partes divisa Reliquia antedicta, ego prædictus Plebanus unam recepi, & habui apud me retinendam, donec vitam duxero super terram: pacto expresso vobiscum Domino Guardiano & Sociis suprascriptis habito solemniter, & firmato, quod ipsam partem meam Reliquiæ antedictæ, vel ipsius particulam aliquam nulli alteri Scholæ, Fraternitati, Ecclesiæ, Monasterio, Prælato, vel Personæ tam Ecclesiasticæ, quam Sæculari dare, tradere, vel donare aliqualiter debeam, vel valeam ullo ingenio, sive modo, sed ipsa pars mea debeat, postquam fuero de hoc sæculo transmigratus, in Ecclesia Sancti Moysi antedicta in perpetuum remanere, a Plebanis mihi succedentibus in futurum in Ecclesia antedicta, Presbyteris, & Capitulo, atque Procuratori Ecclesiæ antedictæ continue conservanda, ita, & taliter, quod abinde non valeat imposterum aliqualiter auferri, vel removeri sine expressa licentia nostri Ducalis Dominii, sive Dom. Episcopi Castellani, vel sui Locumtenentis. Reliquam vero partem Vestis Christi, & Reliquiæ antedictæ nos Guardianus & Socii antedicti una cum Fratribus nostris induti cappis & vestibus solitis, acceptum venimus de Ecclesia S. Moysi antedicta, ipsamque cum processione Clericorum, & devotione condebita, detulimus reverenter ad domum nostræ Fraternitatis prædictæ, ibidem perpetuo residendam juxta formam Testamenti Testatoris superius nominati, vobisque supradicto Dom. Plebano S. Moysi, & vestris Successoribus, de dicta parte Vestis Christi, & Reliquiæ antedictæ, quæ vobis remansit, facimus cum nostris successoribus plenam & irrevocabilem securitatem, finem, remissionem, quietationem, liberationem, & pactum perpetuum de ulterius non petendo.

Hæc autem omnia, quæ suprascripta sunt modis, & ordinibus suprascriptis, si qua pars nostrum non observaverit, tunc quælibet pars nostrum contra faciens, vel veniens, seu non observans, emendare debeat cum suis Successoribus alteri parti observanti, & suis Successoribus pro pœna & nomine pœnæ Ducatos mille auri: qua quidem pœna soluta, vel non, nihilominus præsens manifesti charta in sua permaneat firmitate. Et pro suprascriptis omnibus, & singulis firmius observandis, & attendendis, modis & ordinibus suprascriptis, ego suprascriptus Presbyter Fantinus Plebanus obligo vobis suprascriptis Dominis Guardiano, & Sociis Scholæ prædictæ & successoribus vestris omnia mea propria bona præsentia & futura. Et nos suprascripti Guardianus, & Socii vobis præfato Dom. Plebano S. Moysi & Successoribus vestris omnia dictæ Scholæ nostræ bona tam præsentia quam futura. Signum suprascriptorum Dom. Presbyteri Fantini Alberegno Plebani S. Moysi, ex una parte, & Providorum Virorum f. Francisci de Frederico Guardiani Fraternitatis & Scholæ S. Marci Verberatorum & Sociorum, ex altera parte, qui hæc vicissim fieri rogaverunt, mandantes mihi Notario infrascripto, quatenus de prædictis omnibus, & singulis duo publica & consona Instrumenta facerem & complerem, & unum pro parte traderem.

Ego Presbyter Matthæus Ecclesiæ S. Moysi Testis.
Ego Marcus Clericus S. Moysi Testis.
Ego Thomasius de Thomasio q. f. Bartholomæi Venetiarum Notarius complevi, & roboravi.



DE ECCLESIA PAROCHIALI SANCTÆ MARIÆ JUBANICO.

A Patritia Familia *Jubanica* Templum hoc Divæ Mariæ Virgini sub Annunciationis titulo dedicatum agnoscit exordia. Eritios quoque, Barbadicos, Gratiabonos, atque Semiteculos opus ædificationis ejus adjuvasse testantur nonnullæ m. s. Chronicæ; verum nomen S. Mariæ Jubenicorum vulgo S. Maria Zobenigo illi inditum satis evincit potioribus saltem titulis huic familiæ adscribi oportere. *Deusdedit*, seu *Adeodatum* hujus nominis secundum Episcopum Torcellanum ex hac familia progenitum fuisse asserit Chronicon Anonymi Veneti ubi de hujus templi fundatione hæc affert: " Ghubenicus Barbadicus & Raggi Nigrisrosus insimul " cum Kanos qui Krosus appellatur. Toti isti fecerunt Eccle- " siam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ Jubenicus modo appellatur: " Quo tempore fundata fuerit ignoratur; attamen antiquissimam esse Ecclesiam ex eo deducitur, quod tresdecim Parochiales Ecclesiæ ipsam veluti Matricem statutis honoribus prosequuntur.

Anno Salutis humanæ DCCCCLXVI. ex populi furore Petrum Ducem

Ducem ad necem quærentis excitatum in Ducali palatio incendium adeo propagatum est, ut Ecclesia Divi Marci correpta vicinæ quoque ædes, & S. Mariæ Jubanico Ecclesia misere conflagrarint. Hæc vetustissimum Chronicon Joanni Sagornino attributum testatur: " Dum illum (Petrum Candianum
" Ducem hujus nominis quartum) longo tempore Venetici ob
" austeritatem sui exosum haberent, facultatemque perdendi
" sedulo machinarent, quadam die facta conspiratione in illum
" insurgere adorsi sunt. Palacium tamen quod a bellicosis li-
" cet paucis militibus, illum stipatum noverant, nulla ratione
" ausi sunt penetrare: Tandem neque consilium invenientes
" propinquas domos, quæ e contra Palacium, citra rivolum
" consistebant igne mixto picino fomento accendere studue-
" runt; Quatenus flammarum flexibilia culmina vicinum pa-
" latium attingere, & concremare possent. Unde factum est
" quod non modo Palatium verum etiam S. Marci, Sanctique
" Theodori, nec non Sanctæ Mariæ Jubanico Ecclesiæ, & plus
" trecentæ mansiones eo die urerentur ". Alterius quoque incendii damnum passa est anno Domini 1106. Ex quo nova molitione restituta usque ad XVII. sæculum perduravit, quo ad finem vergente cum ex nimia vetustate proximum ruinæ minitaretur excidium anno 1680. solo æquata triennii spatio a fundamentis restituitur singulari potissimum Aloysii Baratti merito, siquidem ad nobilissimi reædificationem Templi ampla redditnum suorum parte collata Parochianorum pietatem exemplo magis, quam verbis excitavit.

Sacelli Majoris Altare (ubi veneranda Corporis Dominici asservantur Mysteria) Annunciatæ Virginis, atque Archangeli Gabrielis marmorea exhibet simulacra. Altaria vero hinc inde ad latus Aræ Principis non dissimili structuræ ordine erecta sacras icones Visitationis Deiparæ, & Divæ Justinæ Virginis & Martyris continent, quarum primam Jacobus Palma, alteram vero Tinctoretus laudato opere depinxerunt. Horum postremus Conversionem quoque Pauli Apostoli in tabula januæ majori superimposita expressit. Inde Crucifixo Domino dextrorsum, atque Virgini Matri titulo Rosarii sinistrorsum ex candido marmore magnificæ assurgunt Aræ; post quas pari elegantia insignes conspiciuntur duæ aliæ Divis Antonio Patavino, ejusque Seraphico Patri Francisco dicatæ, ubi marmoreis

locu-

loculis inclusa asservantur Sanctorum Eugenii, & Antonii Martyrum corpora ex sacris Romanæ Urbis Cœmeteriis eruta. Sacrata hæc pignora Antonius Barbarus Eques, dum Romæ apud Sanctæ Memoriæ Innocentium XI. Veneta legatione fungeretur a supralaudato Pontifice Maximo dono accepit, huicque Ecclesiæ, quam summo prosequebatur amore, pie obtulit, ornatissimis quoque Altaribus ad ea continenda ex Testamento legatis. Exteriorem etiam Templi faciem superiuslaudatus Eques Barbarus triginta mille argenteos extremis tabulis assignans ex marmoribus instrui curavit.

Decus Ecclesiæ augent, tum Ven. salutiferæ Crucis portio per Apostolicos Visitatores Augustinum Cardinalem Valerium, & Laurentium Campegium Episcopum Cerviensem Legatum Pontificium anno MDLXXXI. sub prima die Junii approbata, tum Sanctorum Anastasii Martyris, atque Claræ Martyris pariter & Virginis, itemque Divi Peregrini Martyris caput adhuc carne coopertum, aliaque Sanctorum lipsana e Cryptis Romanæ Urbis adducta.

Consecrationis munus Templo impendit Joannes Badoarius Patriarcha Venetiarum Dominica tertia Julii anno 1700. ut in marmorea inscriptione signatur.

„ Templum hoc vetustissimum Ter a fundamentis extructum
„ Virgini ab Angelo Annunciatæ Dicatum Triplici Paroch. Coll.
„ & Matric. Titulo Veluti Serto coronatur Tertia Dominica
„ Julii MDCC. III: & R.mus D. D. Johannes Baduarius Venet. Pa-
„ triarcha Consecravit Innocentio XII. P. M. Aloysio Moceni-
„ co Duce Ven. & Jacobo Panighetti Plebano.

Sepulcralem requiem in hujus Ecclesiæ solo sibi elegerunt Sebastianus Foscarenus, & Hieronymus Molino cultores eximii hic amœniorum, ille severiorum litterarum. Eorum tumulis hæc insculpta fuerunt elogia.

„ Accipite Veneti Cives, quod est optimum in rebus hu-
„ manis, humanas res contemnere. Vixi Reipub. quamdiu po-
„ tui, mihi certe parum, & hic uno ictu extincto.

„ Hieronimo Molino vero Musarum alumno, qui humo
„ cineres, imaginem nobis, cœlo animam dicavit VII. Kal.
„ Jan. MDLXIX. Julius Contareno D. Marci Procurator insigni
„ amore, & pietate, hæc fieri cur.

In hac Ecclesia, quam matrem agnoscunt, & venerantur solem-

ſolemnem Baptismalis fontis benedictionem in Sabatho Majoris Hebdomadæ peragunt Plebani, & Titulati ſubſequentium Eccleſiarum, S. Moyſis, S. Fantini, S. Mauritii, S. Benedicti, S. Michaelis Archangeli, S. Vitalis, S. Samuelis, S. Gregorii, SS. Viti & Modeſti, S. Agnetis, SS. Gervaſii & Protaſii, S. Barnabæ, S. Raphaelis Archangeli; atque inde luſtralem aquam ad baptizandos infantes aſſumunt.

Opportune ad hanc Eccleſiam Virgineæ Annuntiationis titulo dedicatam referendum eſſe cenſeo antiquum uſum, qui non apud hanc tantum, ſed & apud plurimas alias Venetæ Urbis Eccleſias olim vigebat, decantandi nempe in aurora feſtivæ diei hoc ineffabili myſterio confecratæ Miſſarum ſolemnia magno cum devotæ pompæ apparatu. Antiquatum hunc modo morem ex Apoſtolico Leonis Papæ X. diplomate addiſcimus, qui, ut *feſtum Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ ad quam Antonius Contareno Patriarcha Venetiarum vehementiſſimum gerebat devotionis affectum, in civitate, & diœceſi Venetiarum per amplius cum majori fidelium devotione* celebraretur, *Chriſtifidelibus qui ſolemni Miſſæ in aurora in majori, vel S. Salvatoris, vel S. Antonii Venetiarum, ſeu ubique alia dictæ civitatis, vel Diœceſis Venetiarum Eccleſia in feſto prædicto decantandæ devote interfuerint, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis indulſit*. Eccleſiæ vero *S. Salvatoris, & S. Antonii* nominatim recenſentur, quia a Canonicis Regularibus excolebantur, quorum inſtituto nomen dederat prælaudatus Antonius Patriarcha.

LEO PAPA X.

„ AD perpetuam rei memoriam. Tunc nobis commiſſi diſ-
„ penſationem theſauri Sacratiſſimæ Paſſionis Dominicæ digne
„ credimus exercere, cum ſalubre ejusdem theſauri commer-
„ cium in Parochialium, ac aliarum quarumlibet Eccleſiarum
„ & religioſorum decorem, cum Divini cultus augmento, &
„ populi devotione, ac fidelium animarum ſalute fideliter con-
„ vertimus: ipſosque fideles, ut populum domino acceptabi-
„ lem, & bonorum operum ſectatorem reddere valeamus, ad
„ complacendum eis, quaſi quibusdam allectivis muneribus in-
„ vitamur, ut divinæ gratiæ exinde reddantur aptiores. Cu-

„ pien-

„ pientes igitur, ut festum Annuntiationis B. Virginis Mariæ, „ ad quam, sicut accepimus, venerabilis frater noster Anto- „ nius Contareno Patriarcha Venetiarum vehementissimum ge- „ rit devotionis affectum; in civitate, & diœcesi Venetiarum „ per amplius cum majori fidelium devotione solennizetur; & „ devotio ad ipsum festum in singulis illarum partium fideli- „ bus sicut in earum Prælato, & Pastore ad animarum suarum „ salutem, & ejusdem Virginis honorem radicitus plantetur: „ universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere „ pœnitentibus, & confessis, seu propositum confitendi haben- „ tibus, qui solemni Missæ in aurora in majori, vel Sancti „ Salvatoris, aut Sancti Antonii Venetiarum, seu aliqua alia „ dictæ Civitatis, vel diœcesis Venetiarum tam virorum, quam „ mulierum Monasteriorum, aut collegiata, vel Parochiali, „ seu alia quavis etiam Clericorum secularium ejusdem Civi- „ tatis, & Diœcesis Venetiarum Ecclesia, in festo prædicto „ decantandæ devote interfuerint; vel illam Missam solemnem „ hujusmodi celebraverint; vel illius celebrationi deservie- „ rint: pro singulis vicibus, & diebus festi hujusmodi, qui- „ bus id fecerint, decem annos, & totidem quadragenas de „ injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxa- „ mus. Præsentibus, quas sub quibusvis revocationibus, sus- „ pensionibus, limitationibus, annullationibus, vel modifica- „ tionibus similium, vel dissimilium indulgentiarum a nobis, „ vel Sede Apostolica etiam in favorem fabricæ Principis Apo- „ stolorum de Urbe, aut expeditionis contra infideles, seu alia „ quavis, & quantumcunque urgentissima causa hactenus, vel „ pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, sed ab eis „ semper exceptas fuisse, esse, & censeri debere decernimus, „ perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud „ S. Petrum sub annulo piscatoris die VIII. Martii MDXXI. „ Pontificatus nostri anno octavo.

Index

Index Chronologicus Plebanorum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Jubanico.

1142. Michael Mattuno subscriptus in Decreto processionis Scolarum in festo Purificationis: ut in Ughell. Tom. v. col. 1244.

1190. Benedictus Phaletro electus postea Primicerius S. Marci, atque inde Patriarcha Gradensis. De eo verba dedimus ad Ecclesiam S. Silvestri.

1200. Michael Bonifatius Not. subscriptus privilegio concessionis factæ Communitati Laureti (Loreo) a Vitale Phaletro Duce Venetiarum. Ex Antiquitatibus Medii Ævi Tom. XII. pag. 255. De eo Marinus Sanutus in Vita Petri Ziani Ducis Venetiarum.

1255. Joannes Sejo Not. Ex catast. veteri Reverendiss. Cleri.

1311. Gerardus. Ex Rog. Bonaventuræ Sardella Not.

1322. Jacobus Mauroceno. Ex testam. Ceciliæ Mauroceno Matris suæ.

1338. Stephanus. Ex Arch. Patriarchali.

1343. Nicolaus Justus. Ex rog. Petri de Compostellis Not.

1346. Stephanus Silvo dictus Petenello Not. Ex rog. ipsius.

1367. Matthæus Cavalario. Ex Arch. Patriarch.

1370. Nicolaus Justiniano Canon. S. Marci. Ex rog. Gasparini de Manis Not.

1411. Nicolaus Fasolo J. U. D. prius Pleb. Eccl. S. Stephani Confessoris, inde electus Pleb. S. Mariæ Jubanico, & Not. Ex rog. ipsius.

1420. Frizierus Cataldo. Ex rog. Andreæ Pleb. Sancti Fantini, & Not.

1427. Rogerius Cataldo. Ex rog. Francisci Gritti Pleb. Sancti Pantaleonis, & Not.

1442. Paulus de Benedictis J. U. D. Canon. Eccl. Ducal. Not. pub. ac etiam Curiæ Examinat. Aulæ Inclyti Ducis Venet. Cancell. Archipresb. Cong. S. Michaelis Archangeli. Domus ejus Plebanitia anno 1467. flammis incensa fuit. Ex quo tum hujus Ecclesiæ, tum Congregationis monumenta ob lachrymabilem casum perierunt.

1472. Antonius Savina Not. & Aulæ Inclyti Ducis Venet. Cancell. prius Pleb. Eccl. S. Trinitatis, Canon. & Vicar. Basilicæ Ducal. Judex super Decimis exigendis. Anno 1496. electus fuit Episcopus Chissamensis.

1498. Jacobus Zannibonus.

1504. Jo. Franciscus Urso. Fuit primum Pleb. S. Eustachii. Obiit 1508.

1508. 5. Octob. Nicolaus Rubeus. Ob. 1522.

1522. Michael Bonifatius hujus nominis secundus Not. & Ducalis Cancell. Ob. 1533.

1533. Aloysius de Præclaris Canon. Castell. Ob. 17. Dec. 1552.

1552. M. V. 3. Januar. Laurentius Bognolo Canon. Magister Ceremoniarum, & Vicar. Ducal. Basilicæ. Archipresb. Cong. S. Angeli. Ob. Kal. Decemb. 1586.

1586. M. V. 6. Januar. Jo. Baptista de Nigris Archipresbyter Cong. S. Angeli. Ob. Kal. Martii 1600.

1600. 5. Martii. Jo. Salamonius. Ob. 22. Januar. 1613. M. V.

1613. M. V. 12. Feb. Jo. Baptista Nichetta Archipr. Congr. S. Lucæ. Ob. 1641. 5. Decemb.

1641. Antonius Palzonus Prothonot. Apost. Canon. Castell. Ob. 8. Octob. 1671.

1671. 15. Octob. Aloysius Baratti Sacræ Theol. Doctor. Prothonotar. Apost. Canon. Ducal. Ob. 9. Nov. 1684.

1684. 14. Nov. Jacobus Panighetti Prothonot. Apostol. Canon. Ducal. Archipr. Cong. S. Pauli. Sub eo Consecrata fuit Ecclesia. Ob. 26. Junii 1709.

1709. Kal. Julii. Andreas de Episcopis Prothonot. Apostol. Auratæ Militiæ Eques. Ob. 25. Martii 1714.

1714. 28. Martii. Joannes Antonius Marchi J. U. D. Prothon. Apostol. Vicar. Generalis Torcell. Ob. 1718.

1718. 21. Septemb. Bartholamæus Calimani. Canon. Ducal. Ob. 4. Novemb. 1742.

1742. 9. Novemb. Paulus Schiopalalba Canon. Ducal.

DE



DE ECCLESIA PAROCHIALI SANCTORUM MAURITII, ET SOCIORUM MARTYRUM.

ANTIQUUM Divi Mauritii Templum a gente Candiana splendore virtutum, & rerum gestarum gloria apud Venetos clarissima originem duxisse plurimi testantur rerum Venetarum Chronologi. Eos inter Anonymus qui Chronicon, ut sæpe dixi, Sæculo XIII. exaràvit, non solum in D. Mauritii, & Sociorum ejus, sed etiam in S. Adriani honorem in primæva sui fundatione dedicatam fuisse testatur his verbis: "Candianus multa habens erat Patrocinia „ de S. Mauritio, & Sociis ejus, & de S. Adriano, ipse ad „ eorum honorem Ecclesiam fecit, & aurum, & argentum, „ & multitudinem terrarum ibi concessit ad suam, & paren- „ torum salutem": Et Divo Lazaro Massiliensi Episcopo, quem in Evangelio legimus a Domino suscitatum, olim sacratam fuisse referunt nonnulli minoris notæ libelli, quorum assertio nulli innixa documento ex eo etiam rejicienda est, quod Ecclesia ipsa nullam de Divo hoc solemnitatem agit.

Ex vastissimo incendio, quod anno 1105. præclarissimam urbis partem defœdavit, Ecclesia quoque S. Mauritii devastata est, & solo eversa; ex cujus combustionis ruinis excitata, iterum temporis injuriis labefactata novo opere potiori ex parte restituitur anno Domini MDXC. cujus consecrationis solemnia XVII. Kal. Julii annuo officio celebrantur, eaque die cum ad Sanctorum Viti, & Sociorum Ecclesiam pro gratiarum actione de præservata Venetæ Urbis libertate, uterque Clerus & majora Sodalitia accedant, prius ad Divi Mauritii Templum annuæ solemnitatis ratione divertunt.

Condigna veneratione in Templo hoc asservatur Divi Mauritii Titularis Martyris os, quod in ipsius annua solemnitate Fidelium pietati publice exhibetur, atque os pariter Divi Apostoli, & Evangelistæ Matthæi, & alia Sanctorum lipsana e Romanæ Urbis Cœmeteriis educta.

Emortualem quietem in hujus Templi pavimento sortitus est Joannes Baptista Guarinus Eques, & celeberrimus Poeta, in quo tamen elegantiam magis admireris, quam modestiam commendes.

In exteriori Ecclesiæ pariete, quæ aream respicit laudato Horatii a Castrofranco Pictoris opere Deipara expressa est puerum Jesum amplexans, atque hinc, & illinc effigies conspiciuntur Divorum Rochi & Sebastiani, quos singulares adversum pestiferam luem patronos apud Deum Urbs Veneta veneratur. Cum Virginalis effigies Anno MDCCXXIV. prodigiis claruerit, confluentibus piorum eleemosinis eleganti marmorum ornatu circumdata fuit, atque ex eo tempore cœpit populorum cultu frequentari.

Series Plebanorum Ecclesiæ Parochialis, & Collegiatæ Sancti Mauritii.

1152. Dominicus Subdiac. Vicar. Eccl. S. Mauritii subscripsit sententiæ Henrici Danduli Gradens. Patr. pro Pleb. & Eccl. S. Mariæ de Muriano.

1189. Hermacoras. Ex Arch. Patriarch.

1202. Antonius de Vatheiis. Ex inscriptionibus Palpherii.

1214. Leonardus ..... Ex Arch. Eccl.

1275.

1275. Petrus Corrarius die v. Januar. Indict. iv. concedit Petro, & Marco Viadris petiam terræ de ratione, & confinio S. Mauritii ad fabricandas domos. Ex cod. Provis. super bona commun. sententia LX.

1289. Maximus Not. die VIII. Aug. rogat instrumentum pro Abbate S. Thomæ Burgundionum.

1303. Marcus Semiteculo Pleb. olim S. Mauritii nominatur in superius enunciato Codice Provisorum super bona communia. In sentent. lata anno 1303. quo autem tempore Ecclesiam rexerit, latet.

1302. Marcus Dorabona comparuit coram Provisoribus super bona communia. Ex supradicto codice.

1345. Joannes Justinianus. Ex rog. Petri de la Turre Diac. S. Angeli & Not.

1349. Joannes Bono Basilicanus Eccl. S. Marci. Ex rog. Raphaini de Caresinis. Hic anno 1366. Indict. v. die 30. Septemb. Rivoalti *fecit quietationem Dominæ Christinæ Memo Abbatissæ S. Matthæi de Constantiaco.*

1384. Jacobus Tanto. Transiit ad Archipresbyteratum Parochialem Ecclesiæ SS. Leoncii, & Carpophori de Lucio Diœcess. Vicentinæ. Ex Instrum. ad ann. 1389. peracto per quod convenerunt supradictus Jacobus Tanto & Presb. Antonius de Candida Archipr. de renuntiatione, & commutatione mutua beneficiorum.

1389. Antonius de Candida. Ex rog. Jacobi Tauro de Methamaúco Presb. & Notarii.

1398. Antonius Marcangelus de Candida. Ex rog. Comitis de Bertholdis Presb. & Not.

1416. Dominicus Manzangola. Ex rog. Petri de Canalibus Not.

1416. Victor olim Rector S. Jo. Laterani. Ex rog. Petri Griffoni Not.

1421. Antonius de Vataciis. Hic primo fuit Presb. S. Mariæ de Muriano, postea Pleb. S. Silvestri, demum Pleb. S. Mauritii, & Not. Ex rog. ejusdem.

1445. Joannes de Facentis. Ex rog. Petri de Rubeis Pleb. S. Mariæ Magdalenæ, & Not.

1460. Antonius Bono. Ex Arch. Eccl.

1463. Marcus Venturosus. Ex rog. Natalis Columna Pleb. S. Leonis.

1484.

1484. Franciscus Venturosus. Ex rog. Antonii Savina Pleb. & Not.
1506. Franciscus de Michaelibus. Ex Arch. Eccl.
1524. Antonius Scatularius. Ex Arch. Eccl.
1528. Gaspar de Marianis Gibbus, fuit primum Presb. S. Juliani, mox Pleb. S. Mauritii, & demum Pleb. S. Juliani.
1534. Augustinus Contareno Prothonot. Apost. Canon. Venet. Obiit 23. Novemb. 1551. Ex cod. Planch.
1551. 30. Novemb. Petrus Pisani Canon. Sacrista D. Marci. Obiit Paduæ 29. Septemb. 1570.
1570. 13. Octob. Hieronymus Zuccarinus Tit. Eccl. S. Angeli. Obiit 24. Novemb. 1571.
1571. Nicolaus Fausto Canon. S. Marci, ac Ceremoniarum Magister.
1595. Hieronymus Vendrameno, Theologus doctissimus.
1619. Franciscus Nasius Canon. Ducal. Ob. die x. Aug. ut ex ejus elogio, olim in ejusdem Templi pariete inscripto.

CIƆIƆXXVIII.

„ Mauritii Martyris Ædem æquato pavimento educto latere
„ adjectis ornamentis Franciscus Nasius loci Antistes de pia
„ collecta auctavit anno primo.

1630. Stephanus de Michaelibus. Ob. ex peste eodem anno die XXXI. Octob. an. ætat. suæ XXXVI.
1630. Aloysius Locatellus. Ob. 29. Junii 1631.
1631. Angelus Verzina Canon. S. Marci. Ob. 22. Aug. 1682.
1682. Leonardus Carrara Canon. Castell. Ob. 29. Julii 1704.
1704. Franciscus Fabris Canon. Ducal. S. Marci. Ob. 14. Decembr. 1718.
1718. 18. Decemb. Hieronymus Scarpa. Ob. 19. Sept. 1730.
1730. 25. Septemb. Joseph Petrogalli Canon. Ducal. Basilicæ, Prothon. Apost. Examin. Synod.

DE



DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI VITALIS MARTYRIS.

VITALIS Phaledrus Dux Venetiarum XXXI. Imperialis Prothosevaston, qui Reipublicæ hostibus navali certamine profligatis, pluribusque civitatibus sub publica potestate redactis, primus omnium Dalmatiæ, atque Chrovatiæ Ducis titulum assumpsit, Divo Vitali Martyri homonymo suo Templum erexit circa XI. Sæculi finem. Hæc unanimi sententia testantur Sansovinus, atque alii fere omnes rerum Venetarum Chronologi, qui hujusce ædificationis meritum Phaledri Ducis pietati adscribunt. Diversimode tamen hujusce Ecclesiæ fundatores memorat Anonymus Venetæ Chronicæ ms. sæpe citatus author, qui sæculo XIII. floruit. Ecclesiam enim S. Vitalis a tribus Familiis Chalosia, Barbadica, & Renosa ædificatam fuisse asserit: *Chalosii qui Casolii appellantur insimul cum Barbadici, & Renosi ipsi Ecclesiam fecerunt Sancti Vitalis*. Una cum aliis duobus supra viginti Ecclesiis ex vastissimo incendio consumpta fuit anno salutis humanæ MCV. moxque renovata ad finem usque XVII. Sæculi perduravit. Anno enim 1700. cum nec ligneis

fulta

sulta subsidiis ultro subsistere posse nosceretur, Theodorus Tessarius Plebanus vir inter cætera præstantis etiam, atque elegantis ingenii eam solo æquavit, novamque ornatiorem corrogatis undique piorum eleemosynis erigendam summo studio assiduoque labore curavit. Opus cui per multos annos insudatum est magnifice tandem prodiit, novumque decus accepit ex marmorea facie adjecta, quam sumptibus legatis Caroli Contareni Venetiarum Ducis erectam fuisse testatur nomen ejusdem Ducis marmoreo simulacro suppositum: *Carolus Contarenus Dux*.

Dominicæ Coronæ Spina, aliquibus miraculosi sanguinis guttis e celebri Crucifixi imagine Berithi effusis, diversisque Sanctorum Martyrum lipsanis Ecclesia ditatur, cujus Aræ Principis tabulam Divi Vitalis aliorumque Sanctorum imagines exhibentem laudatissimo labore depinxit anno 1514. Victor Carpatius.

Plebani Ecclesiæ Sancti Vitalis ordine chronologico dispositi.

1190. Matthæus Capello Not. Ex Archivo Patriarchali.
1230. Leonardus Vendelinus, qui prius fuit Pleb. S. Leonardi. Ex Arch. S. Jo: de Torcello.
1316. Vitalis de Casalibus. Ex rog. Jo: Peregrini Presb. Sancti Felicis, & Not.
1336. Joannes Justo Archipresbyt. Cong. S. Hermacoræ. Ex Catast. Cleri Veneti.
1360. Joannes de Vasperto. Ex rog. Petri della Rossa Presb. S. Agnetis, & Not.
1366. Nicolaus Semiteculo. Ex rog. Marini Pleb. S. Gervasii, & Not.
1383. Nicolaus de Ferrantibus Not. Ex rog. ipsius.
1421. Petrus Miani Not. fuit primum Presbyter Sancti Vitalis, deinde Pleb. S. Trinitatis, & deinde Pleb. S. Vitalis. Ex rog. ipsius.
1428. Dominicus Niger. Ex Arch. S. Canciani.
1429. Ambrosius de Vido Notarius. Anno 1433. deputatus fuit

fuit ad Concilium Basileense pro Congregatione Sanctæ Mariæ Matris Domini. Ex Chron. Sanuti, & ex rog. ipsius.

1447. Benedictus Zucchato. Ex rog. Pauli Benedicto Pleb. S. Mariæ Jubanico, & Not.

1477. Matthæus de Stephanis. Ex Catast. Monast. S. Mariæ Servorum.

1490. Joannes Lucianus Canonicus Ducalis Basilicæ. Ex rogitis Andreæ de Ingeneriis Plebani Sancti Thomæ, & Notarii.

1523. Marcus Benedictus Canon. Ducal. Ex Testam. Francisci Clerici ejusdem Eccl. S. Vitalis.

1535. Petrus Cuitinius, Canonicus Ducalis. Obiit 2. Octobris 1541.

1541. 21. Octobris. Dominicus de Damianis. Obiit 10. Octobris 1549.

1549. 4. Novemb. Sigismundus de Damianis supradicti Dominici Plebani filius. Ex Arch. S. Joannis de Torcello. Ob. 1577.

1577. Bartholamæus Contarenus, prius Presbyter Titulatus Ecclesiæ Sancti Angeli. Anno 1596. die 30. Martii Testamentum condidit, in quo ita se nominat: *Ego Bartholamæus de Pilotis quondam Domini Hieronymi dictus Bartholamæus Contarenus &c.* Quarta post conditum testamentum die obiit 3. Aprilis 1596. Ex libro Ecclesiæ.

1596. Laurentius de Thomasiis. Ob. 16. Apr. 1625.

1625. Querinus Bordulo pestifera lue percussus obiit 18. Decembris 1630.

1630. Gaspar Olivi obiit 6. Decemb. 1648.

1648. Stephanus Manzoni obiit 4. Julii 1679.

1679. Jacobus Cocconi obiit 15. Aug. 1684.

1684. Theodorus Thessari Canonicus Ducalis, Archipresbyter Congregationis Sancti Hermacoræ. A Ludovico XIV. Galliarum Regem ob poeticam elucubrationem (vulgo Sonetto) ei oblatam donatus est torque aureo in Urbe Parisiorum. Ecclesiam vetustate labentem a fundamentis renovari curavit. Marmoreum ejus simulacrum januæ, qua patet aditus ad sacra-

rium, impositum est, cum hoc exculpto elogio: *Supra Effigies - Suptus Cineres - Circum Opera:* In pavimento autem ubi tumulatus est haec verba incisa visuntur.

Theodori Thessari Plebani Ossa 1718.

Obiit 16. Julii 1718.


1718. Sebastianus de Scaramucinis Canonicus Ducalis. Obiit 25. Julii 1724.

1724. Dominicus Zugno Canonicus Ducalis. Obiit 1749.

1749. Joannes Centonus successit Praecessori Plebano in Congregatione S. Lucae, juxta Decretum Excelsi Consil. de X. 1744. 11. Septemb.



DE



DE
MONASTERIO
S. ROCHI, & S. MARGARITÆ.

QUÆ in Urbis ut ita dicam, centro Ecclesia visitur Sanctis Rocho, & Margaritæ sacra, titulum olim obtinuit Sanctæ Susannæ in prima scilicet fundatione, cujus authorem, & tempus plane ignoramus. Sed cum postea Sanctimonialium Cœnobium constructum ibidem fuisset, novumque Templum erectum, suppresso veteri titulo, nomina Sanctorum Rochi, & Margaritæ successerunt. Res ita gesta est. Anno MCCCCLXXXVIII. Cisterciense Sanctimonialium Cœnobium in Torcellanensi insula S. Margaritæ dicatum ob nimiam vetustatem ad ruinam prorsus vergebat, jamque ad terram prolapso majori dormitorio, Santimonialibus de restituendis ædificiis ob reddituum angustias spes omnis adempta erat; itaque de nova habitatione cogitantes quamdam ex Sororum numero (quas Conversas dicunt) nomine Claram, virilis animi, & piæ conversationis Virginem Venetias miserunt, ut corrogatis piorum eleemosynis locum reducendis collocandisque Virginibus sub veteri S. Margaritæ titulo apte disponeret. Hæc Venetias appulsa Divino prorsus instinctu recto tramite ad Parœciam S. Samuelis se contulit prope eum locum, ubi quamplurimæ meretriculæ ex abominabili corporis quæstu vitam trahentes infame lupanar constitue-

Ccc 2 tue-

fuerant. Rei turpitudine commota Clara, sordidum situm, & nefandæ Veneri sacrum in purissimum Parthenium Deoque sacras ædes convertere cogitavit, inque optimi consilii partem Franciscum Faletrum, Michaelem & Franciscum a Lege viros clarissimos facile adduxit, ita ut assiduo studio, gravique labore omnia ad tanti operis perfectionem necessaria undequaque colligerent. Res cessit ex voto; siquidem ex fidelium eleemosynis domus illæ coemptæ sunt, expulsisque inde impuris fœminis, decentiori, quo datum est, modo ad Virgines colligendas dispositæ. Ut autem clariora tanti operis essent exordia, selecta est opportuno consilio dies sacratissima Parasceves Redemptoris Nostri Sanguine consecrata, quæ eo anno 1488. in diem incidit quartam Aprilis, ut sacri ædificii moles solemniter inchoaretur. Proximum erat eidem loco D. Stephani Monasterium a Fratribus Eremitanis Ordinis S. Augustini excultum, in quo miræ pietatis, & eloquentiæ concionator ejusdem Ordinis Benedictus nomine ex Januensi familia *Signori* verbum Dei magno cum animarum fructu disseminabat. Vir itaque religiosus cum ea die e' suggestu venerandam Jesu Christi passionem populo lacrymanti enarrasset, arrepta Crucifixi imagine Fratribus suis, ingentique hominum multitudine comitantibus, ad locum diruti lupanaris se contulit ibique ferventi sermone ad pietatem excitandam populumque permovendum maxime accommodato, audientium animos ad tam præclari operis consummationem accendit. Itaque extemplo erectum est ligneum Sacellum, paucisque interjectis diebus die 23. ejusdem mensis & anni per Patriarcham Venetiarum Maphæum Girardi positus est construendæ Ecclesiæ primus lapis, vetustoque D. Susannæ Templo ad solum æquato nova surrexit sacra ædes, quæ ex Torcellensis D. Margaritæ Cœnobio, & ex proximiori S. Rochi Collegio, seposito titulo veteri[1], novum adscivit Sanctorum Rochi, & Margaritæ; nec multo post adjacens Monasterium perfectum est. Rei testimonium perhibet Marcus Antonius Sabellicus ejusdem ætatis historicus celeberrimus, qui libro secundo de situ Urbis hæc affert. " Hinc
" flexus ad Rochi, & Susannæ aram: huc his paucis annis
" Rochianum collegium concesserat: ac pluribus ædificiis solo
" æquatis, quæ ad hoc ipsum coemerat novum sibi conclave cum
" divi æde erigere adortus est: sublato inde veteri lupanari
" ingentem explicaverat ad ædificandum aream: quum repen-

" te

„ te mutato consilio cum ipsis sacris: ac divi corpore ex gal-
„ lia nuper delato: & quod pro tempore in Geminiani phano
„ religiose fuerat asservatum: in vetustissimum phanum ultra
„ rivum commigravit: novissime hinc cum omni cerimonia
„ profectum eum circa minorum ædem locum instauravit: ubi
„ prima fuerant divo jacta fundamenta est id hodie quamquam
„ recens ex quinque celeberrimis urbis collegiis: unum illis
„ igitur abeuntibus locus est iterum prophanatus: sed non
„ multo post in sacrum usum restitutus: traductusque eo fre-
„ quens virginum cœtus ædes cum virginio tumultuario pene
„ opere extructa: Rocho & Susannæ sacra relinquunt."

Interim dum hæc propitio Numine Venetiis aguntur, Torcellenses Virgines restauratis ex majori parte earum ædificiis Venetias transmigrare detrectarunt; quæ res novi Cœnobii Procuratores maximo affecit mœrore, sed Deus Omnipotens pios eorum labores irritos cadere non est passus, & Torcellanensium Sanctimonialium defectu animum excitavit cujusdam piæ Viduæ Stellæ scilicet olim Nobilis Viri Balanzani uxoris, ut collatis ad Cœnobii sustentationem opibus, quibus a Domino cumulata fuerat, seipsam quoque per perpetuam oblationem in eodem loco Domino manciparet.

Ex hoc erecti Procuratorum animi ipsam in novæ domus Antistitem elegerunt, ipsamque electionem a Veneto Patriarcha confirmari curarunt. Suscepto itaque Asceterii regimine, cum illa ex Divini Flaminis motione S. Patris Augustini regulam sibi observandam delegisset „ ad Monasterium S. Andreæ Venetiarum, quem vulgo *de Zirada* vocant, ejusdem Augustiniani Ordinis se contulit, ibique habitu electæ recens religionis per manus Priorissæ suscepto nomen Stellæ in Luciam commutavit. Inde ad proprium Cœnobium redux bona, quæ eo usque temporis possederat, novo Asceterio Sanctorum Rochi & Margaritæ amplo munere concessit, expletoque probationis anno consueta religionis vota in manus Marci Marchetti S. Samuelis Plebani, & Cœnobii Confessarii solemniter emisit, & Cœnobii regimen rite suscepit, quod usque ad mortem laudabiliter gubernavit. Cum autem novi Monasterii fama, bonusque odor sanctæ ejus conversationis in dies latius manaret, quamplures etiam Patritii Ordinis puellæ sacro instituto certatim nomen dederunt, & inter eas præclara Virgo ex Torcellensi S. Margaritæ Monasterio Ludovica Usnago nomine, quæ ex dispensatione Pontificia una cum supralaudata Clara

præ-

præcipua loci Fundatrice S. Augustini regulam professæ sunt.

In ipsa sui fundatione Ecclesia ditata fuit sacra Divi Rochi Maxilla, quam ejusdem Sancti Sodalitium dum ad locum, ubi nunc degit, se transferret pio munere ibi reliquit; ex Cathedrali etiam Caprularum Ecclesia os excepit ex brachio Sanctæ Virginis Tutelaris Margaritæ quod in ejus solemnitate pia populorum veneratione frequentatur.

Consecrationis munus accepit die 23. Septemb. anno a Nat. Domini 1573. ut docet Epigraphes marmori incisa, atque in ejusdem Ecclesiæ sacrario parieti affixa.

„ Dedicatio hujus Ecclesiæ celebratur Die XII. Septembris.
„ Templum hoc consecratum fuit anno 1573. Sec. Dom.
„ Septemb. per R.mum D. Martium Mart. de Medicis Florent.
„ Episcopum Marsicensem Decimo Tertio ejusdem Mensis.

Colitur in hac Ecclesia antiquo cultu Græca Beatæ Mariæ Virginis imago, quam e Nauplio urbe fuisse deductam ejusdem monasteria Chronicula testatur. Libet ejus translationem, qualis in vetusto codice exhibetur, proferre.

Quo tempore Occidentale Imperium longe, lateque toti Græciæ dominabatur, apud Lacedæmonem Peloponnesi urbem celebris erat Deiparæ Virginis imago in Cathedrali Templo sub titulo Sanctæ Mariæ Ortocastæ dedicato ad aram maximam collocata, quam ob prodigiorum copiam populorum religio præcipua veneratione prosequebatur.

Venerandæ imaginis cultus hic frequens per plura sæcula perduravit, donec sensim declinante Byzantino Imperio cum Saracenorum furor Græcas Insulas, ipsumque Peloponnesi regnum cædibus, & rapinis foede vastasset, ipsa quoque Lacedæmon ejusque ædes, & Ecclesiæ miserandum in modum direptæ, incensæ & solo attritæ fuerunt. Paulo post cum afflictæ urbes ab illata clade respirare cœpissent, admirabili numinis dispositione rustica quædam puella, dum circa vespertinas horas e pascuis oves ad caulam reduceret, in Lacedæmonis agri pago quod Zachoma dicitur prope salientis aquæ fontem imaginem hanc radiis undequaque fulgentem aspexit, quo perculsa prodigio festinans præ gaudio circumvicini ruris populos rei enarratione concitat, ut ad fontem convolantes mirabilem visionem aspicerent, quam Dominus dignatus erat ostendere.

Prodigii fama evulgata non solum finitimæ gentes, sed e toto Peloponnesi regno ingens hominum concursus in sacræ Iconis venerationem accurrunt, unde collecto pio ære in eo

ipso

ipso apparitionis loco ædificata est Ecclesia, quæ de ipso dirutæ Cathedralis nomine Sancta Maria Ortocasta nuncupata est.

Diu multumque in eo templo novis semper clara prodigiis summo in honore fuit, donec invadentibus iterum Peloponnesi regnum Turcarum armis, a quodam pio milite Protocastora nomine, antequam Barbaricæ copiæ Lacedæmonem adventarent, ablata est, & Nauplium Venetæ ditionis urbem deducta, ubi in S. Martyris Theodori phano honorifice locata fuit, quo deinde ex loco sponte sua (ut perhibent) recedens ad Ecclesiam SS. Apostolorum se transtulit.

Anno autem Domini 1541. Respublica Veneta novennali, eoque acerrimo bello a Solymano Turcarum Rege afflicta, gravissima quoque annonæ penuria pressa Aloysium Baduarium Constantinopolim legatum misit, ut pacta pecunia pacem compareret; conditione a Solymano rejecta, cui ex iniquorum proditione secreta Reipublicæ patefacta fuerant, coactus est Venetus Orator Nauplii Epidaurique cessione pacem redimere. Nauplio itaque recedens Franciscus Barbarus, Urbis Prætor, venerandam Deiparæ effigiem secum asportavit, eamque Monasterio Sanctorum Rochi & Margaritæ, in quo ejus soror nomine Cassandra degebat, offerre statuit. In patriam reversus pium munus sanctimonialibus obtulit, quod ingenti Cleri populique frequentia solemni supplicatione ad Ecclesiam delatum est. Divinæ autem providentiæ gratia factum est, ut Moniales, quæ communi rei frumentariæ inopia plurimum laborabant, exinde omnibus ad victum necessariis abundare cœperint, quæ Dei beneficentia Cœnobium hoc etiam in posterum est prosequuta. Nec superna defuere miracula, quibus Deus Omnipotens cultum sacræ hujus imaginis testaretur sibi esse gratissimum: siquidem sanctimonialis ipsius Cœnobii ex Scaramela gente nomine Raphaela morboso algore correpta dum inutiles experitur artes medicas, invocata ad hanc effigiem B. Virginis ope, statuto in pane, & solius aquæ haustu annuo jejunio, repente convaluit; Soror Serafica Bontempo Sanctimonialis ex incurabili membrorum stupore decumbens, dum de ædificando sacræ Iconi sacello votivam oblationem concipit, viribus improviso receptis perfectæ incolumitati restituitur. Voti itaque memor eo quo potuit meliori modo ligneum Sacellum construi curavit, ad quod decenter ex ara majori prodigiosa Deiparæ imago delata fuit.

Cum autem ad nobiliorem Ecclesiæ ornatum anno 1597. mar-

marmoreum altare ex piorum ære constructum fuisset, ad illud vetusto Sacello everso die 11. Julii ejusdem anni solemni supplicatione præcedente transfertur veneranda effigies, cui festivæ pompæ, & translationi interesse voluerunt Laurentius S. R. E. Cardinalis Priolus Venetiarum Patriarcha, Dominicus Juconius Spalatensis Archiepiscopus, Joannes Baptista Valerius Bellunensis, Cæsar Noris Parentinus, & Angelus Caserinus Caprulensis Episcopi, plurimique ex Veneto Clero Sacerdotes, & Plebani, qui sacris hymnis & canticis Supremæ Cœlorum, & terræ Reginæ festivas laudes concinuerunt.

Tantæ Virginis intercessioni totius Cœnobii acceptam referunt preservationem a furenti incendio, quo ligneæ ædes Monasterio adnexæ conflagrarunt anno 1744. die 6. Februarii: dum enim ex ligneo pabulo flammarum globi in immensum succrescentes ventorum vi in Monasterium irrumpentes proximam incendii ruinam minitarentur, implorato a Sanctimonialibus potenti Deiparæ auxilio, expositaque adversus ignem ipsius imagine, flammæ mirabiliter retrocesserunt, & intra ambustæ domus confinia concesserunt, donec penitus extinctæ sunt.

Pari eoque mirabili præservatum est modo anno 1747. Nocte Dominicam primam Octobris præcedente ingens intempesta nocte in proximo S. Samuelis amplissimo Theatro exortum incendium vehementissimo flante Africo adeo brevi excrevit, ut lignea molis structura flammis pabulum ministrante proximarum ædium habitatores impendentem, nec evitabilem humana ope desolationem ingemerent. Sanctimoniales clamorum strepitu excitatæ altos Monasterii parietes a furentibus flammis superari viderunt, ignitosque carbones favilla immixta intra Monasterii septa a debacchantis Noti impetu jaculari exanimes viderunt, dumque se flammis obsideri dolent, spem omnem in Mariæ protectione reponentes, supplices ante detectam ejus imaginem in genua provolutæ deprecantur, ne vastissimi incendii periculum ultra Theatri mœnia protenderetur. Vix autem invocato tantæ Protectricis auxilio, furentes flammæ in se ipsas reduces & conversæ non Cœnobium tantummodo, sed & proximiores ædes intactas reliquerunt, donec labente Theatri gravissimo tecto, incendium restinctum est & gravissimi periculi metus omnis sublatus.

Nonnullis Divorum Titularium Ossibus ditatur Templum hoc, quod modo ad ampliorem, & elegantiorem formam deducitur, atque marmoreis aris magnifico opere instruitur.

DE



DE ECCLESIA PAROCHIALI S. SAMUELIS PROPHETÆ.

TEMPLUM Divo Samueli Prophetæ erexit Patritia Familia Boldù anno reparatæ salutis M. quo tempore ejusdem S. cultus singularis apud Venetos etiam sese diffuderat ex Imperiali Orientis urbe, ubi ipsius memoria celebris habebatur, tum ob venerandas Sancti Prophetæ exuvias Byzantium ex Judæa ab Arcadio Imperatore deductas, tum ob illustre Templum ejusdem nomini ab Justiniano excitatum. Sæpe citatus Anonymus Sæculi XIII. Chronologus Familiam Boldù, cui ædificati Templi honorem attribuit, Bollolam olim appellatam asserit: *Bolloli, qui Boldù appellantur, ipsi Ecclesiam fecerunt ad honorem S. Samuelis Prophetæ*. Sansovinus in hujus ædificationis honorem Familiam quoque Superantiam assumit; verum unde hoc hauserit incompertum. Ex incendii clade anno 1105. fœde consumptum nova postmodum molitione restitutum fuit. Rursus ab imminenti ruina anno 1683. reparatum amplum quidem, sed ad architecturæ regulas minus dispositum in tres naves assurgit. In ipsarum media Sacelli Majoris altare Sanctorum Reliquias inaura-

tis loculis inclusas asservat, quarum pretiosior Veneranda Dominicæ Coronæ Spina; circumque dispositæ custodiuntur Divi Thomæ Apostoli Maxilla, S. Spiridionis Trimythuntini Episcopi digitus; Dens S. Apolloniæ Virg. & Martyris; atque Divorum Antonii Abbatis, Barbaræ Virg. & Martyris, atque Floriani Martyris ossa. Corpus quoque in hac Ecclesia colitur Divi Martyris Valentini e cryptis Romanis ubi quiescebat Venetias delatum.

Solemnitas Consecrationis ejus ex antiqua consuetudine ad diem XVI. Junii celebratur.

Series Chronologica Plebanorum Ecclesiæ Sancti Samuelis.

1090. Augusti. Petrus Regini Subdiaconus, & Notarius Sancti Samuelis Plebanus. Ex Catastico Veteri S. Georgii Majoris pag. 161.

1236. Antolinus. Ex Arch. Monasterii S. Joannis de Torcello.

1273. Stephanus Besonus, alibi Betanus. Ex Leandro Alberto Hist. Bonon. Decad. II. lib. 3. p. 42. Eligitur anno 1287. 11. Januar. ab Honorio IV. Episc. Clodiensis. Ob. 1289. Ughell. Tom. V. col. 1351.

1301. Joannes Maistrorsus Not. Pauli, & Blanchæ filius. Sororem habuit Reginam Maistrorso Abbatissam Monasterii Sanctorum Blasii, & Cataldi de Judaica. Ex rog. ipsius.

1355. Nicolaus Redulpho Philippi, & Janetæ filius, Archipr. Congreg. S. Lucæ, & Not. Ex rog. Raphaini de Caresinis Venet. Cancell.

1357. Joannes Trivisanus Not. Ex rog. ipsius.

1368. Franciscus. Ex rog. Nicolai de Ferrantibus Pleb. S. Vitalis, & Not.

1374. Matthias de Lya. Ex Catast. Eccl.

1381. Franciscus, seu Franceschinus Carello. Ex rog. Victoris Ferro Pleb. S. Basilii, & Not.

1390. Andreas Marcholdi. Ob. die 21. Aug. 1400.

1400. Petrus Bissa. Ex rog. Nicolai de Ferrantibus Pleb. S. Vitalis, & Not.

1410.

1410. Marcus Coppo. Ex ipsius Testam.

1411. Bartholomæus Dotto e Presb. S. Moysis, Pleb. S. Samuelis, & Not. transiit ad Plebanatum S. Moysis. Ex rog. ejusdem.

1413. Philippus, olim Plebanus Sancti Martini de Muriano. Ex rog. Alexandri Marino Plebani Sancti Angeli, & Not.

1423. Joannes Bugarinus de Jadera. Ex rog. Joan. de Lappis Pleb. S. Barnabæ, & Not.

1443. Andreas Marevidi Not. Ex rog. ipsius. Obiit 20. Augusti 1447.

1449. Andreas de Bugnolis (Bognolo). Ex Matricula Scholæ Magnæ Charitatis.

1477. Marcus de Marchettis Notarius Curiæ Procuratorum, Presbyter primum S. Samuelis, mox Plebanus Sanctæ Mariæ Novæ, & demum Pleban. S. Samuelis, Canon. Castell. & Archipresb. Cong. S. Angeli. Ex rog. ipsius.

1513. Michael de Stephanis. Ex Catast. Eccl.

1523. Joseph. Obiit in Civitate Feltrensi ann. 1538. Ex codice ms. Planch.

1538. 14. Maii. Andreas Fascinius Canonicus Ducalis, & Archipresb. Cong. Sancti Angeli. Obiit 2. Aprilis 1554.

1554. 9. Aprilis. Gaspar de Caonicis. Hic pestifera lue quæ anno 1556. in universa Venetiarum Urbe grassabatur correptus ad Lazaretum delatus fuit, ubi & defunctus est die 30. Junii. Simul cum eo ad Lazaretum deducti sunt Nepos ejus Sudiacon. Titulatus ejusdem Ecclesiæ, & omnes sui consanguinei, qui ibidem diem suum extremum clauserunt. Ejusdem etiam calamitatis participes fuerunt Diacon. & alter Subdiac. Titulati, qui omnes pestifero morbo gravati, & ad Lazaretum deportati, obierunt; solusque ex Capitulo incolumis remansit Vincentius Bagatinus Presb. Titul. Hic, cum vacasset Parœcia mensibus sex, & diebus XXIII. electus fuit Plebanus die vigesima tertia Decemb. anno 1556. verum cum in examine ratione doctrinæ inventus fuisset minus habens, rejectus fuit a Patriarcha. Omnia ex cod. ms. Planch.

1557. 1. Martii. Thomas Paschalinus Mansionarius S. Jo: Evang. & S. Jo: Chrysostomi electus loco Vincentii Bagatini rejecti. Ob. 30. Sept. 1564. cujus loco electus est iterum Plebanus die IX. Octob. ejusdem anni Vincentius Bagatinus supradictus, qui in novo examine iterum rejectus fuit. Ex eod. cod. Planch.

1564. 30. Octob. Joseph de Baldis Capell. Hospitalis Sanctæ Mariæ de Pietate, Canonicus Sancti Marci. Ex eod. cod. Planch.

1582. Joannes Antonius Corona. Ob. 1. Novemb. 1592.

1592. 5. Novemb. Hieronymus de Bardis Florentinus Monachus Camaldulensis in Cœnobio Angelorum de Florentia, Historicus, Theologus, Philosophus, atque Poeta sui temporis celeberrimus, electus Pleb. S. Samuelis. Ob. 28. Martii 1594.

1594. 12. Aprilis. Ludovicus Pancratius. Obiit 26. Decembris 1610.

1610. M. V. 3. Januar. Franciscus Presegnus Canon. Ducal. Ob. 28. Sept. 1643.

1643. Matthæus Arbe. Obiit 17. Novemb. 1657.

1657. Joannes Barcelli Canonicus Ducal. Obiit 24. Januarii 1661. M. V.

1661. M. V. Jo: Baptista Canata Canonicus Ducal. Obiit 24. Januarii 1674. M. T.

1674. M. V. Joseph Sandini. Obiit Kal. Julii 1718.

1718. 4. Julii. Petrus Maria Moretti J. U. D. Canonicus Ducal. Obiit 13. Januarii 1732. M. V.

1733. M. V. 18. Januar. Dominicus Amigoni, Plebanus Sancti Samuelis, Fr. Jacobi Amigoni Plebani Ecclesiæ Sancti Angeli, Archipresb. Cong. S. Mariæ Formosæ. Obiit Kal. Aug. 1738.

1738. 6. Aug. Lucas Bertolini. Obiit 19. Sept. 1745. ætat. suæ anno LXXXVI.

1745. 23. Sept. Jo: Bapt. Tosellus.

FINIS.

CATALOGO DE' SIG.RI ASSOCIATI,

Per ordine d' Alfabeto.



VENEZIA.

Monf. Ill. e R.mo Alvife Fofcari Patriarca di Venezia.
N. H. f. Alvife Co: Manin.
N. H. f. Alvife Sangiantoffetti fu de f. Benetto.
N. H. f. Almorò Barbaro.
N. H. f. Alvife Mocenigo K. Pr.
N. H. f. Ambrofo Priuli.
N. H. f. Ant.nio Co: Savorgnano.
N. H. f. Andrea Corner fu de f. Marco.
N. H. f. Andrea Memo de f. Piero.
N. H. f. Z. Antonio Riva fu de f. Alvife.
N. H. f. Antonio Mocenigo K.
N. H. f. Antonio Vanaxel.
N. H. f. Andrea da Lezze 3.zo K.
Ill. Sig. Dottor Arcadio Capello Medico Fifico.
Ill. Sig. Andrea Poletti.
Ill. Sig. Angelo Sabini.
R.mo Sig. D. Antonio Bufi Canonico Patriarcale, e Pievano di S. Giuliano.
R.mo Sig. D. Angelo Armetti Pievano di S. Silveftro.
R.mo Sig. D. Angelo Ruopelli Pievano di Santi Apoftoli.
Il Molto Rev. P. D. Agoftino Orzalli C. R. T.
M. R. D. Antonio Speziale Curato in S. Canziano.
P. D. Anfelmo Coftadoni M. Camald.
Sig. Antonio Zanon.
Sig. Angelo Pafinello.
N. H. f. Barbon Morofini K. Pr.
N. H. f. Bernardo Nani fu de f. Antonio.
Sig. Eredi Baglioni.
R.mo Sig. D. Bartolomeo Trevifan, Protonotario Apoftolico, Canon. della Cattedrale, Arciprete della Congr. di S. Salvatore, Pievano di SS. Ermacora, e Fortunato.
Ill. Sig. Bartolomeo Locatello.
M. R. P. Bernardo Maria de Rubeis.
R.mo Sig. D. Bartolomeo Carminati Pievano di S. Polo, Vicario di S. Marco.
N. H. f. Carlo Gradenigo.
N. H. f. Domenico Gritti fu de f. Marc'Antonio.

R.mo

1557. 1. Martii

R.mo D. Domenico Monelli Canon. di Castello.

N. H. f. Francesco Pisani fu R.mo ... al Serenissimo.

N. H. f. Francesco Ab. Baglioni.

N. H. f. Francesco Rota fu de f. Gregorio.

Ill. e Reverendiss. Abate D. Francesco Rota de' Monaci Cassinensi.

Ill. Sig. Co: Fanfogna.

Ill. Sig. Francesco Contarini.

R.mo P. Fanzelli Gen. dell' Ordine de' Servi.

Pad. D. Francesco Vezelli Provinciale de' C. R. S.

Il. Sig. Francesco Rigoni.

N. H. f. Gerolamo Ascanio Giustinian fu de mis. Gerolamo Pr.

N. H. f. Gio: Antonio Crotta.

N. D. Giulia Rota Monaca in S. Andrea.

Ill. Sig. Gabriel Rombenchi Console di Spagna e delle due Sicilie.

Ill. Sig. Dottor Giovanni Parni.

Ill. Sig. D.r Giambattista Caroldi.

Ill. Sig. Giuseppe Comincioli.

Ill. Sig. Abb. Giacomo da Riva.

Ill. Sig. Grazioso Bertocco.

M. R. Sig. Dott. D. Giuseppe Bettoni.

Sig. Dottor D. Giuseppe Piacentini di S. M. Zobenigo.

R.mo Sig. D. Giacomo Marchetti Canon. di S. Marco, e Pievano di S. M. Mater Domini.

R.mo Sig. D. Giuseppe Petro... Canon. di S. Marco, e Pievano di S. Maurizio.

R.mo Sig. D. Giandomenico Tamagnon Pievano di San Canciano.

R.mo Sig. D. Gregorio Bianchi Canon. della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di S. Angelo, Pievano di S. Pantalon.

R.mo Sig. D. Giambattista Orsini Pievano di S. Giminiano.

R.mo Sig. D. Giambattista Brunello Pievano di San Tomà.

R.mo Sig. D. Girolamo Calura Pievano in San Salvator di Murano.

R.mo P. Ab. Gianalberto Grandi Exgenerale, e Visitatore de' Canon. R. di S. Salvatore.

R.mo D. Giovanni Ipsi Ab. Gen. de' Camaldolesi.

P. D. Gianagostino Gradenigo Monaco Cassinense.

Il M. R. P. D. Giambatista Borini della Congregazione del B. Pietro da Pisa.

P.l Giuseppe Zauli della Compagnia di Gesù.

P. Girolamo Lombardi della Compagnia di Gesù, per due.

Il M. R. Sig. D. Giambatista Cadorin.

Il M. R. Sig. D. Giuseppe Rimondi.

R.mo Pad. Gianfrancesco Baldini Generale de' C. R. S.

Pad. Maest. Giuseppe Maria Bergan-

gantini Provinc. de' Servi di Maria.
Il Sig. D. Giambattista Granzotti di S. Vidal.
Il Sig. Dott. Giacomo Bagattini.
Sig. Dott. D. Giambatt. Baroni.
Sig. Giambattista Recurti.
Sig. Giovanni Astolfi.
N. H. f. Ignazio Co: Barziza.
Il Reverendo Pad. Abate D. Isidoro Manzoni de' Canonici Regolari di S. Salvatore.
Sua Ecc. il Sig. Leopoldo Co: Tassis.
La Libreria della Casa professa della Compagnia di Gesù di Venezia.
La Libreria de' PP. Camaldolesi di S. Mattia di Murano.
La Libreria de PP. della Certosa di Venezia.
La Libreria de' PP. Reformati di Venezia.
N. H. f. Marco Foscarini K. e Proc.
N. H. f. Marin Contarini S. Marcilian.
N. H. f. Marco Co: Flangini.
N. H. f. Marco Molin.
Ill. Sig. Marc'Antonio Businello Segretario dell'Ecc. Senato.
Ill. Sig. Manfredo Piantoni.
Sig. Medoro Segatti.
Le R.R. Monache della Croce della Giudecca.
Il M. R. P. D. Nicolò Giustiniani Priore Cassinense.
N. H. f. Pietro Querini fu de f. Marchiò.
N. H. f. Pietro Garzoni.
N. H. f. Pier Gerolamo Capello.
Ill. Sig. Pietro Franceschi.
R.mo Sig. D. Pace Carnio Vicario perpetuo di S. Bortolamio, e Canon. Patriarcale.
Li R.mi Presidenti al Collegio delle nove Congregazioni.
N. H. f. Sebastian Pisani.
Ill. Sig. Santorio Santorio Segretario dell' Ecc. Senato.
R.mo Sig. D. Simon Giuseppe Grassetti, Arcipr. della Congregaz. di S. Luca, e Pievano di S. Moisè.
Il M.R.Sig. D. Sebastiano Sandri.
Sig. Tommaso Temanza Architetto ed Ingegnere della Ser. Rep. di Venezia.
N. H. f. Vicenzo Gradenigo fu de f. Vicenzo secondo.
Sig. Vicenzo Tolazzi.
N. H. f. Zuanne Soranzo fu de mif. Francesco Proc.
N. H. f. Zuanne Magno.
N. H. f. Zuanne Falier.

ANVERSA.

Li RR. PP. Bollandisti.

BAVIERA.

Il Sig. Giampaolo Gaspari.

BOLOGNA.

Ill. Sig. Francesco Argelati per due.
Il M. R. P. Giambatista Giova-

vanelli de' Preti dell' Oratorio.

Il Sig. Pompilio Lorenzo Co: Mitti.

CHIARIGNAGO.

R.mo Sig. D. Vittorio Allegri Dottore, e Paroco di Chiarignago.

CHIOGGIA.

Ill. e R.mo Monſ. Paolo Franceſco Giuſtiniani Veſcovo di Chioggia.

FIRENZE.

Ill. Sig. Dottor Gianfranceſco Gori.

Ill. Sig. Giuſeppe Rigaci.

LUCCA.

Il M.R.P. Giandomenico Manſi.

MILANO.

Ill. Sig. Segretario Filippo Argelati per ſei.

NORIMBERGA.

Ill. Sig. Giovanni Baldaſſare Starch.

PADOVA.

Sua Eminenza il Sig. Cardinale Carlo Rezzonico Veſcovo di Padova.

Monſ. Ill. Pellegrin Canon. Co: Ferro.

La Libreria de' Monaci Caſinenſi di S. Giuſtina.

PISA.

Il M. R. P. Raimondo Adami P. P. nell' Univerſità di Piſa, e Provinciale de' Servi di Maria.

PARENZO.

Il Convento de' RR. PP. Domenicani Oſſervanti.

RAVENNA.

La Libreria di Claſſe.

ROVIGO.

Ill. Sig. Lodovico Campo Canonico.

TREVISO.

Ill. Sig. Canonico Bocchi.

Ill. Sig. Canonico Avogaro.

UDINE.

Sua Eminenza il Sig. Cardinal Dolfin.

VERONA.

Il Rev. Sig. Canon. Arciprete Gianfranceſco Muſelli.

VICENZA.

Monſ. Ill. e R.mo Antonio Priuli Veſcovo di Vicenza.

Nel Tomo Quarto ſi regiſtreranno gli altri, non avendo permeſſo la riſtrettezza del tempo di raccoglierli tutti.